











EPISTOLARVM

GEORGII VVICELII AD FRATRES,

LIBER PRIMVS.


I. P. S. P.



N TIBI MI AMICE AXIOMATA, quę D. Draconiti grata fore dicebas. Legite uiri boni, perpẽdite, iudicate, circumſpicite, conferte: Mirabor, ni idem ſentietis in domino. Qui nolũt, ualeant lõgum. Quid enim mihi cum tepidis iſtis ſocutuleis? Adeoq; quid mihi cum bipedibus aſinis? In ſumma, præſens rerum ſtatus mihi neutiquam probatur. Nam Eccleſia nunc ſui longe diſſimillima eſt. Contuli huiuſmodi iampridem cum uicinis Theologis. Miſi ante biennium Philippo Hypothymoſenen, ſubmonẽs uellicãſq;, tum ipſos Euangeliſtas ſummates (ſic enim nunc Theologi uocãtur) tum principes Euangelicos, ut rationem ſanctæ DEI Eccleſiæ accuratiorem habeant, recenſens in eo libro ſingula fere, quæ in cœtu Apoſtolico deſyderabam. Miſi præterea Aphoriſmos ex Actis Apoſ[illegible]orum Ionæ, conferẽs Eccleſiam cum Eccleſia, idq; [illegible]ulo & pie. Talia, ut omnia, nouit DEVS, ſed nihil exp[illegible]ui, nihil profeci. Miſi item Theologis apud Marpurgum

B iſto

SD 6713 11



W woluminie kolejno współoprawne sygnatury:

SD 6711 II

SD 6712 II

SD 6713 II

J. Vadiani de poetica.



Dar Kuratorjum Okr. Szk. Poznańskiego.
Z księgozbioru Gimn. im. Marji Magdaleny w Poznaniu.
1930.

EPISTOLARVM

GEORGII VVICELII AD FRATRES,

LIBER PRIMVS.

I. P. S. P.



N TIBI MI AMICE AXIOMATA, quę D. Draconiti grata fore dicebas. Legite uiri boni, perpẽdite, iudicate, circumspicite, conferte: Mirabor, ni idem sentietis in domino. Qui nolũt, ualeant lõgum. Quid enim mihi cum tepidis istis locutuleis? Adeoq; quid mihi cum bipedibus asinis? In summa, præsens rerum status mihi neutiquam probatur. Nam Ecclesia nunc sui longe dissimillima est. Contuli huiusmodi iampridem cum uicinis Theologis. Misi ante biennium Philippo Hypothymosenen, submonẽs uellicãsq;, tum ipsos Euangelistas summates (sic enim nunc Theologi uocãtur) tum principes Euangelicos, ut rationem sanctæ DEI Ecclesiæ accuratiorem habeant, recensens in eo libro singula fere, quæ in cœtu Apostolico desyderabam. Misi præterea Aphorismos ex Actis Apo[illegible]orum Ionæ, conferẽs Ecclesiam cum Ecclesia, idq; [illegible]ulo & pie. Talia, ut omnia, nouit DEVS, sed nihil exp[illegible]i, nihil profeci. Misi item Theologis apud Marpurgum

B isto

SD 6713 11

isto anno dialogum, cui titulum feci, ἐκκλησία, disputãs super huius negocio haudquaq̃ oscitanter, sed quia ille Chretologis quibusdam asperior uidebatur, & nescio quid mordacitatis prę se ferẽs, repulsam tulit. Ad eum quippe modum Prusci accipitur ueritas a ueritatis professoribus, & ab Euangelistis Euangelium. Hactenus semper uetui, ne mea æderẽtur, sed tantummodo legerentur, expenderentur, adq; executionem maturo consilio conuerterentur. Quiescere non possum, nec tacere: ut cum Esaia rem ipsam fatear: donec meliora uideam. Zelus domus DEI mei, hoc est, Ecclesiæ me adedit corroditq; iugiter, adeo ut huc numine aliquo me impelli putem. Nec secus, si uellem, possim. Spero autem uos fratres omnia hæc in optimam partem interpretaturos. Qui male uult Ecclesiæ, pereat, & disperdat eum dominus DEVS noster. Amen. Cæterum secundo utcunq; uento domum redij. Nam in Thuringia in periculosiss. languorem subito incidẽ. Noụit id Grussia, quæ parũ abfuit, quin sepulchrum cadaueri meo parauisset. Confido ademptum malum DEI beneficio. Hallæ respiraui officio Landaui mei. De Turca tyrãno miri rumores implent omnia. Si res ex DE[illegible]ultore est, uinci non poterit. Sin ex seipso malum m[illegible]inatur, ut lutum platearũ delebitur. Iam his præs[illegible]tim diebus debebat Germaniæ caput III Ionæ prophetæ quotidie inq; horas omneis inculcari, ut

nos

VD16 W3918 959241 (2 ex.)

nos ijſdem ueſtigijs incedentes, cum Niniuitis ſaluare mur. Pœnitebit, mihi crede, DEVM mali quod contra nos cogitat, ſi nos pœniteat mali, quod ipſi patrauimus, hoc eſt, uitę huius Ethnicę. Vtinam ante aliquot annos prælegiſſemus populo Sermones Hieremiæ prophetæ, & credidiſſemus diligenti p̃monitori, atq; pœnitentiæ doctori, mirum ni manus huius Nebuchadnezar effugerimus. Quod bonum eſt corã DEO, hocipſum fiat. Bene Vale. Nymeciæ Sax. Anno, M. D. XXIX.

G. R. S. P.

DISCESSI A TE AMICO AMICVS. ALIter ego haud ſcio. Amor uerbi DEI ſociauit nos, utinam idem nos non diſſociet. Per me uero iſthuc nunquam fiet, aut diſpeream. Caue, ne circumueniaris ab Aſtuto illo. Semper Mundo præpone IESVM. Adhibe in conſilium ſanctas literas, ac harum ſanam intelligentiam. Intra hoc octiduum uiſitabitur prouincia noſtra. Quid de me futurũ ſit, in obſcuro adhuc eſt. Ego, quod faxit is cui ſeruio, ſuccinctus ueritatis Zona, & innocentię lorica fortis ſtabo, ſciens q̃ non confundar. Attamen de uiſitatoribus Euãgelicis Apoſtoliciſue aliq̃to melius exiſtimo, q̃ ut caſtigandæ congregationis huius aſſertorẽ, armis ſuis infeſtent. Bene uale. Nymeciæ. M. D. XXIX.

B. F. S. P.

PERQVAM AMICE FACIS, QVOD PRIor scribas. Solebam ego alios ad calamum extimulare, sed porro fit, ut ipse ab alijs sim extimulādus. Nam pigere me ocioſi istius generis scribendi, siue potius nugandi fere cœpit, & obruor professionis meæ seriis negocijs. Neq; tamen quenquam minus amo. Amici, patroni, cōterranei colendi et obseruandi, ut semper, estis: & coijt arctius inter nos uetus amicitia, q̄ ut insolenti silentio aliquo, nec eo longo tamen, solui queat. Sed q̄d quæso scriptitem? Tempus nunc longe pessimum, longe grauissimum instat, idq; adeo, ut ira DEI mundū abieciſſe propemodum uideatur. Querelæ meæ, damnatæ ἀιρέσι, iustæ non solum, uerumetiam iustissimæ reperiūtur. Liberauit animam meam audax in domino calamus. De rei exitu uiderint alij. Fruſtra celebrarunt Comicia primores, quod ego uaticinabar, temporum iniquitate adductus. Res omnis exasperatior est, atq; fuit antea. Oīa periculose feruntur ac nutant. Nec tamen minus sunt, qui clamitent ἐπὶ παλίαμ. Annonæ penuriam: subtimeo: orituri belli uastitas superabit, sin minus bellum, pax longa et mala securitas pietatem honestatemq; sensim eneruabit. Nos interim bene curata cuticula altum stertimus, stulte nobis placentes de uerbo DEI & Ecclesiæ flore, sed utruncq; ignis probabit. Neq; enim uideo, quid

deo, quid magnopere probare possis, detracta Leonina. πίθανολογίαμ ταυτὴν semper exhorrui, posteaquam hanc mihi Paulus suspectam reddidit. Iudicare, scrutarique et pie indagare cuiuis, opinor, licet: Et eò sol ascendit, ut cernere nonnihil possis. Quod si tale nolunt, declarabitur nimirum res, & auriculæ ignauum Priapi animal prodent. Vuernhero nostro scripsi, dolori hominis mederi cupiens. Stendeliana seditio repressa est irato gladio. Turchicus exercitus Morauios seu Quados attigisse fertur. Nonnullæ ciuitates ad Papismon relabuntur. Nec enim durabit diu tumultuaria Ecclesia nostra, siue Secta potius, ab humana pendens potentia. Bene Vale. Apud Nyme. An. M. D. XXX.

EIDEM. S. P.

EDIBVS QVAM CALAMO LIBENTIus ad uos uenirem, si per male adfectam ualetudinem liceret, qua usq; adeo nunc degrauor, ut ne digitis quidem meis uti in scribundo epistolio queam. Lectas uiolas, præsertim uero Homericum Moly e carcere domum mecum attuli, quo fit, ut scabram pellem exercere unguibus, & saniem purulentã linteolo detergere me continuo oporteat: hæcce mea studia sunt. Bene precor Conuentui Principum apud Augustam Sueuiæ. O utinam atque

iterum o utinam illic quæ sunt Ecclesiæ salutaria, & Reipublicæ utilia, Spiritu ac sapientia DEI duce, agitentur. Sin secus, ueniat dñs IESVS, & in cinerem uertat orbem terrarũ. Ad quid enim differt extrema consumatio, si præter pessima quæq; in mundo nihil uidere, nihil audire debemus? Desyderia nostra in nobis ardent, succensa nimirum ab eo, qui est ignis cõsumens. De rebus Turchicis, si quid ueri comperisti, significa. Si is DEI consilio missus est Flagellator Christianorum, uæ Europęis regnis: Sin ex seipso est institutum, sicut uas figuli conquassabitur tyrannus. Hostium meorum atrocissimum uita hac defunctum esse scribis, quem si pœnitentem dominus offendit, gaudeo, sin minus, doleo. Nouit is, qui nihil nescit, q̃ sæpenumero eius hominis in precationibus meis mentionem fecerim. Scribe quãdo, et quali morbo decesserit. A me ut iniuriam condonem sibi, nunquam expetiuit. Condonaui tamen meapte sponte, idq; pridem. Optandũ uero sit, ut in cœlis æque promptam condonationem ante obitum fuisset assequutus. Nolim illi imprecari, ut tam certò ejceretur in tenebras exteriores, q̃ certò me ille in exilium eiecit, ob nihil aliud q̃ q; Baptistę uocem perpetuo iterarem: Non licet tibi &c̃. Repræhensio magnatum certa mors est. Quæ res plurimis exemplis claret. Bene uale. Nymeciæ, Anno. M. D. XXX.

Non

I. VV. S. P.

NON MOROR ILLVD VETVS, QVO DI citur: Amicitiam longo silẽtio extingui. Qui enim non extinguatur Ethnicorum amici⸗tia, uel sine silentio, fucata nimirum & animalis? No⸗stram uero amicitiam, quæ fraternę charitatis uínculo firma usq; fuit, confido silentio isto sexenni nondum diruptam esse. Varia miraq; & horribilia euenta eam hisce annis labefactare potuissent, ni fuisset Adaman⸗tina. Cęterum uisum est nunc, eam non redaccendere, utpote quæ nunq̃ extincta fuit, nec resarcire, ut quæ rupta nunquam fuit, sed hac mea salutatione firmio⸗rem efficere, haud diffidens, istuc me consequuturum. Neq; uero est, quur te mei pudeat, qui in albo Ami⸗corum longe præstantissimos assignarim, ab eo tem⸗pore, quo alter ab altero diuulsi sumus. Nec illd' quo⸗que negarim, permultos ex eodem decidisse albo, sed hocipsum nulla de caussa, nisi diuinæ & glorioſæ san⸗ctæq; ueritatis, in quam totus iuraui, atq; hoc usq; ad sanguinem. Alios amicos in illorum locum parare & nanciſci possum, CHRISTVM uero alium, non pos⸗sum. Quare nihil est, ut aut ego huius rei gratia mœ⸗ream, aut tu amicum ueterem ac syncerum temere ex⸗cludas. Crede mihi, quod ego iampridem experior: magnum est solatium, uacare culpa. Quod Cicero⸗nis dictum, PAVLVS APOSTOLVS approbat, qui cum in

cum in omnium aures exclamo: Gloriatio mea hæc est, Testimonium conscientiæ meæ, q̃ & simplicitate & in synceritate DEI fuerim conuersatus: atq̃ hoc in Hessia, Thuringia, & nunc in Saxonia. Qui irascitur, irascatur: imo qui inuidet, inuideat. Ego in Euangelium uocatus, ab Euangelio neq̃ dissentire neq̃ desicere possum, utcunq̃ a quorũdam scriptis dissentio. Sto doctis pariter ac indoctis audiendus, non refugio lucem. Si conuictus fuero (sed absit maleuolentia sinistrorum animorum) unius erroris aut facinoris, non deprecabor ullum supplicium. Atq̃ o utinam ille mihi illucesceret dies, quo uel apud Principes, uel apud populum liceat mihi conferre cum istis quibusdam, quorum miser iudicio inauditus condemnor, nedum contemnor. Spero fore, ut tandem exoriatur ille dies, quantumuis in longum protrahitur. Rogo te per sanctum DEVM, quid peccat ille, aut in quem peccat, aut quomodo peccat, qui præter scripturas sacras, & harum legittimam intelligentiam, nihil uel affert ipse, uel ab alijs requirit? Regnet Regina Scriptura suo in sensu, dein ad huius Regulam ordinentur Ecclesiastica, et nemo me lætior erit, nemo quietior, nemo in pia causa diligentior. Sunto Iudices, qui uolunt. Sectas execror: Vnitatem ueræ Ecclesiæ amplector. Si fallo ullam animam, terq̃ quaterq̃ ἀνάθεμα fiam. Ea in mente uiuo, in eadẽ obdormiam: id quod faxit Rex immortalis, so

talis, solus sapiens, IESVS CHRISTVS, filius DEI uiui, Benedictus in æternum. Amen. Bene uale. Anno M. D. XXXI.

I. T. S. P.

GRATA FVIT AMICI VETERIS EPIstola. Neq; enim tui memoria hactenus in animo meo expuncta est, Nec confido futurum, ut in isto rerum tumultu expũgatur. Quòd uero mihi cognitionem linguarum, & nescio quam eruditionem attribuis, noui te non fucate facere, at inde nihil moueor, sciens me nihil scire. Quereris raros esse concionatores, quibus cum liceat tuto colloqui. O te audaculum, qui deroges fidem, fidei prædicatoribus. An non sunt fratres? Sunt quidem, dices, sed de quibus scriptum est: Vnusquisq; in omni fratre non habeat fiduciam. Rursus: Nolite credere amico. Veruntamen eo colore totos depinxisti, Nimirum quòd indigni tales sint, quibus pecudes, ut de hominibus fileam, concredantur. O tempora, O mores. Papistas expulimus, Papistis duplo deteriores. Quo ego autem istud tibi citius credo, facit, q; mihi quoq; ita usu uenit. Qua de re coram aliquando. Ad epistolæ tuæ capita respondeam. Quam uero tu Ecclesiam nouam sentis, de qua certior reddi

cupias? Num ego ecclesiam nouam o bone molior? Aut igitur ludis, aut serio loqueris. Si ludis, nihil opus est responso. Sin serio loqueris, dic mihi per CHRISTVM, quibus argumentis, aut quibus ex scriptis dictisue meis cognitum id habeas? Illud dico, opto, precor: Tellus ima dehiscat, uti Dathan & Abyrom, quotquot de ulla nouitate aut Secta, aut humanis constitutionibus & peregrinis doctrinis cogitant. Audi mi uir: Si noua Ecclesia meo arrideret animo, stultus omnino forem, si aliam quàm præsentem amplecterer, quam uulgo Euangelicam uocant. Quid enim in ea non nouum, pauciſſimis exceptis? Noua est fere doctrina, noui ritus, nouæ Ceremoniæ, noui mores, & nihil non nouum. Audistin'? Vis porro scire, qualem ipse desyderem Ecclesiam? Dicam ingenue, tu dextre iudica. Ecclesia una est. Concedis hoc scio. Iam si una est, certe eadem est. Nec hoc negaueris. At quæ? Quæ, inquam, nisi Ecclesia IESV CHRISTI unigeniti DEI, sponsa & corpus eiusdem? Et hoc admittis. Iam quæstio restat, quæ inter tot uera sit. Nam fissa una in multas est ita ut uera inuentu difficillima sit. Quæstionem soluet ueritas. Vetustior uera est. Nunquid scopum attigi? Annuis. Igitur nouæ Ecclesiæ, hæreses sunt. Nonne? Vna certe est, nec plures, quia non plures CHRISTI. Hæres? Atqui hic ego certissima

ma atque firmissima loquor, id quod in die Christianæ exultationis olim, hoc est, iudicij die manifestum erit. Prosequor thema. Quid tu nunc de eo sentis homine, qui nouam, hoc est, hæreticam ecclesiam audet constituere? Nouam dico, quæ uetus illa, una, uera, Sponsa CHRISTI non est. Et quæ tandem illa uera uetusque est? Num Romanorum? Num Græcorum? Vtraque fuit, at nunc a seipsa mutata. Origo uetus est utriusq, imo eiusdem originis utraque est, nec enim olim dissecta erat. At qua origine cœperunt? Respondeo: Apostolica. Igitur ab Apostolis, CHRISTI seruis, exordium sumens Ecclesia, sola, uera, unaq est? Maxime. Igitur quæ illam ueterem, id est, Apostolicam forma non refert, adulterina est? Vtiq. Quin ergo ad ueterem illam, unam, ueram, hoc est, Apostolicam redeundum erat orbi? Hoc hoc inquam mei animi uotum, hoc desyderium, hic gemitus meus est. Eò tendunt Precationes, Conciones, Libelli, Epistolæ, Colloquia, Disputationes, breuiter omne studium curaque. Num hac erro uia? Num Sectam meditor? Cupio Ecclesiam redire, unde uenit. Quur hoc quæso? Quia inter omnes nullam fere uideo, CHRISTO Verboq Regni eius dignam: Et tamen Ecclesia habenda est. Proinde quum omnes prope fallant, & ad schismata sua (quæ uenditant pro

ecclesijs)allectent, neqꝫ melius neqꝫ salubrius feceri-
mus, q̃ si eam Ecclesiæ formam instauremus, quæ so
la est optima, sola certissima, sola CHRISTO suo di-
gnissima, solaqꝫ porta cœli. Dubiæ ac instabiles cæte
ræ sunt, Hęc uero nihil minus. Viam uero, qua redi-
re ad illam priorem fas est, præbebit Liber Actuum
Apostolorum, & post hunc, uirorum Apostolico-
rum scripta, utpote Irenæi, Dionysij, Clemẽtis, Ter-
tulliani, Eusebij &c̃. Præterea monumenta atqꝫ ex-
empla sanctorum Episcoporum Cypriani, Hilarij,
Basilij, Ambrosij, Augustini, &c̃ in quibus cernere
est, faciem apostolicæ Ecclesiæ. Etenim huc illi om̃ia
referunt, ut Ecclesiã ab Apostolis constructam, con
tra hæreticos tuerentur illibatam. Nephas homines
DEI olim inexpiabile ducebant, si uel paululum ab
ordine Apostolico, àcꝫ Apostolorum traditioni-
bus, & uiuendi regula recederetur. Quam mentem
ego omnibus huius ęui Episcopis & Theologis cõ-
p̃cor. Heu q̃ illi hodie sua iactant ac attollunt, uetera
reijciunt, ne dicam, damnant. Quanta iniquitas. Ad-
miramur castimoniam antiqui sermonis latini, No-
uam contra horremus barbariem. Exosculamur an-
tiquas picturas, Numismata, statuas, Epitaphia. In
mundi regimine sæpissime a cordatis desyderantur
maiorum mores, simplicitas, fidelitas, Reprẽhendun
tur contra noua ista nugamenta sæculi huius nostri:

In sola

In sola Ecclesia nemo Antiquitatem requirit. Fuit semper Antiquitas ipsis etiam gentibus commendata, ad quam consectandam dicta quondam celebrabantur, quale illud est:

Moribus antiquis res stat Romana uirisq;.

Quur non res quoq; Christiana? Item: Viue moribus præteritis. Huc pertinet, q; Liuius primos mores consyderandos in præfatione proponit. Apud Cornelium Tac. contentio est in dialogo quodam de Antiquitate: hanc Messala præfert, contradicente Apro, sed tandem uictor euadit Antiquarius. Sectarij sua hæc cum Apro mirentur & attollant uerbis, ego pergam cum Messala esse antiquarius, & ueterum mirari tum ingenia tum mores. Ecclesiæ sanctitas certior ac amplior nunq̃ fuit, Sapientia nunq̃ maior, atq; primo tempore. In Gellianis noctibus laudatur Antiquitas, his epithetis, uidelicet q; sit honesta, bona, sobria, & modesta. Ad eum modum CHRISTI fidelibus amabatur Antiquitas. Inde est illud Chrysostomi: Antiquis uiris omnis uita operosa & uiatorum instar. Nos omne tempus per negligentiam ducimus. Ipse adeoque dominus IESVS ad antiquitatem prouocat, quum dicit ijs, qui de diuortio scisitabantur: Cęterum, inquiẽs, ab initio sic non fuit, Satis indicans, antiquiora meliora esse. An non Hieremias, quum tristissimus plangeret ruinam Iu-

daicæ rei, illud in extremo ceu epilogico uersu a DEO petiuit, ut reditum ad pristinos mores concederet, dicens: Innoua domine dies nostros, sicut à principio. Neque enim fore, ut posteri nouique uetustatem, quantumlibet rudem, exuperent. Quin & in Amos propheta legitur promissio, non de nouo templo extruendo, aut nouo alioue in loco, sed de ueteri, de collapso ac diruto resuscitando atque reædificando. De hoc, ne quid dubites, adjcitur gemma ista lucidissima: Et reædificabo eum, sicut in diebus Antiquis. Hæc, ais, impleta sunt. Recte. Quis enim hoc ignorat ex Actis Apostolorum? Sed quur hæc, quæ impleta sunt, non tuemur? Quur non in pristinum statum uindicamus? Cæterum, ut ad rem redeamus, omnium uetustissima Hierosolymitana est, ex qua (ait Irenæus) habuit omnis Ecclesia initium. Atque hanc describit nobis liber Actorum. Romana (eadem CHRISTI) Ecclesia a scriptoribus uetustissimis in immensum laudatur, de qua exclamat Tertullianus: O felicem Ecclesiam, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Ab Irenæo appellatur Romana Ecclesia, Maxima & Antiquissima, ac de eadem scribit sic: Vera Ecclesia est, ubi ea quæ est ab Apostolis, Ecclesiæ successio. Ad utram nunc redis, ad Ecclesiam Apostolicam redis. Aliam non fero, Nouam abominor.

minor. Intelligis, opinor, amice, quò progrediar, dum tibi paucis meam sententiam de Ecclesia co/nor aperire. Hæc mea mens, hæc uita. Oro DEVM indesinenter pro redintegranda atque restauranda Ecclesia sua, utque omnia tollantur dissidia, si fieri possit. Idipsum exigo a columinibus, Nempe ut contemptis nouitijs institutiunculis aspirent ad ue/tera, Alioqui quomodo agnoscatur Ecclesia prior, quæ tot formis alia adparet? Nolo nouam extru/ant, ut ueterem reparent aueo. Volo Hierosolymi/tanam, uolo Romanam, hoc est, Apostolicam, Ca/tholicam, Orthodoxam, quæ sit reuera quod dici/tur. Romanam dico, non Romanensem, sicuti Secta præsentem statum huius appellare solet. Romanam Ecclesiam colo, Huic me subijcio filius, Illa me casti/get, si peccem, illa pœnitentem recipiat. Hæc uiguit usque ad Constantini tempora, post quæ sensim de/generauit, episcopis mundo deditis. Præsentem ue/ro ob id ueneror, q̃ radice sanctissima prouenit. Soboles est ueteris Matris, sed prope illi incognita. Itaque omne genus ad Originem suam censeatur. Necesse est, quando sunt tot ac tantę Ecclesiæ, unam esse illam ab Apostolis primã, ex qua sic omnes pri/mæ, & omnes Apostolicæ, dum unam oẽs probant unitatem. Quæ uerba ex Tertull. uetustiss. scriptore recensui, q̃ meam sententiam propius contẽplarere?

Vetus

Vetus Romana matrix & Originale est, ad hanc igi
tur reuertamur, huc cursum flectamus, ita docea-
mus, ut illa docuit, rectrice Scriptura: credamus, ut
illa credidit, duce spiritu: utamur Sacramentis, ut illa
usa est: obseruemus traditiones, quas illa obserua-
uit, nam sunt Apostolicæ: conueniamus, legamus,
psallamus, oremus, ieiunemus, presbyteros constitu
amus ac ordinemus, ligemus, soluamus, confirme-
mus, pauperes alamus, crucem feramus, uigilemus,
œconomiam administremus, mundi contagium ui-
temus, CHRISTO Redemptori uiuamus, militemus,
pareamus, in omnibus præceptis eius & quæ Apo-
stoli tradiderunt (spiritus sancti gratia suffulti) am-
bulemus, sicut Rom. ecclesia olim fecit, & etiamnum
magna ex parte facit in electis. Quid dicam? Isocra-
tes gentilis homo scribit ad regem Nicodem de Ido
lolatria in hunc modum: In ijs quæ ad deorum cul-
tum pertinent, ita facito, quemadmodum est a maio
ribus præscriptum. Quur igitur nos a uetustissimis
fratribus, uidelicet Apostolis, Apostolicis, Catholi-
cis scriptoribus, martyribus & sanctissimis Episco-
pis discedamus? & discedamus ad ea, quæ nuper na-
ta sunt? Præterea quur demus manus cuilibet, qui
nos naso, quo ipse uult, agat? Et quot obsecro in or-
be ecclesię erunt, si cuiuis propriam licebit fabricare?
Cuiuis autem licebit, si semel a uetustissimis defeceri-
mus. Fe-

mus. Feneſtra enim plurimis eccleſiolis condendis: ſectas ſentio: eo pacto aperietur. Adeo uerum eſt, quod Sophronius quidam Pompeiopolitanus dixiſſe fertur: Si quotidie propriam fidem ædere licet, ueritatis integritas non manebit. Identidem ego de Eccleſia ſcindenda, imo nunc prô dolor tot in partes ſciſſa queam dicere. Iudæis non licuit mutare inſtituta, nec ullas obſeruationes receptas negligere: & nobis licebit, CHRISTI, Apoſtolorum, uetuſtiſſimorum patrum inſtituta, traditiones, ritus non mutare ſolum, uerumetiam ut aniles fabulas irridere? Non eget noſtris additamẽtis uetus Eccleſia, non eget nuperis ordinantĩs ordo priſcus, ſicuti nõ eget noſtra doctrina CHRISTVS. Nihil ego deſydero ullubi. Mihi ſatisfacit Actorum Liber præcioſiſſimus. Si qua deſunt, ſubminiſtrat Euſebiana hiſtoria, & quæ huic acceſſit Tripartita. Reliqua uel ex Irenæo uel ex Dionyſio uel ex Tertulliano peti poſſunt. Quos ego uiros, quando ex aureo iſto Apoſtolico ſæculo ſunt, ſuſpicio, ueneror, euoluo. Nec ĩjs maximopere reclamo, qui cẽſent ordinationes eſſe alicubi addendas eccleſiæ, ſed eæ ſi deſyderentur, ſed nõ a quibuſlibet, ſed ubi Apoſtolicas ac uetuſtiſſimas prius obſeruari uideam. Percipis reor quæ mihi uolo. Ordinare licet in ĩjs, de quibus non habemus Scripturas, aut uetuſtiſſ. Paradoſes atq; exemplа. Quid tu, dices

hic, ita a ueterum parte stas? Simpliciter respondebo: Quia persuasum mihi habeo, ueteres recentioribus spiritu, fide, dilectione, sapientia spiritali, conuersationis sanctitate & iustitia antecelluisse, ut non temere admoneat senior ille Apostolicus (de quo Irenæus scribit) Non debemus ergo, inquiens, superbi esse & reprehendere ueteres &c̃. Deinde quia oẽis nouitas mihi suspecta est, grata ea licet sit. Cantio eñ longe est celeberrima uulgo: Et gratissima quæ nuperrima uenit in aures, quemadmodum Homerus testatur. Nouitatem semper horruere sapientes, ut non abs re scripserit Ioannes Apostolus ad Dominam: Non ceu mandatum nouum scribo tibi, sed quod habuimus ab initio, Q. d. si ego tibi nouum quiddam comminiscerer, poteras uti humanum & meum commentum non ita magnifacere: at uetus adfero, & quod ab initio fuit. Hinc Paulus toties Euangelium ante tempora æterna retroiecit: & item ante conditum orbem, quo tempore in Mysterio fuerat, ne uidelicet putaretur nouum esse, ac nuper inuentum. Postremo quia noua instituta & hesternæ ordinationes illæ, nouis subinde institutis alterantur. Quoties, quæso te, mutant factiosi illi Euangelistæ suas ipsorum ordinationes, ritus & consuetudines? Singuli fere menses singulas propriasq; uident. Mentior? Et ista permutatio, qua nouitas nouitate

uitate tollitur, ubi magis ingruerit, nullus finis, nullus modus erit nouitatũ. Te cõtra interrogo, Quid tu ita ueteres naſo ſuſpendis adunco? Non perpẽdis cõnubium iſtud tuum te inſtitutis debere ueterum? Et Euchariſtiæ negocium, nonne ſecundum ueteres iactamus? Vt alia taceam. Ita ne quod noſtræ carni libet & gloriæ ſeruit, a ueteribus dũtaxat accipimus, cætera nõ item? O lepidos Theologos. Ais iterum: An non nouę forent omnibus, paratereſes ueterum in uſum inductæ publicũ? Rñdeo: Aliud eſt nouum uideri, aliud, nouum eſſe. Quantum diſtat a templo Hieroſolymitano, delubrum illud in Bethel & Galgal? Lõgiſſime citra dubiũ. At quid diſcriminis erat inter prius illud tẽplum & poſterius, quod a captiuitate, duce Eſra et Zorobabele, inſtinctu Haggei mei & Zaccharię extructũ fuit? Parum, adeoq; nihil, q̃d quidem ad authoritatem, & ſanctitatis opinionẽ attinet. Huiuſmodi excute, & res tibi magis liquebit. Aliam eccleſiam nolo, ueterẽ inquiro. Aut igitur uterem, hoc eſt Apoſtolicam, aut nullam. Nam DEVS non irridet. Dices: Fieri ita non poteſt. Reſpondeo: Poteſt. Manus enim DEI nondum abbreuiata, nondũ inualida. Omnia poſſibilia credẽti. Quid obſtrepis? Regiones multæ, ſic me CHRISTVS amet, albæ ſunt ad meſſem. Deſunt eheu oparij, qui extruſi a patrefamilias ſegetes demetant. Deſperas, qui nõdum attentaris. Aliud audio: Iucundum tale Papiſtis erit,

qui perpetuo uetera uetera uociferantur. Apagesis inuidule Lutherista. Igitur ne, quia hoc placiturum erat proximo nostro, uerum non est? Aut etiam si uerum est, propter aduersariam partem tegi debet? Vtinam liceat mihi per huiusmodi sermonem & Papistas & Anabaptistas lucrifacere, aut saltem ad causæ consyderationẽ inuitare. Et quis es tu? Neminem audis, neminem ne loqui quidem sinis. Omnes pro nihilo habes. At quis tu? Scripturam non audis, glossam modo tuam audis. Veterum sanctimoniam despicis, turpitudini Sectæ conniues. Scripta patrum calcas, tua tuorumue modo euehis. Traditiones priscorum sunt humanæ, tuæ modo diuinæ, tuæ Euangelion, tuæ merum uerbum DEI. Existimas fortasse homines esse caudices, qui nihil uideant, nihil iudicent. Ah q̃ graue erit olim de te iudicium DEI ineuitabile. Orbem seductũ, quò uoluisti, duxisti. Quàm diu uero nobis sacra Scriptura Veterumq; libri leguntur, tam diu clamabimus in Sectam, quę se egregie pro Ecclesia Apostolica uenditat, quom pridem eam prodiderit diabolica, non Apostolica conuersatio. Verum quur non, quæ scribo, Iudæis etiam & Sarracenis arridere cupiam? Quæ natio, quod hominum genus, uolens errat? Ipsi etiam hæretici imprudentes a ueritate simplici dissentiunt. Iam si Papistæ ueterum scriptis delectantur, gradum faciunt nõ malum, ad

lum, ad Catholicę ecclesiæ ueritatem. Quod si ijdem delectantur uerbo DEI pure intellecto, age, mihi maxima ex parte cum illis conuenit. Idem sentio de schismatis, si desinant esse schismata. Vtinam utinam mihi isthuc uniuersis mortalibus patefacere liceat, uscp adeo ardeo unitatem, quę per nuperas Sectas rupta est. Scio hoc pijs omnibus fore auditu iucundissimum. Nec nescio aliquot ex retinctoribus hinc pacificari posse. Noua ista factio pacem sperare non potest, hoc est, ea stante fieri non potest, ut cõstare pax queat. Nos, inquis, non moramur pacem, sed gladium. Scio quid tibi uelis, at ego non de mundi, sed de Ecclesię pace dico. Necp enim ecclesia est, si pace ipsa careat, pacis sola prædicatrix. Mundus perget Ecclesiæ resistere, sed hæc, ut semper, uictrix triumphabit. Hic opus esset, ut factionem pro merito detegerem, quo efficacius animos inflammarem ad Ecclesiam ut ueterem, ita ueram, sed quando istud alibi feci, & epistola plus iusto crescit, finem faciam. Illud scito, me cum Metello in exilium ire malle, & cum Philoxeno poëta in lapicidinas, q̃ nouam ecclesiam (quæ tamen necp noua necp alia esse potest, præter eã quam credimus catholicam) ueteri præferre. Nec illud nescito, Nempe me nõ adeo magnipendere deos istos terrestres Euangelistas tuos. Nam illi ferme tales sunt, ut cõtra eorum tonitrua popysmatibus possis

obstrepere. Noui aliquos Lutheropithecos non quærere, quæ sunt Ecclesiæ CHRISTI, sed quæ sunt nouæ Sectæ. Futurum est, ut seipsos quidam conspuant, ꝙ tam periculose e uia dominica exorbitarint. Ego interim ad dominum clamabo, de profundis animi mei penetralibus, & serio & cõstanter, nec sine fiducia. Non cessabo scribere, dum hi tres digituli mihi incolumes erunt. Non in concionibus & priuatis colloquijs admonere omnes & singulos desistam, dum hæc lingua agilis liberaq; est in ore meo. Sciens enim terrorem domini, suadeo omnibus mortalibus, DEO autem manifestus sum. Si ob eam causam corpus meum diabolus afflixerit, ut tenter, durabit dies non amplius decem. Ero (ui CHRISTI) miles usq; ad mortem, ut accipiam coronã uitę. Amen. Præterea scribis de iudicio forensi, quod te probare ais, quum te nemo de suffragio interroget. Quid ad me, mi uir, utrum probes an improbes? Ipse a nullius hominis sententia pendeo, Quare non opus erat, ut mihi de tuo calculo, ad Philippi sententiam adiecto, commemorares. Philippus a Philippo confutandus est. Secus enim antea scripsit, quod nõdum, uti decet, reuocauit. Confutatur idem a Luthero, cum multis in libellis, tum in scholio marginali Matth. v. Confutatur idem a Pomerano, modo is sibi constet. Nam negauit Christianum esse axioma de licentia

centia fori. Cõfutatur a domino apud Euangeliſtas ſuos. Confutatur a Paulo, ſi locum Corinthiorum accurate expendas. Cui ſeruiat Philippus, ipſe uiderit, Certe res eſt fidelibus conſpicua. Confutatur denicꝫ a conſenſu ueterum ſcriptorum, breuiter a communi Philadelphiæ doctrina. Fit quidem ſic, Tempus ita fert, Nõ poteſt aliter fieri, ergo Chriſtianum eſt. Audi Theologe Demoſthenem: Ne dicas, inquit ille, ſic fieri, ſed hoc ita fieri decere. O miſeri, quò abducimur? Inuita ac recuſans Scriptura trahitur ad defendendos affectus, & uitia, quæ uix Plato ferret. Poſſem hic multis & ſæueriter redarguere Anteuangelicos, ni uererer aliud. Ob multa Philippum adamo, ſed uſque ad aras. Idem ſentio de cæteris iſtis Heroibus, per quos ante decẽnium ad Euangelium acceſſimus, porro ita adfectis ijs, periculum eſt, ne per eoſdem ab Euangelio, ſuo uidelicet, diſcedamus. De loco Hoſeæ non ſatis teneo, quid tibi uelis. Nunquam hunc, quod ſciam, aliter interpretatus ſum, q̃ hodie interpretor, nimirꝫ de morte domini, mortis cõis uictrice. Quo loco nihil ſalubrius, nihil mellitius, nihil elegantius dici poſſit. Hebræa ſonãt: Ehi dibarecha Maueth. Græca: ποῦ ἡ δίκη σου θάνατε: Paulus pro cauſſa ſtimulum reddit, in alijs imitatur græca, ut clare apparet. Prophetam igitur in ſuo ſenſu, ſecũdum linguam ſuã intelligo: Apoſtolum item

in ſuo,

in suo, sciens illi peculiare esse, citare Græca, perraro Hebræa. Tu per me licet utrū malis sequere. Ego tibi textum ob oculos posui. Bene uale in communi Seruatore, qui in hoc nos sua Morte redemit, ut purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. Hoc Pauli Euangelium est, hoc nostrum, hoc, si sapis, tuum quoq; sit. Dominus dirigat te in semitis suis, cui uni laus & gloria. Nymeciæ. Anno M. D. XXXI.

VIA SALVTIS AD

G. T.

Qui uoles Cœlo meritis IESV
Perfrui lætus, celer huc adesto,
Quid moram nectis? didicisse posthac
Recta iuuabit.
Arcta cum primis uia, stricta porta est,
Pelle non tota uenies obesa,
Membra non illâc referes laborans
Omnia Frater.
Es noua ædendus generatione
Spiritu Verboq; DEI potentis
Igne tingendus, resecandus idem
Pectore toto
Quid tremes? Nondum cecini flagellum
Corporis, nec res animis ademptas:

Dic uale

Dic uale carni Cruciger relictæ,
Rumpe querelam.
Vende si desint, bona, Christianis
Ne nega quicquam, Melius futuræ
Vsibus uitæ tua Gaza fida
Conditur arca.
Victimam semper bene te locabis:
Dum fugis Mundi speciosa Nequam,
Risus eiectusq; caues & atra
Scandala prudens.
Moribus differ studijsq; longe
Noctis a natis, Pia turba diuûm
Sit typus præsens fidei salubris,
Vita sequatur.
Vince, si pugnet caro, ui latente,
Sueta q̃ primum uitia & resigna,
Si dolet, CHRISTO cogita uocanti
Sic placuisse.
Auctibus frater tacitis precare
Vt queas maior fieri Matheta:
Huc ualent Ieiunia crebra: Semper
Sobrius esto.
Summa. Numen tu cole cultor unum
Hoc ama solum, facitoq; Legis
Iussa, Tunc uiues, pretio redemptus
Sanguine CHRISTI.

APOLOGETICON AD M. B. F. aduersus Criminatores.

EXIGIT DIVVS PAVLVS, VT PRESBYter deligendus bono testimonio comprobetur, & idem sedulo monet, ut delectus ita sese per omnia gerat, ne uel doctrinæ sanæ labem contrahat, uel suę uitæ gratia Ministerium reprehendatur. Cuiusmodi mi N. quoties recolo, terrore quodam percellor, consyderans nimirum humeris impositum onus tam graue, q̃ grauia nunc instant tempora. Et hactenus quidem ita uixi, ut criminatorem de me obloqui puduerit. Nec extitit, unde iure incusari a quoquam potuerim. Nunc uero cum maiore etiã cura uitem scandala, & assiduus domi meæ libris affixus, rebus meis uacem, minus a criminatore tutus sum. In cuius labijs uenenum aspidum, cuius lingua gladius acutus, cuius guttur patens sepulchrum, cuius oculi nequam, & conscientia cauteriata est. Quid querar? Benefaciens criminor. Pia facta arrodunt inuiduli pallentes. Sed nec tantillum obeorunt. Nam conscientia mihi bona est & pura. Quur enim ita cum Paulo nõ dicam, qui cum & ego mihi, nihil conscius sum? Nulla culpa pallesco, nec terreor accusatiunculis istis, quas scio esse calumnias, Inuidia matre natas. Recte per DEVM immortalem sensit, qui cecinit: Seruat multos fortuna nocentes:

Et tan

Et tantum miseris iraſci Numina poſſunt.

Rei caput eſt: Accuſor M. Ioannis Campani hoſpes menſtruus. O cœlum, o terra. Velim uero hic mihi, non qui alterutram iuuent partem, ſed qui cauſſam iuſte reputent, ne accuſator fiat inſolentior, aut reus opprimatur indicta re. Primum rogo an non fores meæ liberæ eſſe & cuiuis patere peregrino debeant, qui modo ita uenit, ut uenit Campanus? Venit uero is cum literis Bibliopolæ Mauritij commendatitijs. Venit mihi tã ignotus, q̃ eſt unus e Maſſagetis. Venit optimi hominis & piiſſimi fratris ſpeciem præ ſe ferens. Venit comitatus Dionyſio quodam Brabantio, homine in literis noſtris, hoc eſt, ſacris exercitato. Talem egon' ab oſtio meo arceam? Talem tecto, imo menſa etiam communi non digner? Fortaſſe uobis infamatoribus minus peccaſſem, ſi nugonem aliquem, aut palponem excepiſſem, modo is non male apud uos audiret. At ego uirum haud quaquam malum, literarum ſtudio inſignem, moribus adeoq; rebus omnibus ornatum excepi, & excepi rogatus, & excepi hoc libẽtius, quo magis mihi uiri indoles adpareret. Quanquam, ſi liberet,, poſſem rem totam a me uno uerbulo amouere, Nempe hoc: Nõ ego, ſed Anthonius hominem hoſpicio ſuſcepit. Sed quia facti huius ego Anthonio ſuaſor extiti, cauſſam omnẽ in me reiectam uolo, hoſpiti Anthonio in hoc gra-

tum facturus. At inquis: Hæresi pollutum excepisti, nec non Bonorum iuratum hostem, quicq; exitio rei Christianæ studeat. Bona uerba. Excepi ego neq; hæreticum, neq; ullius hostem, neq; prauum machinatorem, sed Campanum, sed fratrẽ, sed studiorum socium. Nec mihi apud ullos fraudi esse possit, etiamsi talem excepissem, qualẽ ipse depingis, quippe ignorans. Quod si crimini dare pergas, age, debebas fronti hominis inscalpsisse, qualis fuisset, ut hinc admonitus eum a domo prohibuissem. Neq; enim tam sum Lynceus, ut in animi illius penetrale introspicere quiuerim. Aut si a nemine colligendus erat hospicio Campanus, qui rogo fit, ut istud nullo ędicto antea cauerit princeps? Adeoq; cur Vuittembergæ eum, non mensem unum atq; alterum, sed aliquot annos passi sunt? Si hic dicas: Quis omneis nouit? Idem ego pro me dico. Quod si exactum, si profligatum exulemq; & iudicatum hostem suscepissem, quis omnium miraretur accusationem? E Vuittemberga expatientem, nõ fugatum suscepi, & eum, qui ob nullum scelus neq; patratum neq; patrãdum ad nos deambulauit, sed qui orthodoxos scriptores a Stechauio nostro mutuum acceptos euolueret ac consuleret. Cuius negocij tamen neq; me neq; Anthonium conscios unquam esse uoluit, homo rerum suarum mirus occultator. Illud de ipso affirmare ausim, nempe di

pe diligentiorem Scriptorum ueterum lectorem & iudicem, me uix in uita cognouisse. Lector erat diurnus et nocturnus, sibi ipsi nihil parcebat, genium defraudabat, uita sobrius, conuersatione honestissima, uerborum perpaucorum, gestibus laudatis, Breuiter talis, quem ego suspicere potui, abominari aut odisse non potui. Et cur non idem de Campano elogium referam ipse, quod de Dauide rex Achis: Est, inquit ille, apud me Dauid annis & diebus, nec inueni in eo quicquam mali, a die, qua ad me uenit, usque in hunc diem. Et quid uetat, quo minus cum Abimelech sacerdote et hospite eiusdem Dauidis, hospitem meum excusem, ubi Saul perrexit coniurationē eausari? Quis, dixit ille, in omnibus seruis tuis, sicut Dauid fidelis? &c̄. Noui profecto q̄ optime Doēgitas meos: Noui Zyphæos, qui meam animam hostiliter quærunt. Sed tamen tempus Innocētiam meam illustrabit, & illorum patefaciet maleuolentiam. Dominus inultam diu non patietur. Iustus enim est & rectum comminans iudicium. Si ultionem suspēderit usq; ad diem illum magnum, horrendumq;, nec hoc animo meo displicebit. Scio me per inuidiam uexari, scio unde nam omne odiū fluat. Non enim plane peccatum esse potest hoc, quod Campano exhibui, sed officium. Si peccatū esset, diu sensissem hoc in conscientia, indicante nimirum lege. Sed quid ob

hęc uerba facio? Gaudio esse mihi debet, et est, quod in caussa bona, hoc est, φιλόξενος patiar. Nam malo beneficus q̄ maleficus pati. μισόξενος esse non possum, quum ipse Xenus hac in terra cum tota familia sim, Præterea hortatur me ad philoxeniam præceptum DEI mei toties in Apostolicis epistolis repetitū. Postremo ipsa hoc suadet Naturæ lex. Verū quod ob philoxeniam nunc ceu ob κακοξηλίαν patior, mihi cum multis pijssimis hominibus commune est. Lot (utinam huius iustitiam haberem) affligebatur, quod esset Hospes piorum. Ionathas à patre damnatur, quod Dauidi esset familiarior. Rahabæ hospita Domus uexatur ab aduersarijs, propter peregrinos nō collectos modo, sed & absconsos liberatosq̄. Sed nullum est exemplum accommodatius, q̄ quod de Iasone Thessalonico narrat S. Lucas. Is obtorto collo ad Politarchas trahitur non sine uitæ rerumq̄ omnium discrimine. Ob quod quęso flagitium? Nullum profecto, sed ob beneficium magis hospitalitatis. Nam Paulum aliosq̄ in domum suā exceperat, hoc est, fecerat quod sibi fieri uoluisset. Atqui, ais, tu non Iason es, neq̄ Cāpanus Paulus. Recte, at quod præstitit Paulo Iason, Cupiui ipse præstare cōmuni Fratri, idq̄ pari animo, sin minus parifacto. Iam demonstrādum accusatori erat, qua nam in re tam malus tamq̄ reprobus sit Campanus, & quur ita uitandus.

dus. Dixi me bonum uirum hoſpitio excepiſſe, aſt alius diuerſum adferat. Si ſatanæ uas, age, probetur. Ipſe uas DEI electum, et cognoui Campanū, & prędicaui, neqꝫ enim ſecus, uel emoriar, de eo loqui poſſum. Nec ullum ſpero me adacturum, ut uel huic, uel quibuſuis alijs in Germania contra conſcientiam maledicam, aut detraham, qui uidelicet neqꝫ in me peccarunt, neqꝫ in alios uidentur iniqui, neqꝫ (quod cum primis dictum oportuit) contra fidei Catholicę analogiam ſentiunt. Quod ſi nūc Campanus aliqua prodidit, quæ uel abſurda, uel etiam a ueritate ſimplici aliena eſſe uidentur, mihi certe nihil periculi inde timendum eſt, maxime, quem cęlarit ſua molimina. Et per Dominum iuro, ſi mihi hic de Synaxi uel ſyllabam retexit. Apud Marpurgum ipſo die, quo eram abiturus, nonnihil ſua de ſententia, uel non ſciſcitanti aperuit, Quàm tantum abeſt ut probarim auditam, quum ad hunc uſqꝫ diem ſatis quid ſibi uelit homo peracer, nondum intelligam. Fortaſſe & alia progreſſu temporis publicaturus eſt, num ideo illa quæcunqꝫ tandem fuerint, me inuoluere poterunt? O æquos homines, o principes Eccleſiæ DEI in terris. Si uobis cum Campano parum conuenit, quid me arguitis? Aut egone illius ſua in cauſſa defenſor patronuſqꝫ? Habebatis eū nuper, cur cum eo non de cauſſa agebatis? Ouis ego Æſopica fontem turbaui,

& ſus

& ſus dependo acina qui uineæ nihil obfui. In me faba cuditur, homine omnium innocentiſſ. Sed ſubodoror odij ſeminarium. Aiunt eũ accuratius perluſtraturum omnium recentiorum Scripta, ut uel eo pacto illi doceantur quàm res fœda ſit, temere præcipitare libellos, & q̃ pernicioſa, ſine iudicio euomere quicquid noſtro palato rectum uidetur, nõ probe excuſſis, ſed obiter guſtatis modo ſcripturis. Vtcunq; eſt, alienus ego a Campani negotio ſum, & tacere illum iubeo, qui, ſi aliud nihil poteſt, Campanum in me perſequitur. Si cui cum illo res eſt, is ſcribat in illum, ita tamen, ne mutua alteratione ueritas amittatur. Nemo ſuæ gloriæ & authoritati conſulat, ſed rei Chriſtianæ, quæ nunquam uehementius laborauit. Homo is ſum, qui, ſi impia a Campano hic propoſita audiſſem, non tuliſſem. Optaui ſæpenumero, ut tales animos plures haberet Eccleſia, qui tanta fide tantoq; arderent zelo. Nunc ſi talis peruerſus eſt, quod uix adducar ut credam, age, mihi nihil perit, nec fit mea culpa, nec uoluntate. Domi meq; malus factus non eſt, ſi antea bonus fuit. Nec a me hauſit, quæ ſcriberet. Vale.

HABES quid mihi pepererit Iuliacenſe commercium, ut, ſed facti me nondum pœnituit, quo aliud nimirum plus ueniæ uix mereatur. Gratularis reduci e certamine uiſitatorũ, & amice facis. Certamen profecto erat,

fecto erat, nec incruentum. Sed non omnis in aruis Æmathijs cecidi, nec sic mea fata premuntur, ut nequeam leuare caput. Quid uero actum sit, habeo in schedis. Pars modica huius fuit Campanus, de quo tibi hæc scribens, sex horas pendo. Quid uis? ad tarpeium rapiendus eram, si uel unicum errunculum in doctrina, uel in uita flagitiolum deprehendissent. Hyenæ famelicosiss. erant, sed hic nihil prædæ. Si me autoritate & ui gladij cohercebunt ne de pessimo ecclesiæ suæ statu amplius querar, Aristophanicos illos mussatores imitabor, & dicam μὺ μὺ μὺ. Tu bene uale. Nymeciæ. XXIIII Februarij. Anno M. D. XXX.

MI LECTOR hæc scripsi ad amicum multo ante quàm huc peruasisset rumor de Trinitario Campano. Quanquã & hoc ipsum, quod sit trinitarius nusquam legi, nec a quoquam audiui, nisi ab uno Luthero, communi utriusq; hoste. Quod si uerum est, apage portentum illud. Sin uanum, respondere habẽt accusatores hominis. Ad me nihil attinet, seu uerum sit, seu uanum. Hoc ne nescires amice uolui.

APOLOGETICON, QVO SVSPI-tionem Artophagiæ olim pur-gaui: ad I. L.

ARISTIPPVM SOCRATICORVM PRI-mum, roganti cuidam, quid sibi e philoso-phiæ studijs quæsijsset, sic respõdisse Laër-tius tradit: Omnibus fidenter loqui. Cuiusmodi ego, tametsi nihil sum, nisi si quid gratia DEI sum, e Theologiæ studijs, non solum quæsisse me, sed & inuenisse glorior. Et haud scio, utrum præstare rem tantam humana philosophia quiuerit, ut non uultu tantum immutato, adeoq; hilari, uerũetiam animo pręsente, libero, alacri, solido, aduersum eos stare ua-leas, quibus cum tibi minus conuenit. Equidem mi-hi nunc gestit animus, frons exporrigitur, & os in uerba redundat. Verum eam confidentiam Auræ il-li diuinæ acceptam fero, citra quam næ ego infelici-ter in Theologicis iam duo pene lustra fuissem uersa-tus. Vtinam uero, quæ nunc tuendi mei caussa di-cturus sum, ab ijs maxime audiantur, qui a me nunq̃ læsi, uenenum morsibus mihi suis inspirant, & spicu-la (ut Vergilianis abutar) cæca relinquunt, dum me dogmatis noui cuiusdam assectatorem traducũt, de quo dogmate uelitati inter se sunt uiri multi nomi-nis, & in quo enodando dijudicandoq; pleriq; ad-huc sudant: præterea de quo tot emissi libri, tot spar-

sæ char-

sæ chartulæ, tot compertæ dissertationes, addam & illud denicꝫ, tot meretriceæ rixæ, lædoria, scommata, sannæ, & nescio quæ id genus stolidissima delyramenta. Tantus nimirum est amor laudum, tantæ est victoria curæ. Dogma, de quo lis feruet, est, Nempe carnem naturalem siue realem essentialemue domini IESV sub pane, siue in pane in manus cœnantis accepto, & conuiuis discipulis ad edendum dato, haudquaquam esse. Sicuti nec sanguinem eiusdem contineri uino, quod bibendum in eadem cœna ꝺ̄nō obtulit, sed Symbolicum, mysticū, typicum, &, ut quidam uocant, sacramentale utrumcꝫ, non substantiale, necꝫ corporale, salua analogia fidei esse posse. Habes dogmatis summam. Cæterum in propatulo est illud esse non noue inuentum, sed iam aliquot occupasse ſecula. Nam nisi scriptores fallunt, Ioannis Scoti, tempore uidelicet Lotharij regis sentimētum hoc de Synaxi pro ueriss. habitum est: Dein Freduardi cuiusdam tempore, siquidē tum occiderat, uindicatum. Post nō longe per Berengarium Turonensem defendi, atcꝫ illustrari cœptum: Nouissime inuexit hoc Viglephus apud Oxoniam Angliæ, aduersus Romanum Pontificatum, cuius super hac re monumēta adhuc extant. Sed de his hactenus. Atqui ego ad hanc uscꝫ horam demirari satis nequeo, quibus argumentis inducti, eò me impulerint, æstimati fra-

tres,& imprudentem, quem ipſi uoluere, ac qualem ipſi ſomniauere, Oecolampadianũ fecerint, hoc eſt, eũ qui dogma iſtud Synaxeos amplectatur. Hic tu, Quid ni, ais, de te tale quis ſuſpicetur, quum illorum hominum opinionem, dicam, an errorem, tam belle calleas ac recites? Igitur bone uir quicumque errores alienos legendo memoria tenent, iiſdem ſunt obnoxij, & malum ſcire, malum eſt? Quî obſecro anteuortam, quî dedoceam, quî diſſuadeam hæretica, ni norim? Sed aliud eſſe reor, unde mihi nata eſt ſuſpitio. Marpurgenſem Synodum proximo autumno uiſi: Nec hoc ſolum, uerumetiam ſuperioris Germaniæ Theologos ſeorſim conueni, idq; ad ſeſquihoram. Factum hoc ingenue fateor, ſed quod iureiurando ſancte adſeruerim, ſi foret opus, eo in colloquio de Synaxi uerbum nullum fuiſſe factum. Nihil cum illis conſuſurraui, nulla cõtulimus conſilia, nihil in cuiuſuis famam dictum, nullius uiri libris detractum, nihil palpatũ, nihil applauſum dogmatiſtis. Erat uero longe aliud, quod ego illis conſyderandum penſi tandumq; obtuli, atq; hoc ſcriptis Axiomatis. res uidelicet erat tota Religionis noſtræ, quam actitabamus. erat, inquam, illud, cuius ego gratia noctes atque dies excrucior, quod toto Sexennio apud memet deploraui, quod nunc ore ac calamo conteſtari & urgere cœpi. Quales uero eos in collatiõe deprehenderim,

henderim, e re nostra non est, expromere. Nec hic audiendos existimo, qui deblaterant: illos quando in uno errent, in omnibus errare. Plumbeum sane argumentum. Quasi uero ij, quos nos plurimum sectamur, nuspiam in tot libellorum cēturijs, incp tot concionum chiliadibus errarint. An uero igitur cætera diffidens legis? Exorbitarunt e uia sæpenumero ueteres quoq; Theologi: Ideo ne uniuersorum eorum codices aut abijciam ipse, aut alijs abijciendi author sim? Legam ego probemq; omnia. Liber per uetera perq; noua cursitem, & iudicio concesso pro dote mea utar. Quid tu me, ô inepte cohibes? Tu quem Mater dedit amictum solicite serua. Eo enim amisso aut trito, nudus eris. Caue, ne latum digitum excedas e delphicis istis tuis. Præ magistro, in cuius uerba iurasti, omneis semel despicere perge: Solus ille enim est, qui errare non potest, quēadmodum ab aliquot sæculis de pontifice homine latino creditum est. Hui ultra Sauromatas fugere hinc libet, quoties tam insulsos, tamq; insipidos nugatores audio, & tales, quibus ecclesiæ exitiosius nihil unquam fuit. Verum ut ad institutū reuertar, si quid mihi hinc suspitionis ortum, uanum sit oportet. Etenim summopere despiam, si discendi gratia, quid Synaxis sit, Marpurgum commigrem, utpote quod domi meæ potero, et quidem optime. Aliud audio: Vna cum Hel

uetijs in ciuitate uisus es, & ad Gallum uẽtitasti, Cratonem neglexisti, atq; eas res concurrere, ut exaugeatur suspitio. Quid ego hic? Num perij? Primum demiror, hoc in malam rapi partem, quod cũ uno atq; altero Heluetiorum prodeambulãs uisus sum, quos mihi tamen non Eucharistia, sed communis quadra ac conuictus fortuito conciliarat, ut illis uterer familiarius. Gallum rogatus adij, apudq; eum bis cœnaui. At uero quid ni? Num me hospite ille indignus erat? Aut perperam & ille sentit? Si perperam sentit, me latet. Illud certe non latet, quod is uir est tanto melior, q̃to apud Marpurgum despicatior. Ita enim plericq; solent esse, quos commendat DEVS, & quorum laus ab hominibus non est. Cum illo mihi iam fere a septennio intercessit amicitia, quo nimirũ tempore apud Isennacum degebat, homo solus hac tempestate mei doloris ac querimoniæ remedium. Cratonem, qui cum mihi iam inde ab adolescentia nonnihil extitit mutuæ beneuolentiæ, non neglexi, sed potius ab ipso, si æquũ iudices, neglectus sum. Ædes hominis uidi, nec subij. Fores pulsaui, nec intraui, anu quippe uetante. Hospes eram, nec decebat opprimere eum, qui altum gradum ascenderat, sed expectare magis, dum ipse peregrinum accerseret. Et ne causari queat, se diuersorium meũ ignorasse, monstraui illud aniculæ. Quid, q; hominem domi perraro offen-

ro offendissem, aulicum scilicet? Adhęc si maxime fu isset domi, mihi fortassis nõ fuisset. Solet eñ referen te Raido, ex confesso dicere, se non esse domi omni bus. Præterea erat, quod cum illo egissem asperius, si conuenire eum contigisset. Quid uis? deperdit mi hi ueteres amicos Veritas, quam nõ phaleratam no uis commentis, sed detectam ac nudam plane uolo. Age, absterси & has notas, quibus commaculare exi stimationem meam, si qua est, studet aduersarius. Verum scio mihi apud Sycophantas fides nulla est. Nam sibi illi persuasum habent, esse me, qualem uel lent, quo citius ruam totus. Inuident misere ipsi uere miseri, & quem Veritate prosternere nequeunt, ca lumnios is mendacijs adoriuntur. Verũ si mihi hunc animum seruarit, qui dedit, CHRISTVS, in irritum quęuis attentabunt Lutheri filij, quorum propemo dũ nullus est, qui sacras literas unq̃ recte tractauit, nec uiuit hodie aliud hominũ genus, quod sibi plus arroget, & superbius fastidiat alios. Nihil legit, nihil probat, nihil admiratur, nihil docet, q̃ quę noui sub inde libelli adportãt. at huius rei index tempus erit, cuius, ut quidam ait, Filia Veritas est. Retegentur, ne dubites, omnia abstrusa. Neminem sane calumni or, sed a calumniatoribus me defensito, quorum au dacia undiquaq; circumfusus sum, & quorum latra tus in me tam in Thuringia, q̃ in Saxonia personãt.

Mirum

Mirum ni iſtis fratribus prope diem rebaptizer, & fiam anabaptiſta. Imo ſubuereor, ne in cordibus ſuis felle oppletis pridem me talem iudicarint. Porro exigere adeoq; extorq̃re a me uideris germane frater, ut meam de Synaxi ſententiã tibi paucis ſignificem. Morem fratri libens geram, tametſi idem Calendis Auguſti in epiſtola ad R. feci. Sycophantæ mei quę uolunt de me libenter credunt, at res ſecus habet. Cum primis uero illud dictum uolo, Libros nimirũ quotquot omnes illi ſcriptores noui ſuper ea re ędiderunt, nunquam me uel a limine ſalutaſſe. Et hodie nihil horum lego, nec mihi, ſi legere libido eſſet, ſuppetunt. Recuſaui conuicia legere, et neſcio quam Logomachian, cuiuſmodi ſi legeris, bone DEVS, quot pariter pelues, quot tintinabula credas pulſari? Orbi Chriſtiano ſalubrius fuerat, ſi Logomachi iſti ante quatriennium, quum nondum in uulgus ſuæ chartę proiectę erant, conueniſſent, et in cellam aliquam recluſi, rem omnem ueſtigaſſent, & tot ſcandalis occaſionẽ præripuiſſent. ſed ſtultus ſim, ſi quod factum eſt, ineffectum fieri poſſe aut ſperem aut optem. Diſſidium ſatum uehementer creuit. Ob hoc nunc magna pars Germaniæ turbatur ac funeſtatur. Dominus exurgat, & increpet mare ac uentos, ut fiat tranquillitas. Primum cœnam illam ſacratam unice exoſculor, & duco eam iuxta ſalubrem ac utilem uere fidelibus:

delibus: Deinde prędico inſtitutam, pro renouanda Salutiferæ Mortis domini recordatione, & annunciatione, unde cœna Chriſtianorum eſt, hi demum digne cœnant, hoc eſt digni ea cœna ſunt. Poſtremo confiteor carnem & ſanguinem eſſe eius, qui primus porrexit. Neq; enim a uerbis domini recedo. Nam is Magiſter meus eſt unicus, hunc ſi audire recuſem, quem quidue obſecro audiam? Et quid aliud hic fingam, ſi hoc, quod ipſe dixit, reiiciam? Quia dixit, eſt. Quomodo enim mentiatur, aut nos fallat Veritas? Verborum ſimplicem ueritatẽ confiteor, nec tamen ulli ſuadeo, ut quæ neſcit, temere enodet. Nodus lõge duriſſ. eſt, Hominem CHRISTVM ubiq; pariter eſſe, ſecũdum humanitatem, utpote quo ſecundum fidem Catholicã in cœlo ſedeat, unde uenturus eſt uniuerſorum mortalium Iudex. Eſt ea res ſupra captum humanum, & ea unde ſe nemo facile explicet, ſi noſtris ſenſibus niti uelit. Quare ſi roger ego, quid inter cœnantes diuidam, Reſpondebo: Corpus domini. Q; ſi tu, Quomodo iſtud dices? An non panis eſt? Reſpondebo, Cuius cœna eſt, is dixit panem eſſe corpus ſuum. Ego uerò quis ſum, ut ſolida uerba infringere coner? Iã ſi percõtator dicat: Nunquid CHRISTVS cum carne et ſanguine ſuo a dextris DEI eſt? Quid tu ergo eum in panem detrahis? Reſpondebo: Credo ac fateor CHRISTVM cum carne &

sanguine suo a dextris DEI esse, unde ego eum haud quaquam detraho, nec possum. Ipse ueniens ueniet ad diem constitutum cum Angelis uirtutis DEI. Ille ipse autem qui sedet in cœlo, et ueniet de cœlo, cuius res agitur in cœna hac, clare dixit, Panẽ esse corpus, & Vinum esse sanguinem suum. Et quomodo fiet istud? Nescio. Quin ipsum interrogas, qui sic dixit, sic fecit, sic instituit. Ais. Igitur ne CHRISTVS editur & bibitur, q̃ quid sub sole crudelius? Adeo ne Ægyptios superatis sacrilegi, qui non CHRISTVM, quem ignorabant, sed ne porrum quidem et cepe suum, cui iusmodi pro Numine colebant, uiolare ac frangere morsu uoluerunt unquam? Respondeo: Panis domini, hoc est, panis qui corpus domini est, editur, & Poculum domini, hoc est, uinum quod sanguis domini est, bibitur. Nec imaginor amplius. Crudelis etiam esse in CHRISTVM non possum, quando quidem facio, quod ille me iussit. Colo, ueneror, adoro CHRISTVM in cœlo, dominum meum & DEVM meum, & tamen sine offensa fidei CHRISTI corpore et sanguine uescor in terris. Impietas nulla est, fideles hoc uesci cibo, sed magnã pietas: at uero maxima est impietas, uerbis CHRISTI nolle acquiescere, fingere quæ cum ijs pugnent, esse ingeniosum atq; argutum in impediendis sacris Mysterijs, & in claritate uerborum tenebras quærere. Habes meam sententiam,

tiam,a qua me neq; Heluetij,neq; Sueui,neq; Picardi,neq; Anabaptistæ dimouebunt unquam. Alios hortari ad eandem possum, adigere non possum. Si quid uero scribendo deliqui,tibijpsi N. imputa,aut uectori potius, qui postridie illius diei profecturus isthuc erat,quàm scriberem. At enim quid elaboratum,& quod eruditis ad palatum faciat, parere una diecula possit? idq; maxime eo tempore,quo uti scis, Saturno, Baccho, Pani, Satyris, Silenis, Priapis, (quando ita maiores uoluere) omnibus denicq; dæmonijs seruitur. Quo inquam Musæa clausa, Fornices aperti sunt, quando solum studium est clamare, buccinare,tripudiare, hinnire, uerti in moriones atque adeo pecudes,& ut Maro inquit:

Expectare dapes & plenæ pocula mensæ.
Quid uero interea secum demurmuret alta
Sede deus,posthac ebria turba scies.

Beatus, qui se immaculatũ a tali conuersatione pseudochristianorum seruauerit. Bene uale, Nos,quod facis, ama. Pro nobis fiducialiter ora. Nymeciæ. Anno

M. D. XXXI.

APOLOGETICON AD I. S. D. in SAXONIA scriptum. An. M. D. XXXI.

CHRISTIANOS HAVDQVAQVAM DEdecere Apologias uel e S.Petro liquet.Nãis non modo ad hasce nos uerbo extimulat,sed exemplo etiam suo inflammat,quando nimirum Archieratiris Hierosolymæ accitus pro caussa cum omni mansuetudine & reuerentia responderet. Et S.Paulum eæ non modo decent,uerumetiam Beatum se dicit,cui ἀπολογῆσθαι contingat apud Agrippam.Idem lætior est,apologiam pro se texens apud Felicem, Idem apud Festum alacerrimus: Atq; hæc in palestina.Iam Romæ quoq; plusculas habuisse sese apologias ad Timotheum scribit. Hic non libet commemorare,q̃ frequentes in scribendis apologijs fuerint prisci illi Ecclesiæ heroës,idq; non pro se modo,sed pro tota etiam religionis Christianæ caussa. Quadratus Apologeticon scriptum Adriano Impera.obtulit: Idem fecit Aristides & Iustinus philosophus ac martyr Amtonino. Scripsit ad alium Impe. Miltiades. Scripsit & Tertullianus ad Cæsares egregium Apologeticon. Scripsit quoq; Eugenius Carthaginensis Episcopus;referente Hierony.apologeticum,scriptum Hunericho regi Vandalorum. Pro se uero peculiariter, ut alios taceam, Athanasius,& Bernar-

Bernardus. Et nescio quomodo optatius longe est, post apologiam cum S. Stephano mori, Adeo, ut si plura per spiculatorem loqui nō liceat, tribus saltem uerbis res cum Zacharia expediatur, qui occidēdus: uideat, inquit, dominus & requirat, Aut cum Attalo illo: Nihil mali apud nos geritur: Quod idē Blandina fortiss. mulier inter carnificum manus proclamarat. Nam, crede mihi, testes super nos erunt gestę rei cœlum et terra. Ego quidē ut mori non abnuo, si commerui, ita unice illud deprecor, ne moriar indefensus. Illud unum: ut Tertulli. uerbis utar: gestio, ne ignoratus damner. Quid enim iniquius, & uobis o principes indignius, q̄ odisse quod ignores, & damnasse quod, ubi audieris, non possis? Parricidæ, latroni, transfugæ, proditori, incendiario, fœdifrago, furi, periuro respondendi pro sese copia datur: Mihi uero qui neq; parricida sum, neq; latro, neq; trāsfuga, neq; proditor, neq; incendiarius, neq; fœdifragus, neq; fur, neq; periurus, facultas purgandi ægre admodum patet. Audit exulem Heliam Achab, Audit Zedechias Hieremiam afflictiss. & Danielē non modo audit, uerumetiam amat Babylonius ille. Assuerus a Mardocheo calumniose traducto abstinet, & ipse etiam Saul Dauidis uicem nonnunquam miseratur. Locus respondendi concedebatur a Constantino Arrianis & Aëtianis atheis, atque adeo ipse

audiebat patiens Aresium in Synodo. Theodosius tolerabat Nouatianos, & idem metu pœnæ potius q̃ pœna (quale de Augusto Ouidius dicit) hæreticos coërcebat. Honorius audiuit disputantem Augustinum & Donatistas, adhibito Notario, Et tribunus Impe. laborauit, ut Gaudentiũ emolliat. Laurentius regis præfectus audiuit disputantem Augustinum cum Pascentio Arriano, atq; id patiẽtiss. An non Adrianus Imper. Minutio proconsuli scripsit: Iniustum esse, ut Christiani nullius criminis rei puniantur? Celebre est illud Nicodemi: Lex nostra non iudicat quenquam, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat. Neq; enim blasphemus ille in libro Numeri, neq; Core factio, neq; Acham rapax uiolenter & indicta caussa periit. Lex est in Exodo: Non assumes famam uanam: Item, innocentem iustumq; ne occidas: Rursus, In iustitia iudica. Prȩcipitator erat Iudas, qui ante produci Thamar ad supplicium iussit, q̃ inquisitio fuisset facta. Et tantillum aberat, quin morte affecta Sosanna fuisset, quando nimirum furore magis q̃ iudicio res gereretur. Dauid cunctator uero erat, qui Ioãb et Semei facinorosos ferre diu potuit, filio necandos. Adeo uerum est, quod dicere Octauius solebat: Nempe, nihil minus principi congruere q̃ temeritatem. Pilatus restat, is dominum accusatum audit non solum, uerumetiam audi-

auditum absoluit, absolutum innoxium edicit, tantum abest, ut damnare debebat, quem ignorabat. Quanquam tandem metu appellati Cæsaris impulsus innocentem hausit sanguinem, nostro bono. Et Nero ipse, Pauli defensiones audit cognoscitque. Vnus ego ad antrum raptus sum cum Syla meo, idque subito, sine iudicio, sine accusatione, sine satisfactione, sine sententia, & raptus a studijs liberalissimis, raptus ab ouili Christiani gregis, raptus a domo honestiss. Atq; hic imploro, uestram nõ dico æquitatem, sed iustitiam, obtestans per salutem capitis uestri, ut me, quem audire ante carceres noluistis, nunc tandẽ patienter audiatis, siquidem spero iam diu sopitum esse impetum illũ, qui ratione & consilio reprimendus erat. Accessi non admodum sollicitus quid aut quomodo loquar, Ipsa enim sese uel me quieto satis denudabit ueritas, Nec spero uos statim offensum iri, si cubi pro caussæ necessitate nonnihil asperitatis inciderit. Malchos istos & doẽgitas & Zyphæos aliquantisper silentium tenere iubete, qui adulantes occlamant, Sic respondes Principi? Si male respondero, si quid præter ueritatem affinxero, si cuius famam nominatim læsero, in Crucem inclementissime tollar. Præterea sicuti Paulus fortunatum se existimabat, q̃ apud Agrippam rerum peritum liceret se excusare; ita ego quoq; nonnihil felix mihi uideor,

cui

cui apud uos facere uerba contingit, qui rerum non solum periti estis, uerumetiam negocio Christiano fauentes, cui quò estis fauẽtiores, tanto ego felicior. Nam hoc ueluti cardine tragœdia omnis uertitur. Principio libens condono, ut Christianum agnoscatis, quicquid in me uestra ex parte commissum est, nec unquam in animo fuit, ius meum persequi. Arma igitur iusta pono. Sed tamen ne ut maleficus passus esse uidear, res mihi ab exordio repetẽda est, nec quicquam, quod ad asserendam innocentiam meam attinet, prætermittendum. Nymeciam ueni, uobis mittentibus. Hoc in cõfesso est. Iam ijdem missum diplomate donastis, in quo mandatur doctrina Christiana citra humani fermenti admixtionem populo tradenda. Quod si minus credibile quis existimet, superest diploma intactum. Huiusmodi dum pro dote gnauiter præsto, ualetudinem etiam meam læsi. Nolui enim committere, ut uestro tam pio mandato non obsequutus uiderer, qui isthuc uel sine mandato uestro facturus eram. Nam qui CHRISTVM profitemur, uel sub Achabis, Antiochis, Neronibus, Detijs eundem profitemur, facie nimirum nostra silicis instar posita aduersus munitiones hostis humani generis. Quod si quid perdimus, nihil nostrum perdimus, nec si occidimur, occidimur, homines beatissimi. Equus itaq; in planiciem suam admissus, &

sus,& a uobis ad currendum, qui ultro currebam, incitatus, sistor. Missus reuocor, diplomate adhuc integro: Nec hoc modo, sed et mulctor. Hoccine seruitij huius præmium? Is ne honos alat pietatem? Vapulet ne seruus, qui regis sui uerbum rite perfecit? Si uapulat, qui perfecit, quid futurum ei, qui contempsit? Ego a primo die quo huc ueni, nihil prius habui, q̃ ut delegatæ prouinciæ pro accepta gratia satisfacerem. Hoc egi unicum, huc intendi uires, huc propendit pectus, ut essem CHRISTI diaconus & œconomus mysteriorum DEI fidus: Atq; hoc, uerbo, oratione, dilectione, uotis flagrantibus, & ipsa denicq; conuersatione. Et, ut insipiẽtius loquar, quandoquidem cogor, uici multos, adeoq; (quod pulchrius uictoriæ genus est) meipsum. Vici primũ destruendi erroris fortitudine, peritia, uehementia, labore. Vici prædicationis felicitate, feruore, assiduitate, constantia. Vici gregis amore, solicitudine, custodia, hortatione, correptione. Vici communis Ecclesiæ Zelo, commiseratione, adiutamẽto, precatione, gemitu. Vici optimarum literarum admiratione, cultura, usu. Vici domus pietate, liberalitate, ordinatione, frugalitate et bonis moribus. Quam oro iactantiam nemo eleuet, Necq; enim est sine plurimorũ exemplo, Adde quod est coactissima, &, nisi hoc loco, nulla uspiam, ut potius alio nomine q̃ iactantia dici

debeat, quę neceſſitate, nõ ambitione fit. Atq; adeo, ſi rem penitius intueare, non ego, ſed DEVS Opt. Max. cuius gratia ſum, quod ſum, iactatur. Sed, quia uolũt, urat inuidulos aliena fortuna. Modeſtius nõ potui, oſor alioqui Thraſonum omnium maximus. His nunc ſudoribus, his uigilijs, his ſtudijs perpetuis hæc merces, hoc ſtipendium. Expectabam ſcilicet dona regia, aurum, purpuram tyriam, honores, & illud: Amice aſcende ſuperius, Sed indotatus altius etiam deſcendere iubeor, & pro theſauro inuenio carbones, proq; perca ſcorpiũ. Sed ô uiri aliud expecto præmium. Veſtrum nolo, nolo inquam quia caducum, ut uos. Volo aut nullum, aut æternum. Alij aurei & coronati in olympia ſtent, Mihi aliam coronam repoſitam ſcio, & aliam gloriam inglorius ſpero, nimirum eam de qua Apoſtolus e propheta magnifice tonat: Quæ, inquiens, oculus non uidit &c̃. Gratuito diſpenſo, quæ gratuito accepi, lacte & lana gregis contentus, hoc eſt, uictu ueſtituq;. Verum hic mihi reſultare uideor Iudaica bile; quam non extingueret urna cicutæ: tumentem aliquem & interpellantẽ: Heus tu, non propter opera bona pateris, ſed alia amice ſunt. Hic hic demũ eſt loquendi tempus, hic cauſſæ iugulũ petetur, hactenus aërem modo uerberauimus. Sed aggredere. Campanum Iuliacenſem hoſpitio fouiſti: In ſacramentariorum gratiam

tiam Marpurgū proximo autumno abijsti: Libros scripsisti & epistolas, non dico quales: Solus sapis. Audis: opinor: primo statim ingressu cordate lector, quid sit rei, ut superuacaneum propemodum sit, huiusmodi diluere. Sunt tricæ apinæq;, et si quid uilius istis. Audis inquam, quo fonte accusatiūculæ istæ manent, nempe Inuidiæ. Sed satius est Inuidiosum esse, q̄ Miserandum. Quibus grauis etiam ad uidendum sum, (cur enim non quod res est, dicam?) eam mihi foderunt foueam, quam utinam ipsi uitare in perpetuum possint. Condono & illis, quicquid hac in re peccatū est, cōdonaturus, si hostilius transacta fuissent omnia. Sed ad defendendum propero, uos æqui aduortite. Idibus Iulij uenit e Vuittemberga ad me nihil minus cogitantem Campanus, Dionysio Brabātio comitatus, quem, ut est uultu præclaro, honorifice exceptum sedere iussi. Mox ille depromptis literis scisitatur de Anthonio, cui eas reddat. Anthonius forte assidet, nimirum a lectione Hebræa. Nam in hoc studio una exercebamur. Literis acceptis resignatisq; legit nobis, a se petere Mauricium bibliopolam, ut Magistro, qui literas reddiderat, euoluendos scriptorum Ecclesiasticorum libros apud Vuernherum de Stechau prospiceret: Hoc sibi fore pergratū. Anthonius annuit, mihi res, quippe literaria, perplacet. Imus igitur unà ad Vuernhe-

rum, Rogamus ut pro ſua charitate codicū ſuorum copiam uiro illi faceret. Is, qui eſt hominis candor, uolumina quinquaginta plauſtro uehēda ad nos curat. Anthonius hominem in ſuas ædes recipit, ſiue q̄ eſſent meis capaciores, ſiue q̄ in altiſſ. ſeceſſu, et idem uictum ſubminiſtrat. Studens mecum ſæpiculę prandet, ſæpicule cœnat, idq̄ carptim: Nam tanta erat illi temporis parſimonia, ut uix horam menſæ impartiret, adeo properabat ad Charites ſuas. Redeūtem in ædes Anthonianas deducebam. Nonnunquam ſuauius nugabamur, nonnunquam ſæuerius diſſerebamus. In conclaue, ubi legebat, nec mihi nec etiam hoſpiti ingreſſus unquam patuit: adeo res ſuas atq̄ inſtitutū nos cælabat, ut ſui etiam nominis erga nos eſſet pertinaciſſ. Harpocrates, nec niſi quando eſſet mox a nobis abiturus, & caſu quopiā nomen Campani reſciuimus. Studium hominis tātum erat, ut diebus Iulij longiſſimis, bonam partem noctis adijceret. Bis nobiſcum lauabat, Bis una rūs deambulabamus animi gratia. Hic cōuerſationis Campani apud nos tenor. Cæterum de eruditione uiri & moribus quid attinet dicere, quum id abunde alij? Ego admirabar hominem, non tantum amabam, quod tot rebus eſſet ornatiſſ. Iam, uir tantus prolapſus in hæreſim Arianam dicitur, & idem negare carnem CHRISTI in pane. Quam famam ſatis ego mirari non poſ-

ſum,

sum, qui lõge diuersa ab eo, quod dicitur, audierim. Nec facile adducor, ut rumusculo illi credam, Qui ut maxime uerus sit, quid quæso ad me? Age igitur accusator fratrum, adesto, neruos omneis explica, et proba argumentis, male feciſſe nos, Campani hospites. Proba, nos reos esse mali dogmatis. Proba, si quid ille a nobis adiutus est. Proba, consentire illi nos. Stamus, nec te refugimus, quantumuis atroces minas spirantem. Audimus, si quid habes: Et hoc audimus confidẽtiores, quo sumus iustiores. Ais illum nos molimina sua non cælasse. Ais proponenti arrisisse applausisseq;. Ais nos illum e Vuittemberga accersisse, ut esset qui cum communem doctrinam refutaremus.

Nunc immensa caui spirant mendacia folles. Nam si eiusmodi de nobis unquam resciueritis, non in carcerẽ mõ, sed in Albim etiã nos proiicite. Ignotus ad ignotos uenit, notos reliquit, sed tñ eosdem. Sua nos cælauit, teste, ut rumparis, DEO Omniscio. Nec applausi, nisi ubi ueriss. diceret, et aliquando ubi rectissime de religionis caussa quereretur. Si hæreticus est, hæreticum Vuittemberga dedit, aut certe Colonia, aut Dusseldorpium, non fecit Nymecia. Hæreticos ego, ut nemo, odi, nec mihi cum horum ullo quicquam conuenit, quotquot unquam fuere, sunt, & erunt: Sed ego contra bene nos feciſſe Campani

hoſpites probabo, idq; ſole clarius. Primum paro-
chos decet philoxenia. Deinde Bibliopolæ, qui ſcri-
pſerat, ut amico honeſta roganti obſequendum. Po
ſtremo docti colendi nobis ſunt, indoctis licet. In
ſumma, quia apud nos ſtudere uolebat, non neoteri
cos & inſulſos doctorculos, ſed eos illi curauimus
Patres, e quibus ſi alioqui nutaſſet, ſtabiliri poterat.
At quos? Non reticebimus. Hilarium ceu uexillife-
rum primo loco pono, cuius opera, curantibus no-
bis, euoluit Campanus. Iam quis Hilario felicius at-
que inuictius in Arium pro tuenda Trinitate ſcri-
pſit? Dicant, qui legerunt. Euoluit & Cyrillum, no-
ſtra cura, qui totum ferme Ioannem aduerſus Trini-
tatis negatores enarrat, & idem librum copioſiſſ. fe-
cit, qui Theſaurus inſcribitur, contra Arianos & Eu
nomianos. Dedimus item antiquitatis auido Baſili-
um legendum. Is an non quinq; libros in Eunomi-
um eiaculatus eſt pro diuinitate unigeniti? Dedimus
& Athanaſium, qui de incarnatione uerbi ad Ma-
charium ſcribit, & in eodem opere diſputationem
Nycenam legit. Dedimus præterea Ambroſiũ, qui
de Trinitate libros quinq; ad Gratianum Impe. con
didit. Et idem de Fide orthodoxa peculiarẽ librum
in Arianos fecit, Item de ſpiritu ſancto alium copio-
ſiſſimum ad eundem Gratianum ſcripſit. Nam is per
epiſtolam rogarat Ambroſium, quo nam modo DE
VS eſſe

vs esse posset spiritus sanctus. Præter istos dedimus Augustinum, qui quãtoties sanctam uindicet τριάδα, nemo nisi qui non legit, nescit, Atq; hoc præsertim in libro cui titulus, de trinitate et unitate DEI. Quid, q; idem XV libros de trinitate composuit? Eiusdem de hæresibus libellum, & item Tertulliani de ijsdem apud nos legit Campanus. Proinde an non benefecimus, tibi malefici? Nos si ueneno infectus fuit, antidota saluberr. misero porreximus. Nos, pfuimus: non obfuimus, idq;, neq; illi, neque Ecclesiæ, neque Principatui. Gladium dedimus, quo excinderet, nõ quo defenderet hæreses. Vbi igitur maleficiũ, quod uinculis plectas? Laudem meruimus, eã nobis in crimen uertunt. O temporis iniquitatem. Quod si de carne in pane lis est, legit idem apud nos Ambrosij libellum de Sacramentis, in quo istud ualide euincit. Legit Cypriani sermonem. Legit Laurentij Vallæ eadem de re, nostro beneficio, conciunculam. Legit Theophylactum idem asserẽtem, ut cęteros præteream. Ais: eosdem poterat autores Vuittembergæ legere. At quis eum inuitarat, ut hic legeret? Si potes, demonstra: Sin minus, quid oggannis? Sed aliud adrudit accusator, quo fortius nihil habet: Nimirũ, principali edicto antea cautum, ne quis id genus homines tecto dignaretur. Respõdeo: Edictum isthuc ualuis nostri oppiduli adprime affixum est. Verum,

quid

quid is hominis est? Hæreticus? Seditiosus? Papista? Catabaptista? Pneumatophorus? Si horum quicquã erat, quis nos præmonebat, ne talem exciperemus? Nam si talem prudẽtes excepissemus societatis non monitionis caussa, ædicto certe uestro principes obnoxij essemus. Sed quicumq; est, imprudentes eum & ignoti excepimus, idq; iusti nomine, non iniusti, ubi ergo iusti merces? Nec hic delituit, ut hostis, sed ut amicus in aperto commorabatur, Nec e latibulo ad nos uenit, sed a Vuittemberga, uenit petens non iniquum quippiam, sed æquiss. honestissimumque. Etenim dic mihi quis hominũ id temporis de Campano male sensit, quando esset in Saxonia? An non in pretio eruditorum magno erat? An non in claritate apud Iuliacenses? An non prædicabatur Coloniensium Sophistarum uictor? Cæterum si nunc, posteaquam erupisse dicitur error hominis, tale facere mus, non mirũ si pateremur? Si condemnatum, proclamatũ, finibus excluſum recepissemus, esset profecto, quod traduceremur inobedientes. Sed hoc ne factum? Quis doctorum eum id temporis, inquam, condemnarat? Quis principum eiecerat? Quis hominum uitarat, ceu publicum hostem Campanum? Mira res est. Quem tota regio tulit, eundẽ Nymecia nõ ferat? Sed mihi tempero. Auditis opinor, quæ affero. Verum unum illud appẽdam, unde liqueat, imò unde pal-

unde palpes, si uelis, quàm non hospitij causſa passi simus. Vos cognoscite. Idem Campanus biennio tum Vuittembergę ante fuit, q̃ Nymeciam uideret, Nec sine hospitio fuit. Hospes uero immunis a crimine est, apud quem sua lucubrauit, Apud nos legit modo aliena, & excerpsit, nec immunes tamen sumus. Illic tot menses, hic unũ modo degit, Illinc scribere ad alios poterat, & ad ipsum alij, hinc nullam cuiq̃ syllabam scripsit. Dicis: Quid hospiti laico cum Campano? At quid nobis? Nos fortasse minus illo conscij moliminis sumus, adeoq; : quod ante testatus sum: plane nihil sumus. Sed hospes ille prior, ad quem a nobis quoq; redijt, uenia dignus erat, quia apud ipsum pecunia Cãpanus, hic gratis uictitauit. Censura colũbas uexet potius, eæ em̃ inermes sunt, & infirmiores, q̃ quæ ulcisci iniuriã possint. In nobis faba cuditur, Is uero, ad quem redijt hæreticus (ut dicitur) insons est, Quasi unus hospes hostis malefaciat tantum, cæteri quorum limina frequentius libentiusq; terit, nõ item. Quod ego non dixerim, ut hospiti illi bono fortasse uiro noceam, sed ut me, qui nihil peccaui, meumq; hospitium a flagitij nota defendam. Rem uno uerbo dicam: Scriptor, non hospes Vuicelius affligitur. Sed de his satis supercq;. Nunc aliud crimen mihi detergendum est. Marpurgum iui, non inficior, At quis uetet? Nũ mihi ęque ac alijs

communis uia patet? Accitus nõ eram, fateor, atqui portæ & non accitis aperiuntur, & Faccham accitus eram, cuius occasione Marpurgum iui, & iui meo, non alieno sumptu, Iui sine ullius hominis damno. Sed hic quoq; aliud quippiam subest, q̃ quod prætexitur. Quis enim hoc inique ferat? Theologorum superioris Germaniæ amicus habeor, & consacramentarius, hoc est, artophagus & œnopotes: Atq; hoc nullo argumento, q̃ quod Marpurgum iui. Igitur o homo quotquot illuc illo tempore ierũt e Colonia, Moguntia, Francophordia (ierunt autẽ permulti) sententiæ illius suffragatores conuincuntur. Nam & ipsi inuocati confluxere. O iudicia odij cæca. Adeo nihil interesse putant inter actorem fabulę & Spectatorem. Dices: Alterutram concertantium opinionem secteris oportet. Imo cum plusculæ hac de re opiniones sint, poterã esse diuersissimus. Qua in re si iniuste ago, repræhendar, Et si reprehendi leuius est, lorarijs tradar. Porro quid credam, quidue sentiam de cœna dominici corporis & sanguinis, secundum ipsius domini uerba ac institutionem, notius plerisq; est, q̃ ut hic repetere opus sit. Quod uero nunc ab aduersarijs Zuuingellis per regionem hanc infamor, eo libentius suffero, quo impudentius ipsi mentiuntur. Sed aliud non habent, quo sese oblectent, quoue inuidiam uestiant, Quum tamen

non

non nesciant primum scripto me testificatum, deinde ore, postremo auditorum citato elogio, Nempe quod in nuditate uerborum domini simplicissimus perstem, atq; hoc, non metu gladij, sed ueritate uerbi adactus. Sed hæc nunc uia est, persequēdi fratres, ut clamēt: Hic Zuuingellius est, Hic Munzerus est, Hic Anabaptista est, non quod sit, sed quod, ut sit, cupiant calumniatores. Quam Stropham qui inuenit, næ ille callidissimus fuerit oportet. Fero, modo prodatur suo tempore, contētus interim dicto isto: Nihil tam occultū, q̄d non manifestetur, Et: Omnes statuemur ad Tribunal CHRISTI. Verum iam diu res exigit, ut arx negocij omnis petatur. Atq; si hic prolixior ero, necessitati non uoluptati imputate principes colendiss. Muto linguæ nodus abrumpitur, & clamandum est, ni ultro perire uelim, Nam plus quam satis est, coartor, uos, ut cętera, attenti audite. Biennium est, quod scripsi libellos duos, idq; non admodum, ut adparet, exacte, pie tamen. Scriptos non ædidi, sed amicis pręceptoribus legendos excutiendosq; transmisi. Mouit uero me ad scribendum non gloriæ fames: quam nulla uia minus parare in Mundo possem: non quæstus spes: quum res sit perquam inuidiosa: non in alios uindictæ studium: quando omnes amo, nec est, quod in quemuis ulciscar: non sapientiæ aut eruditionis prærogatiua:

quippe qui norim & indies addiscam melius, me nihil scire, præter CHRISTVM crucifixum: sed mouit non æstimãdus dolor. At cuius rei? Cuius? nisi Christianæ Ecclesiæ, cuius insitum membrum sum, nunquam neq; in hoc sæculo, neq; in futuro auellẽdum. Mundi dolor ualeat, Hic meus secundum DEVM est, testibus etiam inimicis. Verũ non doleam, quum ita se misera habeat? Si non doleam, non sim merito huius pars, Si non pro ea scribam, insyncera pars sim oportet. Vertunt mihi uitio quidam, quod scripserim, At ego illis uitio uerto, quod ipsi nequeant, aut quod si queant, nolint, ne lædant. Quòd si quęrant, qua authoritate scribã, Interrogabo & eos ego, qua nimirum authoritate ipsi sileant, conniueant, ac tolerent omnia ad extremam usq; turpitudinem. Aut, si hoc minus quadret, interrogabo qua nam authoritate tot ueteres olim episcopi, quando florẽtior erat Ecclesia, scripserunt? Dic quæso, Nonne qui prædicandi authoritatem habet, idem habet & scribendi? Aut, si unus & alter duntaxat scribere debet, unus et alter quoq; prædicare debebit? Ore prædico, digito scribo, an non idem ego? Illud fit populo mihi concredito, hoc uero uel mihi uel fratribus procul dissitis, uel etiam populo, cui antea in uerbo præfui. Peccat, quæso te, qui popellum relictum scriptis confirmat, aut, si sit opus, emendat? Peccat, qui scripto libel

lo patrem

lo patrem ſuum, a quo longe abeſt, ad Chriſtiani-ſmum inſtituit? Peccat, qui ad fratres doctores mittit themata, qui diſputatiunculam, qui exhortationes, qui præmonitiones? Si ſcribere piaculum eſt, recinde mihi manū, ſi loqui, linguam. Vtrumq; enim mihi ad id officiū diuinitus conceſſum eſt, nec utroq; ſecus uti aut utilius poſſum. Atq; utinam membris omnibus Regnum DEI promouere queam, non lingua tantū ac articulis. Sed acrius oppugnabo. Quid eſt inuiduli, quod me tantopere ſcriptionis cauſſa afflictetis, qui nullum unquam in uita iota ædidi? Fuerunt, qui rogarūt. Sunt etiamnum, qui ad publicandum urgeāt. Renuo, cauſans partim tenuitatem meam & infantiam, partim rerum imperitiam, partim obtrectatorum iniquitatem intolerabilem. Cōmitto æditiones Herculeis illis, quorum tamen nonnulli plus æquo ad ædendum præcipites ſunt, Et quo in faſtigio altiore ſunt, hoc facilius atque incogitantius ſcriptum ſuum extrudunt, dignum nōnunq;, quod in nonū prematur annum. Nam (ut ille admonet)

Membranis intus poſitis delere licebit,
Quod non ædideris, neſcit uox miſſa reuerti.

Et (ut alius ſcribit) cunctatio noſtra aut quod indignum æditione, dum ſæpius retractat, inueniet, aut dignum, dum idipſum experitur, efficiet. Atq; o utinam eò tādem ſanitatis ueniremus, ut & cautius ſcri-

beremus,& contatius æderemus. Nunc dum Bibli-
opolas ditare festinamus, & nos ulcisci, Ecclesiam
DEI paupereſcere cogimus, Mũdi principes exaspe-
ramus, discordiæ facem incendimus, populum ob-
ruimus. Sed ad rem. Dic igitur in quẽ peccarim scri-
ptor qualiscunq;. Audis me ædidisse nihil. Quod si
maxime ædidissem aliquid, in quẽ tum, rogo te, pec-
cassem? Si nihil ab ullo uspiam ædi debet, age, decre
to Imperiali caueatur, aut, quod satius esset, dicatur
quare id nulli liceat, nisi uni aut alteri. Tametsi ego
ab æditione hactenus horreo, intelligens nimirum,
quantum ea in re sit periculi. Præter omnia, illud
ubiq; & semper uitaui, ne nomen meum libris affi-
gerem, non quod pudeat me illorũ, aut quod diffite
ar, sed quod modestiæ studui: Nam & M. Tullius
eos gloriæ cupidos dicit, qui libris nomen suum in-
scribunt. Quorsum autem uenditarem nomen ob-
scurissimi infimi hominis? Scimus cuius nomen uẽdita-
re nos oporteat. Ad ultimum, nullum unquam te-
runcium autori suo attulere scripta mea, quantum-
uis alij inde abundent, sed mercedis loco carcerem
nactus sum, Pro quare CHRISTO meo satis agere
gratias, tam non possum, q̃ libenter uellem. Sed atti-
net, ut dicam, quales libri sint, quos scripsi, quamuis
apud eos extent adhuc, quibus nuncupaueram. Bini
sunt, eadem de re, nempe de Ecclesia. In altero sub-
moneo

moneo quid in Ecclesia CHRISTI desyderem, quidue tolli e medio cupiam. In altero in memoriam nobis reuoco primæue acta, cum quibus hodierna confero. Vterq; liber perexiguus, styli mũdioris q̃ comptioris, hoc est, parocho dignus. Rem eandem multis ac uariis Epistolis ad fratres tractaui in sexennium, item & transmissis dialogis, axiomatis, & nonnullis exegeticis. Operæ non pœnitet, nec olei. Est, qui repenset reddatq;. Alter horum, quibus iudicandos libellos misi, respondit, probãs animum meum iuuandæ Ecclesiæ cupidum: his enim uerbis utitur: nisi quod minimam scriptorum portiunculam refellit, ego contra defendi missa post epistola, quæ, utinã probe excutiatur. Alter tacuit, at cur nescio. Pyrrhonium seu Academicum esse illum putabam primum, nec sui iudicij prodigum, sed tandem suo tempore patuit uulnus, quod sub pectore aluerat. Porro res ipsa dilucidior est, q̃ ut ulla literula in dubium pijs uocari possit. Nihil ibi meum est: Quod lego, testor: Quod uideo, queror: Propono modestissime: Subijcio, ut decet discipulum. Quo magis miror, cur tanto in odio sint innoxiæ chartæ. Quod submonui, feci non sine exemplo. Nam & olim scriptis monuere inferiores Episcopi ipsum etiam Pontificem Rom. Victorẽ. Monuit & Hieronymũ Domnion, & Petrum Paulus. Augustinus uult a puero doceri.

Poëta

Poëta dicit aſpiciendum, etiamſi cęcus iter mõſtret,

Atque holitor ſæpe eſt magnis ueriora locutus.

Et profecto tempora ea ſunt, ut uel optimũ quenꝯ pudere non debeat, ſi ab alio ſubmoneatur. Scripſi miſiꝯ meliore animo, q̃ acceptum eſt, nec iritare potui eos, qui ſibi CHRISTVM prę ferunt, & diuina humanis: Cæteros ſanet placetꝯ ſpiritus ſapientiæ. Duriora aliqua ſunt, nõ inficior, ſed carni. Pugnant cum mundi rectore, cum flagitijs fœdiſſ. cum moribus corruptiſſimis, cumꝯ ethnicis factis. Verum tanto precioſiora Chriſtianis eſſe debebant. Appello igitur uos doctores, imò appello a uobis ad conſcientiam ueſtram, probare ne hunc, ut apparet, Chriſtianiſmum poteſtis? Videtis, uidetis inquam, q̃ indecora Eccleſiæ confuſio, q̃ miſerabilis, q̃ deploranda. Videtis, quanto interuallo a ueteri diſcrepet, q̃ ſui diſſimilis, q̃ mutata ab illa priore. Videtis, ſcio, nec negatis. Quod ſi ex animo negatis, ex animo multa non ſcripſiſtis. Appello iterꝯ conſcientias ueſtras. Intelligitis quid gemam miſer. Eccleſiam CHRISTI, ſponſam ſine macula, in ueterem dignitatem uindicari cupio. Hanc in ſinu cum ueſtro, tum omnium deploro, hãc ardeo, hanc ſomnio, in hanc omnia mea ſtudia collo co. Ah ne o patres contemnite homuncionis conſilium, Ne ridete querelas quas toties itero. Cur refugitis CHRISTVM in membro ſuo? Cur illi infecti eſtis, qui quod

qui quod Euangeliū prædico, in usum Ecclesiæ uersum libens uiderem? Qui uerbis facta adiungi cuperem? Quicꝙ huc laboro, ut meliores Christianos, ut doctiores pientioresꝙ presbyteros habeamus, ut DEO seruiatur rectius atꝙ instantius, ut exulēt probrosa illa uitia, ut nō ita blasphemetur Nomen DEI Sed contra glorificetur, ut plures Ecclesiæ consotientur apud exteros, ut simus quod audimus, ut cum meliore conscientia omnia aduersa perferamus, atꝙ hinc promptiores emigremus in domino? Talis nūc male audio, & quidem maxime, At quam ob rem? Tacent. Imo talis male audire gaudeo, & quidē maxime, At quam ob rem? Quod sciam, Regnum cœlorum meum esse. Ego nihil mihi sumpsi. Vobis modo proposui, ut uos, qui pares estis, exequeremini. Si me ferre non potestis sanum doctrina & uitæ innoxiæ, quî feretis me alium. Videtis principes accusationes uanas non posse consistere. Nimirum, quod nihil maleficij in Cāpani hospitio est, nihil in libris, quos feci, sed plurimum in utroꝙ officij. Hospita domus innocua est, etiamsi Campanus posthac bipedum omniū adeoꝙ cacodæmonum nequissimus sit. Et libri casti sunt, si iusto iudicio, non secundum aspectum præsentis status, sed antiqui iudicentur, q̄tumuis mihi male uertat, quod scripsi. Adeoꝙ quia mihi male uertit, castissimi sunt. Nam hæc est pietatis

fortuna. Vtilius illud, quod quis deridet, q̃ quod probat & ueneratur. Contemnunt consiliũ DEI contra semetipsos. Hactenus deleui maculas, sed apud uos. Vulgo enim adhuc non ater modo, sed & aterrimus sum, CHRISTO gratia, cuius nomine patior. Porrò operæpretium est, ut in fine audiatis tragœdiam ipsam, hoc est, quomodo nos tractarint Prouinciales homines, atq; eos ἀκατακρίτους. Fas enim piumque est, huiusmodi narrare uobis. Phorologus prouinciæ nostrę acceptis a Celsi. uestra literis, ilico Nymeciam uenit. Nec mora, accersimur Anthonius & ego in pantodochium, imo rogamur, ne graue nobis sit adire, ceu amicum phorologum. Nos nihil suspicantes unà imus, salutamus, iunctis dextris excipimus. Iubemur assidere, Assidemus. Homo uero is longe tristiss. erat, & uultu auerso demissoq;, Vnde tandem, siquidem præter morem eius hoc ipsum esse sciremus, aliquid subodorabamur. Præterit sesqui hora, nec dum inuenerat uir anxius, qua commoditate nobis ducales literas manifestaret. Tam difficile est, eos qui in laude hominum bonorum sunt, adoriri, maxime, si tibi quoq; probentur. Tandem sumpto animo audet, promit mandatum manu tremula, corde saliente. Præstruit, ne in se culpã mali ullam transferamus. Mandatum exhibitum ipsi legimus, lectum reddimus, & prima uox, testantibus qui aderant,

rant,quam dixeram,erat, DEO gratias,cuius beneficio pati oportet,ut alia prætermittam. Quibus Anthonius excitatus multa egregia ad rem & ipse loquebatur. Ingenue fateor terrore primo statim aggressu perculisse nos satanam,quia homines sumus, sed quo propius nos inuadebat, hoc fortior nobis creuit animus, & quo pressius eum aspiceremus,eo magis ceu inualidum contempsimus, freti nimirum optima conscientia. Mox, ut phorologum cura sua leuarem, data dextra iuro me illi condonaturum, quicquid in me esset principis nomine admissurus, Nec hoc solum, sed amaturum etiam uehementius. Dum hæc inter nos aguntur, complet oppidulum totum rumor.Nos e domo digitum latum non eximus. Porro quoniam mandato præter nostri corporis afflictionem, præcipiebatur etiam facultatum nostrarum animaduersio,& præterea mearum lucubrationū direptio, protinus missum est in ædes meas,& allati sunt duo illi libri, de quibus supra dixi,et fasciculus epistolarum fratrum doctiorum ad me, quem mihi hoc libentius adimi passus sum, ut uel hinc cognosceretur, quid de me alij sentirent, homine tam damnato, totq; diris deuoto. Ego interim magis obfirmor, & quasi dura silex a domino ponor,& : absit inuidia:sicut mons Zion, nihil ad cuiusuis gemitum,lachrymas, ac querimonias cōmo-

ueor, sed: quod magis mirere: monendo urgebam, ut uincti aueheremur, priusq̃ rumor magis inualescceret. Vbi uidebatur prouinciali, domo egredimur ducti sine ui. Concurritur undiq; ad spectaculũ longe omnium insperatiss. Vbique admiratio, stupor, indignatio, fremitus. Eximus oppido alacres nos, plorantibus & ijs a quorũ latere incedimus. Egressos expectat currus cum quatuor custodibus. Hunc ascendere iubemur. Ascendimus. Ascẽdens ego Nepotem meum in pauida turba forte conspicio misere flentem, cuius miseratio ad lachrymas primas me permouisset, ni deflexissem ab eo uultum, & uirtutis memor eum ex animo eiecissem. Neq; enim id horæ nosse ex consanguineis quenquam uolui, Pater hic nesciebam te, nesciebã uos quotq̃t estis propinqui, Imo etiam odi, quod scirem mihi esse impedimento uestri tum amorem, tum recordationẽ. Sed pergam. Quum sedisse nos uector uidet, citatis equis abripimur, Tum ego quasi exultans & plane effusus brachio in altum iacto: Sic o fic inquam, pridem noui illud: Veritas odium parit. Vix a loco prouecti, uidemus quatuor alios, equites nimirum, qui expectatos nos excipiebãt. Atq; ita cum gladijs & fustibus tanquam latrones deducimur miliare maximum, quod nos uel sermone mutuo, uel pia cantione, uel risu etiam suaui dimetiebamur. Nonnunquam uersi ad comites

mites familiarius eos, non ut captiui, sed ut liberi, al-loquebamur. Nonnunq̃ apud me bene precabar domui relictæ. Etenim illi plus q̃ mihi timui. In castrum deportati, iubemur currum descendere. Descendimus. Mox aderant ministri, qui acceptos in turrim altiss. tenebrosiss. putriss. deiicerent. In qua quid prima statim nocte perpessi simus, DEO uni esto cognitum. Sed interim bona nostra: ut et domus una cum dominis suis quaterentur: promi iubẽtur, numerantur, adnotantur, non sine maximo familiæ dolore ac luctu. Putabant se Barrabas, Verres, Sinones, Clodios habere socios coniuges, Tantus feruebat phalarismus in Christianismo. Sed condonamus, scientes & nobis condonari à DEO. Cæterũ carceris incommoda in animo non est describere, siue quia luctuosum omnibus & auditu triste est, siue quia Christianius est, huiusmodi nos citra iactationẽ & quasi mutos perpeti. Locus erat sceleros paratus, quorum nos tametsi sceleris nullius nobis essemus conscij, animos & cogitationes sensimus. Hic tremor tormentorum, horror ignominiosæ mortis, solicitudo adimendorum bonorum circumdare nos nũquam destitit. Ad cuiusuis accessum stupor, ad cuiusuis uocẽ metus miseris incutitur. Hic nullus non dies esse ultimus putatur, & ipsæ etiam noctes sine eo horrore non transiguntur, quum nesciatur noctesne sint illæ

an dies, dies an noctes. Ibi, ut ille ait, alternant ſpeſque timorq; fidem. Cogitatur deſmoterium cœmiterium fore, & mors ſemper in oculis. Sed nolebam tale comminiſci. Quare de his amplius uerbum non addam. Illud faciet ad ſummi DEI gloriam, ſi non diſſimularo, q̃ præſens, q̃ efficax, q̃ commodus, breuiter q̃ plane id quod de eo ſcripturæ omnes teſtantur, noſtræ infirmitati adfuerit huius Paracletus, adeo, ut quod corpori carcer, animę eſſet Myrotheca. Quid dicam? In paradiſum commutabat ille nobis publicam cuſtodiam. Rides? At nouit ille, quem iacto, ſi mentior. Mihi equidem ſæpe lapides Smaragdi eſſe, & ſtramina holoſerica uiſa ſunt. Iş eſt trãsformator DEVS. Miraris. At quid ſi perſentires motus illos beatos animi tui, ſi raptus, ſi dilatationes, ſi exultationes, operatore DEO? Cuiuſmodi ubi quęſo plenius, atque in carcere? Nam is demum locus eſt, in quo ſuam exercere uim gaudet Orphanorum & deſtitutorum pater. Hic nihil libuit, niſi precari, laudare, gr̃as agere, admirari, magnificare, & quod omnes mirabantur, canere DEVM Optimum Max. Lumine conceſſo legebantur ſacra Biblia: Ea enim per quendam immiſerat DEVS: at quanto fructuoſius quàm domi? Hæc demum DEI ſchola eſt, hoc templum. Hic ipſe ſeſe docet. Hic cognoſcis ac ſentis adeoque palpas, nõ ſolum diſcis, hic experiris, quod

ante

ante audieris. Hic completur, quod foris docetur. Et ô admirabile DEI Optimi consilium. O in sempi ternum prædicanda bonitas. O amatorem nostri ualidiss. Nobis hic, si unquam, benefecit, & sui in no bis hic, si uspiam, dilectionem incendit, seseq; cordi nostro mirifice impressit. Cuiusmodi ipsius opera cur non iactemus? Atq; utinam de re pleno ore disse rere liceat? Et quid nobis felicius erat, qui tot & tan tos habebamus carceris socios? Neq; enim soli in lo co isto inferno iacebamus, nec soli opprobriũ istud sustinebamus. Assidebat nobis Ioseph pr̃iarcha, me retricijs technis oppressus. Assidebat Micheas pro pheta ob mordax uer̃ huc coniectus. Assidebat Hi eremias, q̃ dixisset excisum iri omnem regionem, ni uoci domini obediat. Assidebat Bap. Ioannes, q̃ fer re non posset turpitudinem. Assidebat Petrus ap̃us q̃ medullitus doceret, per q̃ saluus fias. Assidebat de niq; Paul. ipse tam frequens, ut plures, non unus esse nobis uideret. Verũ, cur is ad id supplicij depressus erat, indicant huius literæ. Quod sanctor̃ commer ciũ inuideas nobis citius q̃ credas. Bone DEVS, q̃ sua uis familiaritas, q̃ exoptanda consuetudo. Hos quis in antro tam fœdo q̃sset? Multa p̃termitto, quæ his de rebus pro merito referẽda erãt, ni aurib. fessis con sulerem. Tandẽ audita innocẽtia nr̃a emittimur, nec tamen liberi. Dedimus senatum populumq; ac nobi

litatem:

litatem: quam uocamus: obsides. Præterea ne nihil esset, uocamur e specu squalidi adhuc & plumosi ad cognitionem. Rogamur., num ea scilicet credamus, quæ totum octennium summa cura ac pari fide publice docueramus. Ea inquam rogamur, quæ nullus e nostris puer uel nescit uel negat. Heu quàm humile erat, q̃ indignum, huiuscemodi nos rogari. Et si fas est dicere, grauior mihi fuit illa scisscitatio, q̃ carcer. Heu me infelicem inquam, qui a tot studijs ac uigilijs, tam serio, de re toti orbi ipsis etiam Indis & Sauromatis longe omnium manifestissima rogor. Heu ut tæduit me laborum meorum: Vt puduit uitæ etiam huius. Ah cur non ante trucidabar, q̃ de mea fide tam pessime sentiretur, idq; apud amicos, inter fratres, & testibus ijs quibus quatrienniũ in uerbo præfueram. Repeto, carcere grauior erat interrogatio isthec. Erat toti Saxoniæ cognitissimum, quid de fide orthodoxa sentirem. Sed & hoc condonamus, et quidem facillime, scientes nos suspitione, non ratione multatos, hoc est, ἀναιτίους. Et licet dicant: Dolendam uenire pœnam, quæ indigne ueniat, nobis tamen hoc minus dolenda ea erat, q; indigne ueniret. Quæ enim alioqui gratia, iuxta Petrum, quæ laus? Quid, quod pœna non est, teste Cypriano, cũ CHRISTO iacere? Gaudentes igitur, non dolentes imus a Senatu illo inquisitore, & nostris reddimur læti lætis, non

tis,non tam ob hoc quod uiueremus, q̃ quod uos o principes manus seruasſetis a noſtro ſanguine puras. Nam ſi erat inhumanum, incognitos premere,ſi iniquum inſontes affligere, ſi crudele Chriſtianos perſequi, q̃ putas inſanum fuerat, presbyteros & eoſdem benemeritos occidere? Sed tale in ueſtrã Celſi. non cadit.Porro nunc a carcere flagellis horribilib. ſubinde cædimur,dum huic hæretici, alĩ prophetæ uæſani,alĩ ſeditionarĩ, alĩ aliud ſumus. Nam quia carcere damnati fuimus, aperta eſt cuiuis feneſtra, quiduis de nobis ſuſpicandi, inq; nos quiduis torquendi.Nunc demum licet cuiuis nobis maledicere & detrahere ceu merito damnatis. Vno in nos iacto lapide, omnes iaciunt, omnes obruunt, omnes calcant ceu peripſemata.Et quis nos ulciſcetur? Nemo. Propter probitatem, inquit, carcere frenati iſti non ſunt. Niſi enim nocentes fuiſſent,haudquaquam traditi fuiſſent.Pendet de manu noſtra uipera,omnino igitur homicidæ cum Paulo ſumus. O miſeros iudices. Sed uidebunt in quos mortiferæ ſuæ linguæ tela torſerunt.Incommoda uero hæc trahit ſecum carcer: Poſthac doctrinæ noſtræ hac in regione exiſtimatio parua eſt, utpote eorum, quos ut maleficos plecti oportuit.Iis quis credat? Deinde læſa eſt fama noſtra grauiſſime,tametſi hoc parui ducimus. Habemur enim ĩ, qui non ſumus, & quicquid unquam

uel optime geſſimus, in ſuſpitionem amariſſimam rapitur. Pręterea malum exemplum inductum eſt, ſed hoc nihil ad nos, Viderint alij. Adhæc mœrore affecti boni ſunt, quos DEVS mœrore non afficit, Impij homines lætificati, Infirmiores offenſi. Poſtremo retuli ipſe mihi e fœtore illo infirmitatulam, & ſcabiem moleſtiſſ. homo alioqui non admodum firmus. Sed & hoc perexiguum eſt, imo nihil, ſi commoda adnumerem, quæ inde interiori homini meo acceſſerunt. Fama terram impleuit mendaciſſima, & in dies etiam mẽdacij uires acquirit eundo. Illud peruulgare iactatur, nempe quod ſim αἱρεσιώτης. O extremam omnium iniquitatem. Huic uero famæ anſam prębuit libellorum ademptio, quos eſſe hæreticos conſtantiſſ. rumor increbruit. O tempeſtatem uel oñi mortis genere effugiendam. Age, ſi quid ſcripſi hæreticum, probetur. Ego uerbis meis ſto, nec ullius hominis authoritate a recto curſu depelli me ſinam. Si hæreticus depræhenſus fuero, ſi factioſus, ſi nouus dogmatiſta, ſi nouus legiſlator, ſi malorum inuentor, nihil ſupplicij recuſabo. Quod ſi orthodoxus, ſi unitatis amans, ſi doctrinæ apoſtolicæ ſectator, ſi legis dominicæ aſſertor cognitus fuero, quid præmij auferã? Appello iudicium Eccleſię Chriſtianę, id quod ſi nõ continget, appello DEI ineuitabile infallibileq; iudicium. Interim permanet in uoto mẽs mea firma ſuo,

& cathe

& cathena infamiæ circundatus cum Paulo incedo, sperans fore, ut ea, re exactius cognita, tollatur. Si enim quid cuiquam nocui, mori non recuso. Si uero horum nihil feci, quę mihi impingunt, nemo iure potest me illis tradere. Attamẽ in manibus uestris sum, facite quod bonum est in oculis uestris: sed illud scitote, si me occideritis, sanguinem innocentem effuderitis contra uos metipsos, & contra regionem istam. Mihi minimum peribit, imo accedet regnum cœlorum, & nomen ab æterna posteritate feram. Mors: ait quidam: misera non est, quæ ob Rempub. capitur: at quanto minus misera, quæ ob Ecclesiam capitur? Quare causam iudicate, & ita facite, ut qui in alios integri estis, ijdem quoq; in nos esse uideamini.

DIXI.

A. C. S. P.

LEGISTI, OPINOR, LIBELLOS ISTOS lepidos, qui iam a Paschate per Germaniæ regiones gnauiter circumlati, a nemine nõ lectitantur. Tres ædidit primas Sectæ, unum huius aduersarius. Si legisti, miror, quo modo fueris adfectus. Diuinabo, quid senseris inter legendum, Nempe de gloria certatur. Attigi? Sic me Seruator amet, hic est rei finis. Vterq; pro se pugnat, sub prætextu

CHRISTI & sponsæ. Alter nihil non facit, nihil non audet, ut cœpta constabiliat. Alter uidetur sibi sponsæ placere, quam ob rem nihil relinquit intentatum. Bene quidem ille, si præter sponsam nihil plane quæreret, & tam pro re ipsa, quàm pro umbra rei dimicaret. Vterq; uereor, cæcis oculis belligeratur. Atq; hoc faciunt tot & tantis conuitijs, ut certauisse uideri possint, uter maledicendo uicerit. Plus ego furiarum in uita nõ uidi. Nullę Chimærę, nullæ Gorgones, nullæ Eumenides, credo, fuerunt apud inferos, quando isti libelli cuderentur. Conuitium conuitiũ tangit, sanna sannam. Scriptores istos præ ira, præ odio, præ ardore ultionis scio apud sese non fuisse. Vterq; cogitauit, Age, depingam mihi illum, adeo ut fabula toto foro fiat. Vnde studio accersere etiam oportuit, insolita & grandia conuitia, plausibiles irrisiones, atq; extrema uituperia. Quis unquam huiusmodi legit, uel apud gentiles? Quid poterat fingi hostilius, quid atrius, quid uirulentius, quid scurrilius istis libellis? Quid quęso sanum, quid æquum, non enim dicam Christianum, scribi ab illis potuit, quorum fera corda rabie tument? Si dolori non habenda fides est, quanto minus liuori? Multa de Theonis, multa de Bionis maledicẽtia ueteribus prodita sunt, sed blanda illa fuerit, si eam cum nostra Theologica conferas. Ipse uide, quid de eiusmodi milibus

litibus fidei existimes. Iam conuitiorum immanium multitudinem uincit uindictæ desyderium, quo uterq; tenetur. Nam uterque gladios, bombardas, exercitus, seditiones, cædes spirat. Pacem ore quidem ferunt, sed ita accẽsi sunt ira, ut deletos cupiant omneis, quotquot suæ parti non accesserint. Aliqua ex parte prę se fert stylus, quod palã non ausint confiteri ob suam professionem. Alter sperauit in Augustano conuentu caussam suam promotũ iri, id quod quoniam factum nõ est, totus furit. Alter etiam sua quadam spe frustratus. Nam is putarat fore, ut Principes & Ciuitates a Luthero ad Impe. Roma. transirent, minis Cæsareis adacti, quod & ipsum factum non est. Ille bellum Sectæ gratia suscipiẽdum dissuadet, sed sic dissuadendo, bello uiam facit. Imo dissuasor Imperialis belli, accensor seditionis esse pro secta fere uidetur. Quid eñ aliud uult Zischa Bohemus, & Iudas Maccabæus? Multa premo, quę ipsum tempus proferet. Lutherus ille, qui se iactat Euangelistam, CHRISTI crucem his in libellis (quod in alijs quoq; fecit) plane reijcit. Pati recusat Apostolus. Quod si pati oportet, non solus pati decreuit. Vult uerbi crucis præco, ut persequutores e strage nõ sicci redeant, adeoq; sperat futurum, ut toti intereant. Fieri debet, quod scripsit Vergilius:

Cędebãt pariter, pariterq; ruebãt Victores uictiq;.

Res est mire misera. Homo DEO sacer ex animi impotentia tantum non arma amens capit. Caussa iracundis conuitijs cœpta est, conuitijs furialibus protrahitur ac defenditur, uereor ne ferro finiatur. Magistri caussæ huius iratissimi semper fuere, populus his adhęrens, motuum studiosissimus, & uix paucos tam in Magistris, q̃ in populo reperias, qui si liceret, per potestatem & uires, Papæ regnum non funditus euerterent, ut absq; cruce scilicet securi posthac ipsi uiuant. Nec illis hic deforent scripturæ sacræ, cõmisso licet scelere, quibus factum cõtegerent, ut sunt egregie Amphidextri, ualentes quiduis Euangelio tueri. Tu scribes, si forte diuinãdo aberraui, quę ipse sentias. Spectat res ad exitium Germaniæ, Nulla salus bello, pacem te, o CHRISTE o rex pacis, poscimus omnes. Hac uia tui olim Apostoli non plantarunt Euangelium. His modis non fundarunt Ecclesiam. Succurre laboranti Christianismo, ruit mole sua, ni adsis unus Atlas. Serua nos IESV fili Dauid, Serua fili DEI, Perimus. Vale. An. M. D. XXXI.

M. P. Q. S. P.

IPSE FRANCVS OBTVLIT SESE VLtro grammatophorum ad uos Rhenanos. Gratiss. fuit istud, uel ob id, ut eo citius libris Cornelij Taciti fruar, quos is, uti spero, asportabit. Tu

bit. Tupræstabis quæ rogaui, imo obsecraui. Carcer tibi celebrandus est, Nam est ea res, quæ stylum requirat. At mentem istam ut exuas consulo, Subodoraris nimirum quid premam. Atrox negociū est, & diuina ultione dignum. Sin nolis meū sequi consilium, perdes quæ passus es, & causſam exasperabis in caput tuum. Sapientia est, pati. Hæc mea esto sententia. Mitto uersus, hoc est, memoriam quandam apud te cōmunis HESSI nostri. Sed uereor ne, quēadmodum ipse mali huius nūcius eras, ita malos uersus, a perturbato ob malum, prece auferas. Vale. Nymeciæ. M. D. XXXI.

EPICEDION IN FATVM
Henrici Hessi.

Laurea defleto Mystam, Toga plangito Mystam:
Tuq; uelis lumen plangere Lude tuum.
Proh misere extinctus, proh laudatissimus Hessus:
Suauius hoc uidi candidiusq; nihil.
Hessia Mercurio patrio caret, orbis amœno
Vate, Schola auxilijs, ipsus Achate, dole.

EPITAPHION Eiusdem.

Pieridum cultor, Ciceronis amator, utrumq;
Perbelle: insano flumine merse iaces,

Exaturare

M. P. Q. S. P.

EXATVRARE ANIMVM MEVM IN TA-
cito & Max. Tyrio uix potui. Percurri o-
mnia uerius, q̃ legi. Alienis em̃ libris ceu su
is diu immorari, inciuile est. Excerpsi, quæ uolui. Co
dex ad uos redire gestijt, & spero eum iam redijsse il
læsum. Sed quid de Budæianis pandectis dicam? Bo
ne DEVS, quod mare rerum, quod penu eruditio-
nis antiquissimæ solidissimæq; ? Videbar mihi scili-
cet polyhistor quidam e lectione Chiliadum & An-
notationum Erasmicarum diligentissima, præterea
Plinij ac Gellij. Degustaram tot alios, tum palæote-
ricos tum neotericos Cõmentarios, Exegeses, Scho
lia, Coaceruationes, Indicum promptuaria &c. Sed
ubi incidissem in Budæum elementarius tantum nõ
puer eram. O fortunatam literarũ rem, talibus, hoc
est, tam diuitibus, tam instructis, tam sæueris adiuto
ribus. Nihil illi uiri abstrusum non eruunt, nihil mu
tilum non restituũt, nihil deforme, horridum, pere-
grinum, huius sæculi auribus non expoliunt: Adeo
nihil propemodum est nunc in tenebris, quod sciri
possit aut debeat, p̃sertim in re literaria. Et est adole
scentes, omnino inquam est, quod uiros literaturæ
politissimæ uindices, amore simul & honore prose-
quamur sempiterno. Vetus & calamitosum sæcu-
lum, qua omnia diruta iacebant, abunde ꝟꝺ exibi-
latum

latum mussat, atq; adeo disperit. Defossa est Barbaries, expulsa inscitia, fracta nugandi consuetudo. Eò uidelicet profecit Antibarbarus Erasmus, uno saltẽ libro ædito, quid futurum, si reliqui quoq; sequuti fuissent? Beneficium tam grande exuperansq; DEO Opt. Max. soli debemus. Nam eo usuros præscijt ad pietatem pios. At uiri quorũ isthuc effectum industria ac opera est, in memoria nihilominus esse bonorum omnium debent. Quam laudẽ merentur Italica ingenia? Quid illa renascenti humanitati nõ contulerunt? Paucos e multis, amore simul & gratitudine sic exigente, nominare libet, Celebrentur omnium literis & euehantur iustis laudibus: Gaza, Syluius, Vallæ illi, Lætus, Sabellicus, Barbarus, Agricola, Politianus, Philhelphus, Mirãdula, Ficinus, Bæssarion, Faustus, Cœlius, Mantuanus, Omnibonus Leonicenus, Tortellius, Torrentinus, Mapheus, Vergerius, Chrysoloras, Franciscus Barbarus, Camaldulensis, Pontanus, Blondus, Palmerius, Guarinus Veronensis, Calderinus, Raphaël Regius, Landinus, Celtis &c̃. ut obiter prætream Trapezontium, Aretinum, homines non maximi solum nominis, uerũmetiam maximos. Transeo item prudens Crinitum, Perottum, Abstemium, Cosmum Pacciũm, Asulanum, Hadrianum Cardinal. Liburnium, Vuimphelingum, Omittendi plane nõ sunt Aldus,

M Capnion

Capnion,Beroaldus,Crocus,Brassicanus, Longolius,Huttenus,Mutianus,Cæsarienſis,Moſellanus, Pyrckeymerus,Amorbacchĩ,Ceporinus, Trebelius, Philomuſus &c̃. Nam eos modo καταλέγω,quorum præſentiam mors ademit,at famam reliquit. Vi ui hac pia recordatione nondum indigent, quos & ipſos tamen omneis in animo geſto, ac impenſe diligo. Ablati uero illi a terris, uel ob hoc libentius per occaſionẽ mihi reuocati in memoriam ſunt, ut eſſent ὑποδείγματα ſuperſtitum: Vtq; ĩ ſuperſtites, quos nemo non nouit, nomenclaturis Heroum tãtorum ferirentur,ne: ſi qui faciunt: illis inuidere fruſtra pergant,& ut pudefacerem,qui illorum pro ſuis uenditant ſudores, ſceleratius dicam an impudentius. Debet illis Europa renaſcentiã ſcholæ latinæ,& omnes fere iſti, quos tumultuario recenſui, intra hoc ſæculum uixerunt,Romani,Florentini,Veneti, Germani. Vtinam plura monumenta talium procerum nobis per temporum mutatiões reliqua facta fuiſſent. Vtinam proni plures illorum ad calamum tam fuiſſent,q̃ ſunt noſtratium quidam. Supereſt ut extantibus grati ac beneuoli ſimus. Qui ſuperſtites ſunt,ſuperent priores,non gloriæ, ſed utilitatis ſtudio. Attamen uix a prioribus principĩ prærogatiuam aferent poſteriores,quantumuis eruditi. Partis nos utimur,non paramus, Nonnulla quidem inuenimus, ſed ob-

sed oblata relicta, subministrata denique occasione. Optandum perquam esset, ut nobiscum habitare, et agnoscere præceptores discipuli ualeremus. Ecce quò prolabor, dum Budæi unius laudatiunculam parabam? Illud citra controuersiam confitẽdum est, nempe Budæo isto & Erasmo nunc magistris uti scholas potiss. At hi usi prioribus admodum sunt, nec inficiantur. Rhenano nescio quid maximum & immensum debemus, utpote recusori elimatorique ueterũ Authorum. Oecolampadio plurimum item debemus, quippe latino interpreti græcorum Theologorum. Vtinam hoc ipsum facere Melãchthon & Ioachimus ille mallet, q̃ priuatis modo rebus præesse. Germanus Brixius, Morus, Linacer, Gryneus, Zieglerus, Vadianus, Viues, Fortius, Appianus, Mycillus, & horum similes, propterea q̃ de bonis literis bene merentur, & Europam præclaris operibus illustrant, plurimo honore digni iudicari debẽt, inter omnium studiosorum sodalitates. Vale. Nymeciæ. Anno. M. D. XXXI.

M. B. F. S. D.

VALEMVS ADHVC DEI BENEFICIO. Georgius meus decem plus dies dysenteria laborauit, sed clementiss. Nõ enim inde minus lusitabat, garriebat, uictitabat. Excrementum

omne ſanguis & ater, nonnunquam rubiuſculus, ſæpe merus. Speramus exulcerationē ſopitam. Me meus morbus per ſeſquimenſem nō repetijt. Hunc medico tibi nominarem, ſi tam mihi eius eſſet cognitum nomen, quàm expertum eſt tormen. Certe a Scotomia cœpit, idq; ante biennium & quatuor menſes. Doctor Auguſtinus iudicauit inſpecto lotio peripneumoniam eſſe, id quod ego non cōtemnens, mire multa & uaria aduerſus eam ſumpſi. Alij putant Catarrum eſſe propter humiditatis fluores. Tales nuper noctu per nares multos ſenſi. Illud certiſſ. apud me eſt, quicquid id morbi ſit, e capitis uitio humoſo in inteſtina manaſſe. Scripſi, ni fallor, antea ad te, quo cruciatu peſtis illa pectus meū angat, ringat, ſtringat, et tm̄ non enecet: Et quō mox renes peruagetur, uſqueadeo, ut Nephritis fere aut calculus exiſtimari poſſit. Ipſo aggreſſu om̄ia corporis membra eneruat, optimū iſthuc, quod ſpiritum nō excludit, nec detinet. Nupera ægrotatione ipſum quoq; ſtomachum ad uomitionē coēgit. Nec unq̄ fuit tam durum & nouercale, ut non edere ac bibere libuerit, ſimulac dolor reſidiſſet. Tu ex his collige, quid nā mali ſit. Scabies nūc moleſtat, unde pruritus diurnus & nocturnus. Sed cōtra hanc nihil remedij utor, ne malum paruū pellens, maximum ſtultus mihi aſciſcam. Vale. Nymeciæ. Anno. M. D. XXXI.

Epiſtola

EPISTOLARVM

GEORGII VVICELII AD FRATRES,

LIBER SECVNDVS.

M. B. F. S. D.

CONIICIO, QVAM SCIRE SEMper aueas, quî mihi cum noſtris conueniat. Significabo paucis. Reperi eos quales reliqueram. Habes uniuerſum. Mutata eſt religio, morũ uetuſtas tenaciter adhuc durat. Quæres quàm animo meo probetur, haud tibi obſcurum eſt. Iactata eſt prodigialiter Euangelica doctrina ſeptem amplius annos, ſed nihil Euangelicum adhuc uideo. Culpam tranſcribo Euangeliſtis iſtis, qui carnale Euangelium inuexerunt, cui carnalem addidere uitam. Atq; ita effecerunt, ut nunquam licentius peccatum ſit, nec deteriora fuiſſe tempora, conſtet. Faxit DEVS, ne perpetuo exoculati ſimus. Populoſiorem patriã nemo uel octogenariorũ uidit. Ego uix quartam gentis noſtræ partem de facie noſco, adeo intra octennium creuit. Fouet ciues egregios, iuuentutem præclaram. Ciuitati acceſſit nitor quidam ædificiorum, & non contemnenda munitio. Eaq; eſt ciuita-

tulà, quę non uſq; quaq; trepidet ad belli rumorem. Habet hic, crede mihi, filios haud quaquam degeneres Mars, habet ſuos & Pan. Bacchus uero omneis, idq; ob nominis, opinor, affinitatem. Cultus non immodicus eſt, quantum cernere contigit, & ueſtræ luxurioſæ diſſimilimus, ſiue hoc opes recuſent, ſiue exempli peregrini contagio prohibeat. Munditia tamen in cultu eſt, ſed aliquanto exquiſitior, q̃ ante decennium. Mores ſunt perditi, & quos cum cæteris Euangelicis communes habeãt. Puerilis ætas ſuo ingenio, hoc eſt, ſuæ nequitiæ imprudẽter relinquitur. Callet probe turpitudinem, & belle æmulatur ſenij facta. παιδ̃ια nulla, metus nullus, pudor uix tenuis. Sepelitur uino oppidum non ſemel in hebdomade, quam ueſaniam nonnulli temeti copiæ (quæ eſt malorum materia) tribuunt. Miror ſæpe, unde nam tantum pecuniæ illis, quantum in uina profundunt, homines, ut ſcis, minime pecunioſi. Demiror tam cito oblitos frumentariæ penuriæ ter ac quater miſeros, qua anno ſuperiore uexati erant. Excedit enim memoriam patris mei par annonæ caritas apud noſtrates. Illud pulchrum, quod nunc uilior uictus eſt. Paruo emuntur omnia propemodum, quibus indiget noſtra mortalitas. Porro ita mihi cũ conciuibus conuenit. Bona horum pars me non uidit. Rariuſcule enim in conſpectus uulgi prodeo, nõ grauatim proditurus,

diturus, si quid cuiquam commodare queam. Magna pars me conspectum uix nouit, utpote lardo & zito Saxonico corpulentiorem, id quod satis mirari de illis nõ possum. Tam frequentes, ut antea, meum aduentum honorario uino gratulati non sunt, seu quia sæpicule hoc antehac factitarunt, seu quia norunt me luculẽta pocula illa odisse. Vtcunq; est, ego gaudeo. Iam me in paternis ædibus Musis sacris reddito & silente, incipit populus subdubitare, num uetus Vuicelius, nec ne redierim. Suspitionem auget, quod pro more nõ concionor. Tandem exijt uox: haud scio unde primum nata: me Lutheri antidicon esse. Præterea qui mihi erant iniquiores, spargebant famam, me Anabaptistarũ & Zuuinglij partes adiuuare. Quo factum, ut me priuatim adierint syncери amiculi, qui me monendum ducerent. Verum isti, auditis omnibus, acceperunt satisfactionem. Interea sicubi uocabar ad cœnam fautorum (hoc non amplius quater trimestri spacio toto factum) cœpi nonnihil, occasione data, de rerum præsentium statu conqueri. Nec aderat, cui non cuncta ueriſſima uidebantur, quæ pro loco licet, & nõ sæuere referebam. Vsu quoq; uenit, ut nunc me inuisant nonnunquam pientiores aliqui interrogantes τὰ τῆς πίστως. Et sunt complures boni uiri, non extremi profecto loci, qui me nuper rogarunt, ut sibi aliquando liceat multa

mecum

mecum de cauſſa colloqui. Talium aliquot ſunt in uicinis oppidis. Vos ſuperi, quot hoc in oppido uiuunt ciues, qui me quotidie lubentes adirent ſciſcitaturi auditurique, niſi periculo uetarẽtur. Nec quidam magis dolent, q̃ q̃ a Cathedra publica prohibeor, quam nõdum tamẽ ambiui. Attamẽ ea, ſi quo q̃ alio tempore, nunc mihi maxume opus erat, e qua nimirum toti populo, quicquid eſt negocij, libere detegerem, meq; omni ſuſpicatione citra fucũ liberarem. Sacerdotum præconum ſuperbia me uitat, adeoq; nõ ſecus odit, ac atri limina Ditis. Sed ego eos, non minus curo, q̃ paluſtres ranas cum ſuo Brekekekex coax coax. Et ô prodigium, Tacens id hominum genus offendo, Quid quæſo futurum, ſi ruptis linguæ clauſtris declamitare in eos cœpero? Feruent in me odia aliquorum, ſed non inueniunt, quo ea uelent, adeo DEO laus, nihil irreligioſum, nihil criminoſum mea habet fama. Quidam affinium, quos mihi Ioannes, beatæ memoriæ, frater meus ducta uxore fecit, id de me ſentiunt, quod de Domino conſobrini in hiſtoria Euangelij: honeſti alioqui homines. Pluribus in animis lateo niger, qui tamen uultu iſthuc diſſimulant, uerum ebrij effutiunt, q; ſobrij in pectore premebant. Sunt qui loquentem, ceu Corycæi obſeruent, ijs niſi conſyderate loquar, protinus ſum neſcio quis. Sed Dominus omnis terræ gubernat cor

oſq; me-

oscꝫ meum, ut ab Orthodoxia nihil delyrem. Illud constat, adeo omnia nunc esse exacerbata, ut tutum minime sit inter Euãgelicos Euangeliũ confiteri, nisi uelis Lutherizare, hoc est, ita Euangelizare, ut filios sectæ liberæ nõ offendas. Nam ĩj uitam æternam sibi pollicentur, si credant modo, utcũcꝫ uiuant. Audisti breuiter, quæ augurabar te scire uelle. Verum non est, ut inde quicquam moueare. Sto certus DEI uirtute, & eiusmodi me laturum sciebam. Gaudeo quod uel pauci sunt, qui rectum æquumque iudicabunt. Pungit potestatem tenebrarum, quod sectas insectamur, & prẽsertim Lutherismum, qui si diu stabit, ducet cõiuratos in Paganismum, & sensim in Pythagoræ placitum, qui de DEO dubitabat, mox in Diagoræ sententiam, qui esse DEVM negabat. Epicurismum iam pene uidemus, quum sint, qui licet DEVM esse credant, attamen nihil curantem autumant. Quod ad uitam attinet, iam diu in confesso est, quid sit maior Sectæ pars, Nempe Sardanapalitæ, portantes authoris epitaphium in animo, Ede, Bibe, Coi, Cætera sunt nihili, & habentes Euangelium in ore. Si ista uita, istis operibus, ista latria cœlum appræhendemus, stultissimi fuere patres martyres, quos olim uia arcta secundum archetypon ducis sui ingressos nouimus? Si hęc est doctrina Euangelij pura, certum est, doctrinam apostolorum puram non

fuisse. Si hęc est Ecclesia CHRISTI, necesse est, primę uam CHRISTI non fuisse. Sed hæc alias. Inaudiui quid hostilium uerborum in me expuerit Apostouester. Ad cuiusmodi respondeo: Sit nomen domini benedictum millies, & iterū millies benedictum. Mens mihi præsagiebat, dum Nymeciæ adhuc degerem, fore ut ipso machinante, in antrum denuo raperer. Propterea, præter alias causas, maturaui abitum, & nondum abn̄sse pœnituit. Porro hic sum in manu DEI Opt. Max. Si quid in me habet, agat scripto, non ui, non tyrannide, ut liceat agnoscere Apostolicum. Si falsitatis aut noui dissidn̄ conuictus fuero, nihil supplicn̄ deprecabor. Nosti quod sumpta fiducia ante, ipsum adierim, q̄ illinc discederem, auditurus eius erga me uoluntatem. At nihil audiui asperum, nihil hostile. De Ioanne Campano multa mihi referebat, quem ut familiariter noui, ita illius institutum plane mihi incognitum. Scripta illius nunquam uidi, DEO teste, & malum quippiam ab eo nunq̄ audiui, eodem teste. Verum a Campani negocio abunde me in Apologeticis purgaui. Dixerat me dolo e Saxonia demigrasse, fictis ad hoc literis euocatricibus sub patris titulo &c̄. Peruellem, homo sic grauitatis Theologicæ memor fuisset, in quam tam imprudens mendacium non cadit. Sed non opus, tam manifesta diluere. Si quid in me tentabit, non ero elinguis.

guis. Tuebor meam Innocentiam cum Hieremia ac Paulo legittime, modo per hostium uiolentiam liceat. Noui hic nihil est quod te scire cupere arbitrer. Principi Hessiæ nostræ alta pax est, nec audio qui eum infestet. Nuper a subditis pecuniam subsidiariam rogauit, non postulauit exactionem: Ipsemet rogarat & uerbis blandis atq; familiaribus. Faccha nostra septuaginta dūtaxat aureos pēdit, idq; ex ęrario curiæ, ciuibus nō grauatis. De mutua Heluetiorum strage forte audisti. Euangelicis suis CHRISTVS non affuit, q̄tumuis crederent. Tempestiuum esset, tēpestiuum esset, inquam, ut rem tandē Cati cōsyderaremus. Subindicat euentus iste, quid futurum sit, si qñ Carolus Cæsar una cum totius Imperij Romani suppetijs expeditionem in nos fecerit. Da pacem domine, & tolle lōgæ pacis mala. Magistratus captos aliquot Anabaptistas carceribus publicis custodit, & ipsum Rinchium quoq;. Princeps nondum in eos animaduertit, sed hoc quotidie expectatur. Istorum hominum secta, oīibus facile inuidiam mouet, qui uel mentionem eorum faciunt. Qui aliquid de DEO, de uita Christiana, in improbos sæculi huius mores dicit, næ istum insignem retinctorem esse oportet. Et sunt, qui eam notam fugiendam crebris potationibus censeant. Nam eo perduxit orbem libertas uestratis Euangelij, ut si quis detrectet cum ebriosis su-

ibus uolutari, hoc est Sodomizειν, at uero uitæ corrigendæ studeat, is sit retinctor oportet. Qui pauperes illos modico uillo refocillandos cupit in uinculis, iuxta Lamuelis legem, Adeoqꝫ, qui in colloquijs illos Vulcano aut Neptuno inclementer non adiudicat, is Retinctor sit oportet. Rinchium ueterem sodalem, per literas monui, ut Anabaptismo renuntiaret & doceret quæ propius ad salutem animarum faciũt, sed in ꝓposito perstat. Vir is est incredibili fortitudine, uita austera, & excellenti eruditione, si modo, fauente DEO, ab illa Retingendi dementia auocari posset. Quod uult DEVS, fiat, λοιμὸς passim grassatur, nõ secus ac superiore anno λϊμός. Non est iam tutũ ambulare inter Fuldam et Erphordiam. Quotquot enim oppida ac Vici medij, hos corripuit lues, excepta nostra ciuitatula. Attamen huic grauiter imminet, & iam tertiõ in ędes quorundam inuasit, unoatqꝫ altero elato, sed incusso impœnitentibus terrore, tertiò aufugit. Expectatur autem rediturum malũ ubi ultori DEO uisum fuerit. Tui memoria omnibus in patria grata dulciscꝫ est. Fratria tua paupercula est, opem tuam inclamat. Nullubi rectius collocaueris Eleemosynam. Vale. Facchæ. Vigesimo quarto Decembris. Anno M. D. XXXI.

Legi

B. R. S. D.

LEGI LITERAS TVAS INIMICAS ET damnatrices, sed falleris Raidi falleris, si existimes me ad id genus popysmata terrefieri. Occalluí propemodum ad uoces Cyclopicas & horrisonas, quibus quouis flecti leues solent. Desine uero o amice Raidi desine irasci. Nam ira hominis iustitiam non operatur. Et uix credas, quàm immane spectrum sit iratus homo. Diuus Basilius tale monstrum mire depinxit in Homilia quadam, hanc uellem modo legeres. Adeoq; poëta gentilis uidit hoc, quando caneret:

Pallor in ore sedet, Macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, Liuent rubigine dentes,
Pectora felle uirent, Lingua est suffusa ueneno.

Alecto adest, quæ solet, ut ille ait, unanimes armare in prælia fratres, atq; odijs uersare domos. Iudicabam te infractiorem esse, q̃ ut tui ita impotens tumultuareris, & integriorem, q̃ qui tam subito ueteris amicitiæ rumperes uinculum, immemor omnis habitæ consuetudinis. Sed ad rem. Impingis mihi mendacium, quod dicis me ad te uenturum pollicitum, nec uenisse: quum scias me addidisse in templo tuo: Veniam, inquiens, si per nuptias licet. Et si adeo conspectum tuum uitauissem, non tum iussissem, ut filius thalami, unà nobiscum pransurus ires. Atque

hoc non solum, sed & ursi ut comitareris, causſans te laboraſſe copulādis nuptijs, unde dignum, ut de nuptijs ederes. Quod uero de Ioanne Moro commemoras, plane recordatione aſſequi nequeo, quid id hominis ſit, tātum abeſt, ut meminerim quod tu ſcribis, me illi Moro dixiſſe. Verum ita res habet: Redeuntes a tua Ciuitate equitabamus unà ſemimiliare plus minusue Crucibergenſis & ego. Soli igitur colloquebamur ſuper uarijs rebus horum temporum, id quod ille nocte proxima, mecum quippe cubans, efflagitarat, huic per occaſionem reddidi cauſſam, quur me nō pœniteat quo minus te non inuiſiſſem. Nam, inquam, futurum erat, ut ſi cum eo miſcuiſſem ſermones, eiuſmodi forte incidiſſent, qui Raidiū offendere poterant, hominē prodigioſe Lutheranum, cuiuſmodi ille Cratoni ſignificaturus, magnam inuidiam in me forſitan concitaret, idque ad eiectionem uſque, Propterea potius eſſe, abſtinuiſſe ac tacuiſſe, dum ratio poſceret. Quid iſthæc uerba faciens Raidi deliqui? Iure iurando affirmare poſſem, me eo animo Hersfeldiam non ueniſſe, ut te non alloquerer. Nam perſuaſum mihi habebam, parochum te nuptijs non intereſſe non oportere. Quare ſi te alloqui refugiſſem, Hersfeldiam non ueniſſem. Nuper ante diſceſſum e Saxonia Lutherum ipſum adij, & affatus eum, relicta ualedictione, abij. Tantum, crede mihi, animo

hi, animo meo roboris supereſt, ut huius ſectatores ac membra libere alloqui ualeam. Sed quid ni tu me adiſti, quandoquidem neglectam conuentionem tam ſiniſtre eleuas? An non æquius erat, te hoſpitem adamatum inuiſere? Si me ita amore complecteris, quur me non in ædibus Alberti quæritabas? Aut quis te uetuerat, ne ires in domũ Melſungij, maxime conueniẽdi Vuicelij tui grã? Iã ſi ipſe ad te ueniſſem, non ſolus ueniſſem, ſed cũ ijs forte ſtipatus, quos tu ægre tuliſſes domi tuę (ut iam ſunt homines male fidi) & illi ipſi uinolentijs ſuis noſtra repreſſiſſent colloquia, q̃ auebas. Nam quis locus eſt ſæueris ſermonibus in nuptijs, circũſtrepentibus undique poculis, ſonitante, tripudiante, breuiter furente temulentorũ turba? Quod eiectionem ſubtimebam, non eſt quur uſqueadeo mirere. Scis enim temporum iſtorum ferreorum iniquitatem indicibilem. Qui diſſentit a temere receptis dogmatis, is ilico in periculũ uocatur. An mentior? Neſcis iſtas uoces, Anabaptiſta eſt, Artophagus eſt &c. etiamſi ab ijs, quos nominaui, longiſſime abſit, qui culpatur? Exoculata ſunt hominũ iudicia, nemo uult quod rectum uerumq; eſt dignoſcere, ſed omnes a præiudicijs pendent, contraria hiſce damnãt, nec habetur ultra ſcripturæ ratio: Quid, clamant, Scriptura? Scriptura omnis noſtra eſt, nos habemus uerbum, nos ſapimus ſoli, nos recta gradimur

mur uia, nos filij DEI. Labia nostra a nobis sunt, qs noster dominus est? Vide Raidi quid facerem in tanta animorum peruersitate? Sunt qui ad quiduis credendum adducantur & quibus eadem opera persuadeas, ut credāt (quod scripsit Plinius) esse in Asia cautem horrendam uno digito mobilem, at si toto corpore impellatur, resistentem. Omnia a quocūq, quandocunq, de quocunq prolatum credunt nihil trutinantes, ut necessarium erat. Censes ne illud Catonis locum hic habere:

Proximus ille DEO qui scit ratione tacere?

Est enim aliquando tacendi quoq tempus, & nosti Propheticum dictum Amos ac Syrach. Loqui possum, subministrata DEI uirtute, sed ubi auditores sunt, ubi rogor, ubi res postulat. Cæterum quid opus erat, ita animo ringi? Dixine Cratonem & te me electuros? Quo argumēto colligis me de uobis, ut de sanguinarijs suspicari? De Cratone magnifice sentio, nec credo eum mihi inimicum, Imo habeo illi gratiā, quod exuli & egeno mihi bene uoluit, quod me aduersus calumniam defendit, quod restitutum cupiuit, quem nō dubitauit, tyrannide Dynastæ cuiusdam adulteri e possessione esse deturbatū. Quid, quod de principe illustriss. melius sentio, quam ut hominem indicta caussa ejciat? Nicodemicum illud altius, credo, imbibit, q̄ ut in insontem sæuiat. Quale autem est

autem est illud? Lex nostra non iudicat quenquam, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat. Spero illum Traiani Imperat. uirtute prędituṁ, qui amari q̃ timeri maluit. Et Augustus Imper. dixit: Nihil minus congruere principi, quam temeritatem, hoc principem nostrum spero, inquam et sentire, & minime omnium esse temerarium. Si schismata molior, aut molientibus suffragor, age, exaudiat. Imo tota inde inuidia & persecutio continua me degrauat, quod schismaticis non suffragor, sed refragor. Prędterea iacis in me illud dominicum: Nolite iudicare. Mi Raidi, uter alterum iudicat? Tu me non audisti, nec me penitus cognouisti, & tamen ubicȝ me iudicando mordes, præsertim cum in fine amicæ epistolæ tradis me diabolo. Vbi simile ego feci tibi aut alijs? Et dic mihi per DEVM bonum, Quo uos spiritu tam protinus pronunciatis in homines? Artificialiter admodum calletis nigræ uestræ succo loliginis, non depingere, sed dispungere alios, idcȝ ob nullam caussam nisi quod θανάσιμον μελίκρατον ὑμῶν prudentes optare uitent. Condonet tibi uiolentum, & blasphemum iudiciũ de me tuum Opt. Max. DEVS. Quod de Romelio scribis, nõ citra admirationem legi. Existimaui hominem illum probiorem, & mihi ex ueteri Hersfeldensium sodalitate deuinctiorem, q̃ qui spargere eas uoces audeat, quæ ut maxime ueræ es-

sent,non debebat tamen amicus ita tergiuersari.Cur Romelius mutus erat, quando hæc uerba ex me audiuit? Proh hominum fidem. Sed exedendum mihi est calidum istud prandium.Minime inficias eo,quę iste prodidit, non quod ea adhuc penitus recorder, sed quod non ualde secus sentiam . Contuli fortasse schismata quæ istis annis pręter omnem opinionem inualuerunt, & quæ nemo facile uniat sedetq;. Horum prætuli Lutheranum,nam ita scribis,cætera huic postposui.Num ita habet? quid culpas ergo immerentẽ? Prætuli caussam Lutheri.Quid amplius quæris? Dices, caussam uocas,cur nõ potius aliud? Quid aliud uocem Raidi? Ipse Melanchthon caussam Lutheri uocat,& idem complures.Quid uero de Anabaptismo sentiam, tibi opinor non obscurũ est, partim ex meis ad te literis, partim ex colloquio , quando discederemus a Marpurgensi ciuitate . Dico esse scelus,hominem tinctũ retingere , quemadmodum in decreto Pontificio dicit.Dico licere infantes Christianorꝫ tingi, sicut hoc a mille amplius annis factũ legimus.Fertur illos plus habere errorum,q̃ Anabaptismum, ego eos non numeraui unquam, Nec scio quinquaginta ne sint errores, an quingenti . Videat Romelius quid dixerit.Audiui illos grauiter alicubi deceptos. Insuper legi q̃ Augustẽses et Heluetij contra eos ædiderunt.Si uera omnia sunt, quorum insimulantur,

mulantur, næ illi impudentes, & absurdi hæretici sunt. Vtcũq; est, ego ab ista hæresi alienissimus sum, nec cum ullo horum cõmunicaui, nisi cum uno atq; altero, idq; reuocandi studio, non approbandi. Vita quorundam mihi cognitorum semper mihi arrisit, & nisi ficta est, optarim ad eum modum uniuersos uiuere, qui se Christianos gloriantur. Si quid mali alunt, ego nescio. DEVS iudex esto, cui abscondita cordis cognita. Quod scio loquor, Quod uideo testor. Rinchium apud nostrates in publica custodia asseruatum per nepotem ad Palinodiam anabaptismi solicitaui rogando atq; monendo, sed sine effectu. Dicitur Christiane docere in multis, Ipse eũ non audiui, nec uidi, præterquam Lupenitię, quum nondum esset in hunc errorem lapsus. Vtinam res ad felicem exitum spectaret. Sententiam meam de Artophagis identidem nosti uel ex loquaci illa epistola, quam tibi reddidit Ludimagister meus. Dico, panẽ esse corpus domini secundum uerbum domini ueracissi. Hoc docui, hoc rogatus sæpe confessus sum. Testãtur tale scripta mea. Nec si aliter opinarer, metu ullius dissimulare uellem. Cæterũ quod dixeram, me posthac concionari nolle, nam doctrinam Lutheri non diu duraturam, equidem mi Raidi ſępenumero adhuc testificor. Non quod in totum & omni Cathedrę, sed Cathedræ modo iuratę in uerba Ma-

 gistri,

giſtri, qui CHRISTVS non eſt. Poterit fieri, ut denuo doceam publice, ſed iuſſus, ſed liber, ſed orthodoxus. Nolim mihi linguam uinciri et frenari ad cuiusuis nugatoris arbitrium. Detur mihi itaq; cathedra, e qua concionari liceat ſecundum formam antiquiſſimorum Concionatorum, & mirum ni ſuſcepero. Iam uero quod doctrinā iſtam, quam uulgo Euangelicam uocant, non diu duraturam autumaui, certe omnia euenta clamitant. Et niſi eſſes plus æquo ſtupidus, ſentiſceres idem in quotidianis cauſſæ iſtius deliquijs. Adparet hoc in occaſu rerum. Ipſe contemptus qui ueſtro merito in uos effuſus eſt, de exitu pronunciat. Verum hic pateret campus, de cauſſa ſerio diſſerendi, ſed hoc præter inſtitutum eſt, & ultra epiſtolarem modum. Scribis de odio quod deprehenderis in me in comitatu a Marpurgo. Rogo te uero quid iterum tam inimice iudicas? Cur protinus interpretamini odium, ſi quis ab aliquo diſſentiat? Religio eſt, timor Domini eſt, ſapientia eſt euigilare e tenebris erronearum opinionum ad lucidiſſ. ueritatem. Audiebas id temporis mihi Lutheranę Eccleſiæ ſtatum non probari, cuius rei demonſtrandæ duos libellos ad prelatos ipſos, penes quos rei ſumma eſt, ſcripſeram. Hos tibi domi tuæ uidēdos exhibui. Si odit, qui diſſentit, ideo non ab antiquis hæreticis diſſentiamus, ne eos odiſſe uideamur? Ego nemi-

nem

nem odi, qui pro omnibus DEVM quotidie oro. Quod si improbius instes, rem odi, non personam. Adhæc scribis me tuam concionem reprehendisse, quam me auditore habebas. Summum hoc mendacium est, a quocunq; tandem confictum sit. Ego laudibus uexi eam, uel Alberto teste, maxime propter uicia, quæ ex Psal. xiiij. non inscite damnabas. Erant uero, qui responderent, tales non semper fieri conciones, sed hanc nobis audientibus forte ad gratiam factam. Hoc nihil ad me. Si recte concionaris, mercedem accipies. Tibi luditur, mihi nihil. Ad eum modum mea non magni referre arbitror, quod Lutherum ad astra usq; Empyrea tollis. Tribuis illi palmam arcemq;. Esto sane, primus, solus, unus docuerit Euangeliũ, intra mille quadringẽtos annos, Cęteri sint atheoi, & ranæ Ægypti. Sodes fruere animo tuo. Nam dulce est etiã desipere. Quid ad me, esto præterea DEVS, esto ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα, λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα Lutherus? At tibi, mihi non item. Scio quos ego duces sequar. Hos quantumuis de ponte deijcias, deiectos calces, calcatos condemnes, condẽnatos crucifigas, crucifixos diabolizes, Attamen ij sunt, quibus indignus sis, matellam porrigere. Noui quãtum Luthero debeam. Quod debeo, tribuo, nihil ultra. Deinceps tragice tumultuaris, dicens me denigrare in conuentibus, eundem DEVM Martem

Lutherum. Respõdeo: Etiã atq; etiam tu homo bellus es, qui omnia quæ contra me scribis, ex inani rumore uenatus sis. O CHRISTI purum præconem, qui nihil solidũ, nihil certum in eum scribere potest, quem obiurgat. Et quid ita in me exerces dominiũ? Num ego tuum mancipium? Aut ambis ea occasione Visitatorum munus? Contingat tibi, quod ambis, adeoq; nescio quid splendidius. Ad institutum reuertar. Non nego aliquoties incidisse sermonem de Luthero in cœnis (quas tamen semper defugio, domi meæ ceu in Cochlea manſitans, testibus etiam maleuolis) Factum itaq;, alio aliud loquente, ut ipse quoq; de hominis ingenio aliquid dixerim. Nã scis ex poëta uitium tanto esse conspectius, quanto qui peccat maior habetur. Dixi uero, quod ille longe secus adfectus sit, atq; sancti Apostoli, quorum uice integrius alijs fungi se profitetur. An fallor? Confer hosce quæso, Imo confer illũ cum ueteribus episcopis, & erunt dissimilia pleraq;. Quid, quod tantum iræ (quæ est breuis insania) tãtum odij, tantum uindictæ, tantum tyrannidis, tantum maledicentiæ, tantum arrogantiæ, tantum audaciæ, tantum luxus, tantũ molliciei Milesiæ, uix in ullo pseudoprophetarum aut hæreticorum inuenias. Nec huiusmodi tu nescis, sed te delectat polypus Agnæ. Quid inquies, proficit, si in uitam eius absentis dicas? Respondeo:

Quid

Quid proficit, quòd uos in episcopos, abbates, canonicos, principes & ciues non Lutheranos sine modo finecp dicatis, idque clam ipsis? Inter quos nullus est, quem probetis. In quibus poculis non laceratis Sacramentarios? Quando non Crotũ, quando non Draconitẽ, Petreium, Vrbinatem, Cæteroscp refragatores dente Theonino rabidocp arripitis? Vt interim de me nihil dicam, qui non ignoro, q̃ amice me Vuittenbergæ tractent. Ad huiusmodi tacere nos uultis, ut uobis solis conueniat male loqui. Age, Malo istud uobis, q̃ mihi conueniat. Dixi uero in eius uitam effœminatiss. non ulciscendi gratia, quemadmodum ipsi facere cõsueuerunt, Sed ut cognoscãt, quo loco res eorum sint, si quidem talem habeant uię suæ odegon. Nam certum est, arborẽ e fructibus agnosci. Nec uerisimile est, ut is omnium optime doceat, cuius uita tam mundana est. Satius longe esset, ut q̊d de Origene legitur, Luthero congrueret: Hic est qui quale uerbum habet, talem uitam habet. Quod si ita esset, quem non puderet quippiam mali de eo dicere, faciat mendaces, qui sunt dicaces, uita sanctiore. Necp enim solus ego de eius loquor rebus. Regiones plenæ sunt Lutheri luxuriæ & tyrannidis. Certe laudare non possum, si quid laude caret, & si te rupueris. Video Manticæ, q̊d in tergo meo est, laus DEO. Igiturne cum periculo Germaniæ dissimulanda erãt

Tubera

Tubera istius prophetæ? Nondum Raidi rem plane detexi. Fiet uero, si uolent. Porro ueterum exemplis iuuor, qui non bene de aduersarijs scribebant, quia non bene illi uiuebant. Fecerunt uero hoc, ut reducerent assectatores. Ad ultimum uis tibi responderi, quid de doctrina ista existimem. Abunde hoc ex superioribus opinor tibi conspicuũ est. Vellem sapientius nos in plerisq; iam pridem gessissemus. Si te nullius, at me multorum pœnitet, quæ uelut ex Tripode certissima p̃dicaui feciq;, nescius hominis esse cõmenta. Tametsi annis abhinc quatuor oculatior esse cœpi, Gratia lausq; in altissimis DEO. Si q̃ras, quam sequar doctrinam, dicam breuissimis: Sequor doctrinam Ecclesiasticam, quam per Apostolos traditam, duce IESV CHRISTO unigenito DEI, seruatore solo, consignauit infinitorum Martyrum largus cruor, quam, inquam, prouulgarũt scriptores antiquissimi, quam diuulgarũt Episcopi sanctissimi, quam totus orbis ab ortu usq; ad occasum recepit, credidit, custodiuit. Habes quod tanto studio rimaris. Si igitur doctrina Ecclesiæ (quam ad sanguinem usq;, per fortem Israëlis asseram) tibi placet, adde te mihi socium, quod nimirum polliceris in epistola. Sin placere pergit ea, quæ nudiustertius quidam somniauit, habes me dissentientem, at nihilo amicum infensiorem. Si quid ista peregrina ueri rectiq; continet, ex

Ecclesiasti-

Ecclesiastica atq; ueteri acceptum ipsum est, ideo tale amplector. Noua omnia horreo. De Croto satis dicaciter scribis. Sed hæc ars est scholæ uestræ, nempe illudere, pungere, atq; arrodere, qui recusant idola uestra exosculari. Fecit hoc ipsum tamen aliquanto magistralius scilicet Pincerna ille, is atrociter in uirum bonum inuehitur in suis ad me scriptis. Nec dubito, quin is tibi de digamia dixerit. Sed glorietur ille pro libitu. Ego pensum meum exolui. Si uir est, repetat sua argumẽta. Sed plus satis hæc. Sufuratus mihi es totum diem, dum ad tuas calumnias respondeo. Vale. Datum ταχυγράφως. Facchæ duodecimo Decembris. Anno M. D. XXXI.

M. L. S. D.

PELLICVLAM VETEREM RETINES LEIstriole. Quid ita inquies? Solebas siquid mihi Charum erat, oblata cõmoditate κλεπτῶν siue ut id ciuilius dicam, inscio me in sinum amittere, hoc ipsum hinc discedens quoq; feciſti. Nil, ais, flagitium commissum. Amicus in amicum nõ peccat. Ius amicitiæ nondum uiolatum. Næ tu scite hoc. Age, offensiunculam acceptam abolesti. Cur enim in crimen amicum tantum pro leuiculo aliquo (ut putatur) uocandum iudicem? At isthuc tibi summopere curandũ fuerat, ne codicẽ perijsse, uel ab alijs lectum

esse passus esses. Neq; enim a me scriptum existimes, ut ita rudem, indigestum, inemendatum, in manus alienas, uenire uoluerim, sed ut esset mihi penu q̃d dam, in quo condam & componam, quę (ut ille ait) mox depromere possim. Exigit hoc studiorum meorum ratio, ut semper ad manum sint eiusmodi chartæ, in quas, ut quæq; inter legendũ & meditandum occurrunt, protinus abiiciam, posteaquã in animum induxi, doctrinam quam uulgo Euangelicam dicũt ad θάσανον, adq; amussim exquisitiore diligentia uocare. Apud Nymeciam plures similium codicum in promptu habebam, eosq; distinctos, & singulos singulis argumentis separatos. Translationes teutonicas ad fontes conferenti, aderat peculiaris liber, qui excepit, si quid minus integre, & pro negocij præsentis commodo transtulisse mihi uidebantur. Aderat alius, cui concredebam, si quid minus orthodoxe enarrassent, ut sunt plurimi loci, a germano sensu torti flexiq; mira arte, nõ ob aliud, q̃ quia studio a ueteribus dissentire placuit, ne quid scisse illi uiderentur. Alius item erat, in quem scripturarũ multitudinem conuexi, & locis suis discreui, ut fere nihil sit rerum, quod non perq̃ multas habeat scripturas tam prophéticas, q̃ apostolicas. Alium destinaram lectionibus scripturarum sæuerioribus, annotans, quæ uidebantur proxime facere ad horum mentem, qui tradiderunt

derunt nobis Theopneuſton ſcripturam. Nec hoc feci alio animo, q̄ ut mihi penitus infigerem ſcripturas, utq̄ eas mihi redderem familiariores, nō ſolum ut excuterem. Progymnaſmata illa mire rudia ſunt, præſertim quæ nugabar, quando primum in Saxoniam ueniſſem. His addo Siſypheū laborem, quem impendi in totum Paulum. Nam hunc concionans, non potui committere, quin opus conduplicarem, hoc eſt, ſcriberem quæ concionatus fueram, idq̄ mihi, ut mentem Pauli hauſtam in chartis aſſeruarem. Duo alij erant prægrandes, quos lectioni Eccleſiaſti corum doctorum aſſignaram: in alterum contuli, ſi quæ ex uetuſtiſſ. decerpſeram, in alterum quæ ex recentioribus. Eſt iam alius mihi ad manum, cui committo nihil non, ut per uaria oberranti uaria incidunt. Si quid uidetur aptum cōtra Anabaptiſmum, ſuum habet locum. Si quid de recto baptiſmi uſu, ſi quid de Euchariſtia, ſi quid de pœnitentiæ uſu, ſi quid de Eccleſia catholica, ſi quid de hæreſibus, ſi qd de ritibus & ordine Eccleſiæ. Singula ſingulos habent nidos. Prætereo ſi quæ adnoto de ijs rebus, circa quas hodie lis eſt, ut de ſacrificio, confeſſione, interceſſione diuorum, ferijs, ordine clericali, monachiſmo, ieiunijs, caſtitate, mortuorum cura, deq̄ id genus reliquis. Neq̄ enim uiuere mihi poſſe uideor, niſi eiuſmodi quæ ſpectant ad Chriſtianiſmum ſa-

crosanctum inquisitione pia uestigem pensitemque. Quo in negocio nihil magis queror, q̃ quod ditioris Bibliothecæ mihi non est copia. Persuasum mihi est, uni homini monacho non credere. Deinde Ecclesiæ catholicæ doctrinam uniuersam non conuellere, uti nec ritus uniuersos. Postremo ueteres Heroẽs non reiicere: cur hæc, ipsus scio. Malebam sane ἀποσολικώτατα pleraq̃, & rem ad nascentis Religionis primordium reductam (id quod magno flagranticq̃ zelo totum istud quatriennium, scriptis, dictis, precibus, lachrymis, monitis popposci apud DEVM & homines) Sed uideo quę nunc instent, Imo extent tẽpora. Video omnia cõfusa perturbataue Sectis, omnia exasperata dissidijs, omnia ambitione, cupiditate, luxu deturpata. Proinde si Ecclesia esse non potest, ut initio fuit, sit saltem ut post initium fuit. Iam si hoc quoq̃ adynaton clamitant, sit, ut erat, nuper, quando ab ea ad Schisma desciuimus, modo omni cura et solicitudine, modo coactis synodis, modo omnium ingeniorum uiribus, modo omnium piorum precationibus, modo omnium sapientum consilijs atque deliberationibus expurgata, uigori alicui restituatur, ne plane sui dissimilis esse pergat. Quod si ipsum etiam non impetrabo, purus ero a condemnatione istorum iusta, penes quos facultas restituendi fuit, et ad ultimum usq̃ uitæ spiritum contestabor in illos, dicamq̃:

dicamq́: Væ uæ uæ omnibus, qui uel tuentur Eccle
siæ ſordes, uel tolerant quũ auferre poſſint. Sed prę
ter animum perſtrinxi Eccleſiæ negocium, quum ali
ud ſcribere inſtituiſſem. Tot igiť Leſtri libros, quos
ueluti materiarios praueram, ſi quis me clam abla
tos fratribus exhiberet legendos, is, mihi crede, gra
tum animo meo haudquaquam faceret. Erant Rha
pſodiæ quas ſtudia mihi pepererant in uſum conci
onis, aut in certamen diſputationis. Non erant libri,
ſed librorum inſtrumenta quædam, e quibus nimi
rum ıį, ſi opus ſit, procuderentur. In iſta promptua
ria deponi ſolent, quæ quoties neceſſe eſt, ad utendũ
depromas. Atq́ hic nihil dico de ıįs chartis, quas eti
amnum paratas habeo ad humanioris ſtudıį neceſſi
tatem. Eſt, cui trado ſi quid pertinet ad Topogra
phias & uarias nationum religiones ritusue. Eſt, in
quam transfundo, ſi quæ ſaniora reperio in opuſcu
lis Euangelicorum Theologorum. Eſt, in quam col
ligo atq́ coaceruo exornationes Romani eloquıį,
item hiſtorias iucundiores, carmina, fabulas, cuiuſ
modi nimirum conuertam ad uſus pios. Eſt deniq́
charta, quæ capit excerpta e libris aliorum, mihi mu
tuum acceptis, utpote quos ipſe met nõ habeo: Nec
refert, cuius generis, aut profeſſiõis authores illi ſint.
Excerpo e Medicis, e Iuriſperitis, e Rhetoricis. Nihil
non deguſto, non cyclopędiæ, ſed paleſtræ gratia:

Nam bella mihi uideo, bella parata mihi. Quas chartas ut mihi scripsi, ita inutiles alijs fore credo suppilatas, si quando informes, incompositæq; sunt, & nulli fortasse character ille noscitandus. Satis hæc. Libellum de bonis operibus, quẽ tibi amore tui excisum, ut uideres, dedi, non uero cur non plures uideant. Huic præter eruditos & æquos iudices nihil comprecor. Apologeticum item, in quo carceris immeriti aterrimam infamiam effugi, legat qui uolet. Da uero operam, ut fidem tuam redimas, hoc est, ut matura mutuum acceptum remittas. Præcipue remitte cum isto nuncio syllogen. Expecto eam, efflagito eã, Non potero ea unum diem commode carere. Certe nisi amicus esses, immoderate ferrem clandestinã ablationẽ. Adiuro te, ne me frustreris. Sin minus, mittam meis pecunijs nuncium, qui codicem a non amico auferat. De rerum mearum statu satis scis, ut superfluum sit, aliquid de his commemorare.

Hostibus in medijs interq; pericula uersor. Hęc summa est. Vale in seruatore bono IESV, DEI unigenito. Facchæ. Octauo Aprilis. Anno M. D. XXXII.

H. K. S. P.

Nondum

NONDVM VALEDIXI AMICIS, QVOS passim dispersos habeo in Thuringia ac Hassia, licet illorum bona pars amicitiam negare, aut certe dissimulare uideatur. Tempora infausta aliquos mihi, & hos non uulgares, e uiuis ademerunt. Nonnullos plane inimicos effecerunt casus uarij, quippe hos, qui Tethydem simul et Galateam amare possunt. Istos sui languori relinquo. At illorz aliqua mihi habenda ratio est, qui uel metu uel pudore tacent, dilectione mei nõdum extincta. In quorum numero te non possum non ponere, uirum ut ego quidem iudicaui, neqꝫ malum neque stolidum. Mirari uero satis nequeo, quid ita conspectus nostros fugitent boni homines, quum neqꝫ Basiliscus sim neque Crocodilus, neqꝫ hyena, ut me adeuntes aut aspectu neci dedam, aut deuorem anthropophagus. Sed citra iocum, neminem unquam ita tractaui, ut non redire, quam uitare malit. Accepi aduentantes honorifice, usus ijs sum amice, dimisi amanter. Caui diligenter, ne quem libertate mea offenderem, nisi quod quidam adeo proterui sunt, ut uel muscæ aculeo icti ultionem moliantur. Bonis doctisue semper mea fuit consuetudo suauiss. & ab ijs frequentius quęsitabar inuisebarqꝫ, quàm ex re mea erat. Nũc nullo meo merito horrent isti ædes meas, obuiũ forte per ambages declinant, a colloquio resiliũt, ad nominis

minis denique mei mentionem inhorreſcunt. Roga-
ti quur id faciant, reſpondent ſe non ſimultate, ſed
neſcio qua de cauſſa hactenus Vuicelium uitaſſe. Ne
mo omnium extitit, qui quod in animo præmeret, li
bere mihi dicendum putarit. Omnia technis ac hy-
pocriſi teguntur. Nemo item extitit, qui potuiſſet fi-
dei famæq; meæ integritatē unico uerbulo notare.
Sæpenumero fors obtulit, ut aliquem iſtorum pſeu
dophilōn in deambulatione aut conuiuio præhen-
ſum rogarim: Ecquid tam inſolenter ſeſe erga me ge
reret. At iſti mirum quàm blanda afferebant, quibus
eam inſolentiam expurgarent, dixiſſes meros Pyla-
des, Pyrithoos, Theſeos, Damonas, Pythias. ſed res
ipſa iterum atq; iterum arguit, q̄ non ij ſint, quales ſe
præhenſi finxerant. Mihi equidem nō tantillum offi
cit horum hypocriſis, ſed ipſos prodit, & nudos
ignominię futurę propinat. Qui me non adit, ei abi-
re rurſus neceſſe non eſt. Qui me nō ſalutat, eum re-
ſalutare non cogor. Solus non ſum, etiamſi ſine pſeu
dophilis ſum. Salutor, etiamſi me iſti hiſtriones non
ſalutant. Gaudio autem mihi maximo eſt q; me ne-
mo omnium odit, horret, uitat culpa mea. Nemini
iræ aut inimicitiæ cauſſam tantulam præbui. Nemi-
nem a me repuli, aut alienaui quibuſcūq; modis. Inte
ger amicitiam cum cunctis initam cuſtodio. nulli re-
ſigno. Nec faciēt, quin eam cuſtodire, quoad eius fi-
eri pote

eri poterit, pergam. Ais, esse aliquid præcipuũ oportet, ob quod ita te auersent. Profecto. At quid istud sit, augurare. Dicam, ne forte fallat augurium. Ante annos plus sex cœperunt animo meo multa displicere in euangelica Ecclesia, p̃sertim quod ad mores attinebat. Id temporis incœptabam zelum DEI exerere in iniustitiã & tenebrarũ opera, idq; publice & domestice, concionando et scribẽdo. Non diu post, ut res pedetentim labababatur in deterius, displicuit eius Ecclesiæ ordo, ac regimen. Neq; enim ullubi uidebam, quod adficeret bonorum animos, et quod ad pietatis studia inuitaret. Videbam pleraq; ueluti per ludum agi, nulla grauitate, nulla reuerentia, nullo timore. Videbam humanas constitutiones humanis succedere, & hesterna hodiernis mutari, nec fieri meliorem sine ceremonijs, q̃ erat in ceremonijs. Imò ceremonias leuiculas, a quocunq; balneatore excogitari, atq; sub Euangelij pallio uenditari. Huiusmodi mihi, inquam, uehementer displicuerunt, quare ad scribendum adigebar. Scripsi itaq; de Corrigendo Ecclesię Euangelicæ statu librũ latinum, quẽ Philippo cognitori supplex detuli. Mox alium paraui de dissimilitudine Ecclesiæ nr̃æ ab Ecclesia ueteri, hunc Ionæ per literas obtuli. Cœpi rem e suggestu quoq; agitare, ne plebecula falso persuasa arbitrarentur, iamiam florere uere syncerum Christianismum,

Ne quid de multis et prolixis epistolis ad amicos eadem de re missitatis dicam: At ubi intelligerem, monitis meis exasperari cognitores, & populo Euangelico duram uideri disciplinam, rectiusq; & Christianius institutam uitam, adeoq; saluberrima & optima & Christianissima quæq; tantum non rideri, nec tãtulo probiores ullos undiquaq; auditis nobis reddi, imo improbiores aliquanto, occœpi de doctrinę ueritate apud memet ambigere. Addebat suspitionis nonnihil uexilliferorum luxuria, tyrannis, auaritia, arrogantia. Augebat conceptam suspicionem totius fabulæ, cursus illaudatus, cętera hic referre non ausim. Augebat hoc quoq;, quod tam pugnantia sibiq; neutiq; constantia indies scriptitabant. Pręterea audiebam alios itẽ ex ea egressos ecclesia, receptę doctrinę reluctari. Et cõmodum mihi cõtigit, uetustiss. scriptorũ Bibliotheca, quam diurna ac nocturna manu uersabam. Persentiscebã euangeliciss̃imos quosque, alium tepere, alium frigere, & quanto uerbosius euangelizentur, tanto incertiores mollioresque nonnullos, tam ex plebeis quàm patricijs fieri. Proinde ad examinandã doctrinam totum animum adiunxi, idq; ante sesquiannum. Detraxi primum doctrinę authoritatis laruam, exui eam p̃iudicijs istorũ, a quibus nata creditur, semperq; succurrebat illud Ouidianum: Sua narrat Vlysses. Statui igitur eam nudam

nudam corã DEO & sacris literis, & sanctæ Ecclesiæ scriptoribus, ast qualẽ cognouerim sensim in lucem proferetur. In hanc usq; horam discepto cum dogmatibus quibusdam, dum ea ad plenum discutio. Illud nõ dissimulabo, nempe straminea permulta me inuenisse dogmata, quę olim ceu aurea sublimis prędicabam. CHRISTE illuceſce pectoribus illorũ, qui te sine te, in immensum iactare non desinunt, qui inquam, ex te quod uolunt, faciunt, accõmodantes te iuxta se, iuxtaque affectus suos. Postremo, negocio propiſſime perspecto exploratoue, cogitaui de relinquenda ista Ecclesia, quam Sectam esse inueni. Feci hoc, laus Redemptori domino mature, nec citra periculum corporis. Quę res rumusculo ad cunctos allata, odium mihi peperit, & amicos in inimicos uertit. Hæc illa Helena mi Amice. Isthuc ne eras augurarus? Discessi e castris Catilinæ. Valedixi inerti isti Theologiæ, cuius tres Syrenes, una uoce, alia tibia, tertia lyra me in nassam allexerant. Quando musta erat doctrina, uidebatur non mala, adeoq; totũ propemodum orbem demulsit initio. Verum est adagium: quum paruula est, bona uidetur esse spina. Nũc ubi ematuruit, claret eius natura. Primum positum est bonum uinum, sed inebriatis nobis, id quod est deterius. Panem in dextera uidimus ostẽdi, lapidem in siniſtra latentem non uidimus. Vtcunq; uero mi-

hi infensi sunt subærati sodales, tamen nihil merito in me culpandum offendent. Nam fas & iura sinũt, errantem in uiam redire posse ac debere. Et malim aliquod ferre opprobrium rediens, quàm conseruare laudem constans, at constans in malo. Tametsi nõ uideo, quam ea constantia laudem emereatur. Dux fui fateor, at alio duce primario, at cæcus, at imprudens, incautus, nihil habens pensi, nihil præuidens. Nesciui rem ab homine ortam, & per hominem geri. Istud tempus ueluti fatale malum inuexit, quo exoculati, Melius, peius, prosit, obsit nihil uidimus, nisi quod lubebat, ut cum Comico loquar. Quidquid nobis arridebat, rectum erat. Quidquid ueteres dixerant & fecerant, sordebat, exibilabatur, conspuebatur. Proinde nunc aliud adpetit tempus, nimirum ut nobis fiat, quẽadmodum alijs fecimus, iusto DEI iudicio. Erunt fortasse, qui calumniabuntur, me refugiendæ crucis gratia, & ob spem aliquam commodi temporarij schisma deseruisse. Illis respondeo: Nihil minus. Iam nunc enim crucem me operiri oportet, iratis uidelicet quotquot schismati præsident. Nec commodum ullum spero. Iacturam potius rei familiaris sentio, et Peniam cum suo satellicio in ædes meas pergrassaturam eminus cerno. Si commodo priuato studerem, non poteram facilius ditescere, adq; supremos euehi honores, quam si essem sectę propugnator.

gnator. Si potuissem cõniuere, si libuisset omnia laudare, adorare, osculari, non dubium mihi est, quin esset Visitator aut superintendens Vuicelius, donatus, ditatus, saginatus. Non inuideo alijs gazas, Satrapias, splendorem, modo mihi catholico in pace liceat DEO seruire conditori, seruatori Opt. Max. Scimus plures fuisse fictas ecclesias, & ad culmen glorię elatas. Sed ijdem scimus, deiectas cecidisse magno fragore, horrenda ruina. Loquacior sum, quam decreueram. Vale frater, & persuade tibi, me pietati tuæ, de qua audio, haud mediocriter fauere. Facchæ in feriis Paschalibus. An. M. D. XXXII.

D. C. R. S. D.

HAVD RARO CVPIVI N. OPTIME, VT coram audires, quomodo me hic tractent calumnioſi Euangeliſtæ. Non enim credas q̃ omnia omnem excedant modum. Primum quando Erphurdiam ueni, ferebatur fama sed obscurior, nec magnopere maligna: Nimirũ migrasse huc, cui cordi esset Academiæ collapsæ instauratio, et qui ad eam rem suam esset operam qualemcũcꝫ locaturus. Huiusmodi mihi nõnihil fauoris apud aliquos conciliabat. Vix a sesquiseptimana succrescebat fama atrox idcꝫ sensim. Tãdem implebat omnem urbem atrocissima: Nimirum immigrasse huc hominem pe-

ſtiferum,nouæ ſectæ futurum artificem, et eum, qui nihil ſanum cælet in pectore. Hunc rumorem ſiniſtrum amici ad aures meas deferũt,rei atrocitate maximopere perculſi. Audiens affatim rideo, & nonnihil ſtupeo ad tam inauditam maliciam. Sciſcitor rumoris originem,& dicitur Ionas Tragœdiæ architecton. Nam is ubi perceperat me huc ueniſſe, cœpit meæ exiſtimationi uirulenter detrahere, id quod & antehac Draconitæ fecerat. Et quum non aliam nocendi cauſſam inueniret,uiſus ſum illi idoneus,quem hæreſeos Macedonianæ atq; Sabellianæ ſugillaret. Conſciꝫ eius facti ſunt parietes Miluitꝫ,Langꝫ & reliquorum ſodalium, apud quos epulatus eſt Ionas. Fertur enim Ioannes Campanus Iuliacenſis librum ſcripſiſſe in quo cum ſanctiſſ.atq; ter adoranda Triade bellum ſuſceperit. Quoniam uero ego iſtius hominis menſtrua conſuetudine uſus fui,de eius inſtituto nec tantillum ſciens, & hoc longe ante ſcriptum librum, ſuſpitionem in me conceperũt,ac ſi iſti aſſentirer. Atq; ea ſuſpitio tãetſi falſiſſima, illis perſuaſionem quandam peperiſſe uidebatur, ut me nolẽtem, reclamantem,manibus pedibuſq; renitentem oporteat eſſe hæreticum. Grauarunt me uehementer in Saxonia etiamdum Campani nomine. Nec purgando mihi profuere tot apologię, tot cõciones,tot epiſtolę,tot priuatę cõteſtationes. Traducebar Sabellianus,cuius

nus, cuius errorem unà cum reliquis summo studio quotidie pro cathedris oppugnabã, & tandem hanc suspitionem coram duce Saxo. literis purgatricibus diluebam, nedum apud Theologos, ut non poteram non putare pridem consopitam esse suspitionẽ. Verum nunc eam commodum exuscitant, posteaq; compertum habent me nõ dissimulanter eorum dogmatibus refragari. Nam sub hoc odioso titulo dolorem suum ulcisci se posse credunt. Quid enim aliud prætexant, ne emicet malignitas? Delassati sunt repetendo probra hæc: Zuuingellius est, Anabaptista est, Trapezitius est. neq; enim me moueri norunt ad tam impudenter confictas & uanas criminationes, utpote quas toties a me probabiliter depuli, nõ sine magno criminatorum pudore. Norũt norunt, se præter æquum facere, si me post hac aut erroris sacramentarij, aut retinctionis insimulent. Proinde ad Campanum redeũt, ut quò immanior est eius hominis error, hoc citius me ceu assensorem opprimãt. O pharisaica pectora, o cæca mero mei odio. Quin me eadem opera diffamant Marcionis hæreseos aut Tatiani? Quin me Mahometicæ insaniæ fautorem proclamant? Si libebit, facient me plane Atheon, aut certe antitheon, ut sunt copiosi in maledicendo. Fortasse ne sibi desint, notabũt me quoq; nephariorum scelerum, quo meo nomini grauiorem affient inuidiam. Sed

am. Sed ad narrationis seriem reuertar. Vbi igit mihi Iniustus Ionas Cãpanianæ hæreseos notam apud suos applausores inussisset, et alia nonnulla effutiuisset, quibus me putaret dedecorandum, detulit me apud Magistratum, maxime apud eos, quos sciebat esse de sodalitate, & Tertullum illum in Actis Apostolicis imitatus, captarat beneuolentiam, commemorata pace, quæ hactenus ipsorum cura obseruata fuisset in inclyta Erphurdia. Nunc uero irrepsisse quendam, cui in animo esset turbare bene pacatam Rempubl. Quo perorato subiunxerat, me libellum famosum emisisse, & cupere, ut hic denuo typis excuderetur. Quare esse officij consularis, ut impediret molimen istud. Atq; ijs susurris animos patritiorum nõ leuiter exasperabat in me, quẽ nullus ipsorum tñ neq; uiderat neq; audierat. Sed D. C. data occasione me aduersus Ionæ Sycophantias impudentiss. apud quosdã alios de ordine Magistratus defendit. Hoc ipsum quoq; apud duos summos fecit Archigrammateus ciuitatis huius. Vtrumq; enim uanissimum est, quod ille mihi impegerat. Famosum libellum nõ emisi. Typographos ut denuo excudant non solicitaui. Imo nihil magis ueritus sum, quam ne opera Vuernheri nostri rursus cuderetur exemplar mendosissimum. Quum insidiosas istas delationes resciui, eram aditurus Ionam expostulãdi gratia, sed mane hinc

tia, sed mane hinc discesserat. Ferebã igitur iniurias, sanctissimæ ueritatis præsidio fretus. Ab hoc facto, concionatores dysangelici, animorum accepto a Iona robore susq; deq; curſitarunt, & in caput meum mirifice conſpirarunt. Longio duce incendium augescit eò, ut mihi uix sufferendi uires superſint. Res nunc e cõciliabulis Euangeliſtarum in publicas conciones trahitur, Nam quia fidunt imperita atq; leui multitudine, operæprecium erat, ne ea nesciret impostoris Vuicelij dolum. Itaq; conciones Phani Michaëlis & Minorum & apud omnem cohortem in me crebræ, feroces & acerbæ fiunt, adeoq; tantum non fiunt, cum mei nomenclatura, a qua sibi ægerrime temperant. Insanos diceres, non iratos, quoties uideres eos in me debacchari. Nihil est cõuitiorum, sannarum, illusionum, quod in me non congerant, nec est omnium ullus tam ingenuo animo, ut me uel adeat, aut citet audiẽdi gratia. Tam multis ucro prę monitionibus, aggrauationibus, inflammationibus excitata plebs (nouit enim suorum præconum (prędonum) acres affectus aliquid eximij portendere) iracunde nunc disquirit, in quem nam tam impetuosi sagittent. Pãditur esse quidã arreptitius in Agno aureo, cui ludatur. Neq; enim non priuatim suis intimis aperiunt præcones, quem publicitus sentiant. Atq; ad eum modum factum est, ut nũc per omni-

R um ora

um ora uolitem, ut ad extremum maledicar, ut tantum non lapider. Ciues eius sectæ toruum me obuium aspiciunt, uix sibi temperãtes a lacessendo. Quos habui inter hos amicos, uitãt me, facti inimici. In conuiuijs ego pro pulpamento rodor edorq;. In pistrinis uersor absens. In tabernis tractor, sed sine sensu. In spelæis præconum occidor, sed uiuo adhuc. Videre me utpote hominem talem gestiunt, & nuper opificũ aliquot arrepta ansa in has ædes introierunt, mei tantum uidendi gratia. Quoties hac domo sua exit Vuernherus, comperit quam crudelibus modis uersor atq; reuersor. Noti eum conueniunt, sciscitantur de hospite, obsecrant, ne talem domi suæ alat, hostem DEI, maximũ papistam, apostatam, qui secum circumferat errorem infandum, quem uidelicet nacto in Academia legendi loco sit effusurus, qui propterea resignarit parœtiam, quod prouentus minor esset ducentis aureis, qui uxorem coram Canonicis abnegarit, qui uix par sit conserẽdi manum cum puero elementario &c̃. Ob id me domo abigat, alioqui fore, ut ipsum pœniteat hospicij. Huiusmodi Euangelium mihi in omnes fere horas Vuernherus domum alicunde reuersus deprædicat. Quibus terroribus homo parui animi nimium concutitur, adeo ut semper mihi sit aliquo solatio restituendus. Non em̃ aliud quærunt istorum terrorum machinis, quàm ut

ipsum

ipsum ad se rursus reuocent, & me urbe expellant. Audiuntur, mihi crede, sæpe ea terriculamenta eæq; mine, ut uel maximos animos frangant & ad funem adigant. Homo mœret & propemodum fluctuat, non tam ob metum, q̃ ob uaria lædoria, quibus passim ipse quoque a sectarijs lapidatur. Ego utcunque perfero, spe nonnulla suffultus, Magistratum nihil mali aduersus me intẽtaturum, ad ipsorum gratiam, & indicta caussa. In me conspirare, calumniari, mentiri Euangelistæ charitatis laudatores, non desinent dum hic ero. Scio scio, insidiantur non famæ meæ solum, uerumetiam capiti. Nullę uiperæ, aspides, cerastæ sunt uirulentiores, atq; isti, quos tamen nõ offendi hactenus, quum hic neq; concioner, neq; prælegam. Domi studeo, aut excerpo in Bibliothecis Minoritarum & Augustinensium. Mutum ferre non possunt, quî ferant uocalẽ? Conantur omnia, ne conuersẽr cum hominibus. Fons odij, & mendaciorum iniuriarumq; grauissimarum est, partim quod reliqui sectam, partim quod aliquid in eam meditor, saluandæ plebis caussa. Nosti me intus & in cute, quare superuacaneum foret, si mendacia iniuriasq; nũc, te legẽte, propulsarem. Mea est ἡ ἁγία καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία. Confiteor hoc, et in hac confessione obdurabo, dum spirabo. Præterea τὰν ἁγιωτατὰν θρησκείαν καὶ θείαν πίστιν ex corde deamo. In hac libens & uolens

moriar. Rubiginem, quam longo tempore contraxit Ecclesia, tã odi quàm ipsam amo Ecclesiam. Vtinam aduersarij mei non ea facerent, quæ mihi odiosissime & summa cum amarulentia impingunt. Vale. Erphurdię XXVIII. Iunij. An. M. D. XXXII.

I. L. S. D.

QVI IN AVLIS PRINCIPVM AMICOS habẽt, ij subinde quoties opus est, ad illos ceu asylon quoddã confugiunt, consulturi nimirũ, aut opem relaturi in agundis caussis: ad eum prope modum censeo nunc mihi faciendum, nempe ut ualetudinarius Myropolam consanguineum implorem, eius usurus industria, quatenus id fieri queat. Tu quod mihi de tua uoluntate erga me persuadeo, hoc studebis, ut amicus amicum necessitati meæ profuisse sentiam. Porro medicantis operam expectans, a morbi initio orsus, rem omnem q̃ crass. pinguissimeque potero, aperiam. Anni quatuor præteriere, cp Catarro quodam capitis laboraui. Huius uehementia et ubertas purulentiam expressit, quę in scabiem duruit capillo tectam duos amplius mẽses. Cui uitio tollendo unum atq; alterum pharmacum adhibui, quemadmodum recipere iubebar. Laui frequenter, & ilico tersi, idq; sub dio, & æstu solis. Puduit piguitq; scabiei, quam tamen præter unum amicum

cum omneis cælaui. Fœtor plus nimio offendebat et pruritus. Tandem quo malum ingeminaretur, accessit dentium superiorum dolor, qui tertia nocte faciem distorserat, & maxillam ita infregerat, ut uix pollicem latum diducere rictum potui, unde periculum erat ne clauso in totũ rictu inedia perirem. Consulti medici ungento sublinere maxillam dexteram suadent, quo uidelicet resideret tumor, & malæ uinculum solueretur. Tentatum est, at suo tamen tempore destitit morbus uterq;. Non diu post, redeo e concione, & reddo me officinæ literariæ. Quo facto incipio de repente cruciari, oboritur Scotomia, collabor, absum. Frigida suffunditur, reficior, nescius quî mecum ageretur. Incommodo hoc tam subito deijcior, & lecto affigor. Amando Vuittenbergam pædagogum familiarem ad D. A. Inspicitur lotium, iudicor pulmonarius, asportatur syrupus, promittunt medici. Ego obaudio, nec quicquam detrectãs. Scotomia redit, & collapsuro admouent acetũ acerrimum, cuius olfactu arcetur malum. Nam tale iussi, quippe e Plinio doctus. Cæterum post quatriduum uidebar mihi ualetudini meæ pristinæ restitutus, exeo ad officia, repeto intermissa studia, nihilò tamen minus suspectas habens morbi domestici insidias, quare herbis aduersus hũc idoneis utor, saluia, ruta, hyssopo, mẽta. Præterea e mello anetoq; & quibus-

dam alijs cocto potu. Abit dimidium anni, & repetit miserum intestinus ille morbus. Occurritur aceto eius impetui, & suffusa frigida. Post plusculum temporis rursus inuadit, ijsdem cuniculis perpetuo adrepens. Hoc pacto autem adrepit: Incipit præcordia obsidere densitas ceu nubes quædã crassiss. Hæc sensim augescit eò, donec comprimi adeoq; artari sentiam cor. Quod tormen occupat cũctos artus corporis, & delassat, idq; adeo ut uix mouere digitulum potis sim. Interea ora albescunt et mortis imago multa omnes terrefacit, & quæ eadem omnes eiulare, omnes de uita desperare hortatur. Cor quassatur, dorsum præ dolore propemodum disrumpitur, & angustiæ infandæ sudorem letalem extorquent. Mens non emouetur, dum indesinenter profundor aquula, dum aceto conspergor, dum aromatis recreor uiuificorq;. Solus, opinor, perirem: uita nimirum inter eas pressuras fugiente, ut hic etiam locum habere uideatur illud ex Mose: Non est bonum, hominem solum esse. Et ex Salomone: Væ soli, quia quum ceciderit, non habet subleuantem. Aliquando cum uomitu malum intercutaneum eijcio, aliquando per aluum una erumpit. Durat mors illa horas duas, sæpe plus minusue, post pedetentim abit, relicto præcordiorum uix noscitando tumore, qui prohibet, ne ea uel manu contrectem uel zona aut ligulis uinciam.

Imo

Imo non ausim pronus sedere, aut quid humo tollere, sed quo erectior sum, hoc melius habeo. Anhelitum non intercludit, quantūuis improba lues, quod si faceret, non uiuerem. Ea morbi hexis est. Recurrit in anno ter, ad summum quater, & maxime a cœna, Interdū a prandio, maxime si corpus præter consuetudinem agitetur. Marpurgi fere occiderat crudelitas eius pestis peregrinum me, sed uomitus in ipsa torsione factus, malum sopiebat, ut Cordi Apollinis medicina nō indigerem. Quas cruces paterer redux in Saxoniam, ipse nosti, Non enim te eiusmodi nescire uolui apud Hallam, non tam ut de his quererer apud cognatum, q̄ ut harum gratia consulerem Medicum. Dicam paucis, quomodo morbū istum hoc anno uicerim DEI benignitate. Numero XL. hebdomadas, intra quas semel duntaxat me aggressa lues est, idq; ut solebat, & Facchæ. Quæ res eos fefellit, qui eam mortem moriturā uno crebrius hausto existimabant. Quin ipse quoq; sperabam, nunq̄ esse redituram, quandoquidem tam diu præter morem supersedisset. Verum ab hoc iterum spes erat, me morbo mortifero leuatū, quoniam septem menses aberat, sed tertio Octobris deambulantem in Aprico corripit. Festino domum pallidus, ingressus posco aquam, nulla mora. Scotomia adest, brachia proijcio, color mutatur, sentio tetram mortis umbram.

bram. Sed obuiam eunt tyrannidi familiares, adhibentes quæ consueuerant, per cuiusmodi meam uitam hactenus seruauit bonus DEVS. Iam uix paulum quieuerat, & denuo arripit, adeo immaniter, ut animam exhalaturus uidebar. Ab eo die decubui octiduum, tametsi interdum ne reliquiæ quidem morbi sentirentur. Noctes erant commodæ, atq; hæ uires præstabant, quas dies consumebant. Dolores erant præcordiorum, renum & laterum, non dico qui ac quanti. Putasses coniurasse in necem meam Pleuritida & Nephritida, sed nondum scio quale morbi genus sit. Medicus quidam apud nos celebris pronunciauit inspecto lotio me Colica torqueri, hoc neganti respondit de Epate atq; eius oppilatione, nescio quæ. Quo homini citius fidem haberem, facit dolor dexteri lateris, nam hoc aiũt ad Epar respicere. Præterea erat spumosa urina, magnum argumentum uitiosi epatis, si uera diuinant medici. Dorsi non dicendos morsus frequentiss. patiebar, sæpe unà et lateris. Nihil tam querebar, quam quod uomere nõ potui, unde medicus suasit rutã acetosam sumendam. sumpsi, sed frustra, nisi q̃ sedes tres elicuit, in quibus nescio quid uiscosum adeoq; mucosum apparuit, q̃d ego saniem Apostematis inflammatione concreti fuisse credo. Reliquit me iam, DEO gratia, inimicitia illa, sed nescio quãdo reditura. Stomacho nihil deest, nihil enim

nihil enim ciborum fastidit: Et morbo isto meo laborans, recte ualentis instar quæuis edulia appeto, id quod non pauci demirantur. Nec de capite querela ulla est hoc saltem tempore, nisi quod uertigines nonnullas pariunt uigiliæ. Te itaq; obsecro, ut disquiras, quid nam hoc morbi sit, & si disquisieris, doceas quomodo ei mederi debeam. πόλυφάρμακος es scio, ut mirum sit, si nescias, aut si simile huius nunq; compereris. Ponendus posthac tu quoq; in Empyricorum numero. Expertus enim ea diceris, quæ uix senes unguentarij, cui rei scientia plurimum ponderis addit. Pene silentio præterieram, quod modis omnibus te scire uolui. Scabie perpetua afflictor. Crura nunquam munda, nunquam manus, ipse adeoq; uenter. Ante annos quindecim, quum Erphurdiæ agerem, nemo sodalium me scabiosior erat. In Saxonia quoq; permolesta mihi fuit Psoriasis, ut quibusdam lobi cutem propemodum habere sim uisus. Nunc in patria etiam amica mihi est, inimica illa scabricies, odiosa impetigo. Nascitur e pustulis siue eruptiunculis calidiss. pruritu tritis. Ea deinde rursus defricta, aspera cute obducitur, atque ita frictu tacta humores perpetuos emittit. Nolui eã hactenus medicari, ne pernicioso humores intercutes pharmaco intempestiuo repellerem, in materiam periculosioris morbi. Sunt qui existimabant, eum fluorẽ mihi con-

ducere, sed sine fine durat, atq; hoc in homine frugali, et quem frigora non admodum læserunt, quod quidem sciam. Phlebotomiam semel atque iterum adhibui, sed nihil bonitatis sensi. cucurbitas item bal nearesadmoui. Si quid calles, doce. Est magnum uitæ tædium, perpetuo scabere. sed hoc exilius est, si maiora numerem. Dominus IESVS cum primis faueat animæ meæ immortali. Corpus augmentũ terræ est, unde erat. Vale Facchæ decimosexto Octobris. An. M. D. XXXII.

D. C. R. S. P.

HVNC LIBELLVM EXTORSIT MIHI MIra illorum annorum licentia, quam leprosę doctrinæ acceptam refero. Eum tibi nuncupo, uiro quippe orthodoxo & priscæ Theologię propugnatori. Si consultum uidebitur Lipsiæ excusum in publicum emittes, Sed emendate. Nolim uero nomen meum affigi, partim ne uidear ambitiosulus, partim ne Lutherani quiritentur transfugã Vuicelium præpropere prodire in campum. Verum ne sine nomine prorsus exeat, titulum habeat, Agricolæ Fagi. Nam id nominis fictitiũ, uerũ nomen quodammodo tegit. Si antagonista surrexerit, agã aperto Marte. Veritas fortissima atq; inuictissima longe est. Si e re fore putas, addito, adimitoq;. Hortor uero te

ro te ad calamum. Vides quàm infirmi sint in pluri-
mis Schismatici. Tibi librorum copia suppetit, nec
desunt tuæ pietati quæuis dotes. Dego iam Facchæ
in patrio nido, nõdum tamen studijs totus sum red-
ditus. Longa profectio subturbauit nonnihil Mu-
sas. Sed spero propediem tranquillandas atq; sedan
das. Erphurdiæ hybernare non integrum nobis fu-
it. Quid in caussa fuerit, referet tibi Vrbanus noster.

Spes nulla ulterior, didicit iam diues auarus,
Tantum admirari tantum laudare disertos,
Vt pueri Iunonis auem.

Quid hic premam, facile diuinas. Disertus ego non
sum, at is sum qui disertos amem, & qui fungi mune
re literario (quando quidem Ecclesiastico, in hac re-
rum perturbatione uix liceat) malim quam aut mihi
uiuere aut post focum luculẽtum torpere, aut etiam
samijs siccandis studere. Tu in domino seruatore ua
lebis, & quas inclusi literas Vuittenbergam perfe-
rendas, q̃ ocyss. curabis. Iterum uale. Datum Facchę
Septimo Octobris. An. M. D. XXXI.

D. I. D. S. P.

NON MEDIOCRI DESYDERIO DOCTIS-
sime uir teneor, operationum uidẽdarum,
quibus iam triẽnium ingenti molimine in-
sudare diceris. Collaudo pium studium, Admiror

dotes, collaudaturus admiraturusq; omnia impensius, ubi, quod moliris uidere contigerit. Æstimas, id quod res est, dedecere hominem ocia, multo magis hominem Theologum, cui horulam etiam unam sine linea abire nefas sit. Nam si iuxta Senecam, omnia aliena, tempus mõ nostrum est, quod Theophrasto precioſissimus sumptus dicebat, oppido culpari meremur, si iners hoc aufugere patiamur. Cernis (inquit ille) ut ignauum corrumpant ocia corpus,

Et uitium capiant, ni moueantur aquæ.

Macte uero pietate germana Draconites, perge operari, dum dies est. Inquire ueritatem Christianam accuratius. Interfice errorum aliquot noua monstra, quibus Germaniæ bona pars istis annis impetitur, acq; Apostolica Catholicaque doctrina impeditur. Vacas quidem a publico munere, hoc est, in ocio uideris degere, at tu cum Scipione in ocio isto plus negocij habes, id q̃d facis. Eum, qui sibi uiuit, nemini uiuere, olim quoq; a sapientibus iudicatum est, siquidem nobis nati non sumus. Operis merces deponetur tuæ pietati, corona uitæ. Cæterum in eadem fere naui, uterq; uehimur, nisi quod te equus portat, Rex alit, quod dici solet: ipse autem meæ pecuniolæ sumptu utcunq; uictito. Vterq; alioqui inuidia magnatum quorũdam laborantes Cathedris cessimus, & nos in abditum collegimus, unde fortasse rem

se rem Christianã iuuare rectius licebit. Nam ut alia commoda huius solitudinis, in quã nos recipimus, omittam, habet illud peculiare, quod ad res amussatius diligentiusque consyderandas inuitat. Honesta uero ea non esse non potest, quippe quam uiri clarissim. consectati fuêre. Equidem ipse curabo, ne langueat solitudo mea. Ocium hæc scribendi suppeditabit, & item reuoluendi orthodoxorũ antiquissimorum libros, quos mecum huc e Saxonia aduexi. Os mihi infrenant, ne loquar, at digitos hosce hactenus colligare non potuerunt. Quod alibi detrahitur, alibi resarciam. Veniet tempus, quando uniuscuiusq; opus manifestum erit. Gloria, honor, laus & gratiarum actio Redemptori nostro in omne sęculum, Amen. Vale ex Faccha XXVI. Octobris. Anno. M. D. XXXI.

M. B. F. S. P.

ADHVC IN TETERRIMO TEMPORE ualemus, idque Facchę. Vos spero ualetis. Christianæ atq; orthodoxæ atq; catholicę fidei caussa premor. Insidiantur atq; machinantur plurima mihi, qui me non nouerunt: hoc unico freti quod non sum Lutheranus. Cum Papisticis malo uiuere, q̃ cum cacangelicis. Fiat DEI decretum. Paratus expecto, quicquid in ueteris Ecclesiæ asserto-

rem noui Euangelistæ moliuntur. Vale Facchæ.
Anno. M. D. XXXI.

D. H. S. S. P.

ON POSSVM MIHI TEMPERARE quin ad te, Hieronyme Iurisperitorum decus, nonnihil scribam, idque partim, ut amorem meum erga te contester, partim ut memoriam mei apud te refricem. Humanitatem raram, qua præditus es, laudo, Modestiam admiror. Religionem, qua uereris sectis prorsus dare nomen, probo. Atq; utinam omnes qui in celebritate aliqua sunt, rei exitū prospicere ante maluissent, quam in sententiam pridie ortorum doctorū utroq; pede discedere. Habet Secta ista q̄d diuinum, quod honestum dicas. Sed tamen Secta est, quæ indelenda macula istos homines comitatur. Ego orthodoxiam antiquam suspicio coloq;, ea mihi cognita effecit, ut Sectis eximar. Habet Ecclesia Catholica quod culpes, posteaquam tot sæculis aliquò usq; prolapsa degenerarit, sed tamen Ecclesia est, ducens exordium a stirpe Apostolorum sanctissima, ἀθεότης est in ea nonnulla, quam cōplures uiri boni annis ab hinc trecentis denudarunt, nedum ij, quos hodie Euangelistas nuncupamus. Incommoda eius prudentes fugia-

fugiamus, nec tamen ob hæc eam deseramus, quæ Mater nos primum Christianæ fidei genuit, & lauacrum gratiæ contulit. Sed hæc non animus erat scribere. Volui abs te non meo solo nomine, uerumetiam humanioris literaturæ, petere, ut strenue perurgeas negocium Academiæ Erphurdēsis. Nosti, q̃ ea laboret, adeoq; q̃ tota collapsa iaceat. Nec nescis, q̃ restauratam eam cupiant senatores clarissimi, quos te teste nuper illic in Pandocheo ad id rogando hortabar. Consules in hoc, tum Religioni, tum Reipublicæ. Et si famã spectas, nihil poteris splendidius facere, nihil inquam, quod te glorioſius nobilitet. Certabit hoc factum cum præclare factis ueterum atque illustrium Heroum, per quos patriæ sæpe salus allata est. Ciuitas literarijs rebus ueluti condita existimari possit, adeo nihil in ea non ad eas habile est. Audio passim de excidio eius collegij queri bonos, Audio plurimos pristinum huius statum exoptare, & qui illic malint, q̃ alibi uspiam agere. Sunt homines quidam, quibus instauratio scholæ istius nõ usque quaque placere uideatur. Nam factioni suæ misere metuũt. Tu satage, ut Erphurdia inclyta caput releuet, & amissam dignitatem recuperet. Poteris istuc, quippe σώφρονος, atq; is uir, quem pleriq; audiant. Vale Doctor humanissime, & me redama. Facchæ. Anno à CHRISTO nato M. D. XXXI.

Nihil

D. C. R. S. P.

NIHIL LITERARVM A TE ACCIPIO, quod quî fiat miror, scis me tibi esse cõiunctissimum, nec fugere, si quid imperes. Studijs tuis quid obsecro detraxerint epistolia? Mea certe subleuant nonnihil studia (saltẽ cum nõnihil seuerioris lucubro) si quas scribo, literæ. Et nosti, quantum commodorum hæ mutuum apportent, ut de necessitate nihil dicam. Si quæras, ualemus fauente DEO, & eam ualetudinem pietati impendere conamur, odio huius gratia a Sectarijs habiti, qui uentrẽ fere pro DEO amplectuntur, colunt, diligunt. Pecuniam parocho mihi partam, pedetẽtim absumimus. Degimus enim nullo adiuti, aut dono aut salario. Sunt hæc tempora mire dura, mire tenatia. Qui habet is eo fruitur, de proximo nemo solicitus. Piæ literæ in parua admiratione sunt, Mansuetiores Musæ in nulla. Salutis æternæ ratio nulla, compendij modo præsentis feruẽt studia. Diuina rerum finem. Nisi ego nonnihil substantiolæ mecum e Nymecia attulissem, aut emendicandus mihi prece uictus diurnus esset, aut egregie esuriendum apud populum, cuius aliquando doctor eram, & is (ut cum Paulo uere loquar) ἀδάπανος. Victito tamen frugalissime, et quod iurem, parcius, atque ulli Pythagoræ, ulli Curij, ulli Fabritij. Artibus ingenuis (si quid tamen harum labore non

bore non uulgari adſequutus hactenus ſum) ne cœnulam quidem unam mihi meiſque iam para re queam. Et ſunt, qui cum huiuſmodi experiun do ſciant, tędere tepereq; incipiant, et literas ut infru giferas, ac uiles relinquere cogitent. Video quibus tēporibus natus ſim. Video copias meas in arctum contrahi. Vtrò me referam, adhuc ſane hæſito. Ec cleſia ualde laborat in multis. Sectæ imminet exitus, utinam non exiciabilis tam in corpore, q̄ in anima. Optarim uero conſcientia illæſa uiuere. Populi utro biq; maiorem in modum me miſeret, nec magis libe ret animo meo, q̄ utrobiq; (quia omnium ex æquo debitor ſum) docendo inſeruire. Eccleſiā Romanam ob originem antiquiſſ. ueneror. Sed eadem, ob de formitates, maculaſq; quaſdam non diſplicere mihi non poteſt. Secta furata eſt ab Eccleſia ueteri non nihil, ſed tamen quia ſecta eſt, & animas attractas peius ſeducit, probare eam minime omniū poſſum. De Erphurdenſi ſtoa incertus ſum. Si quid uales, de nuo tenta, ut illic mihi agere integrum ſit. Panem ocioſus non comedam. Paruo uiuam. Sufficit ſi ſuppetat in quantum ſitis atq; fames & frigora po ſcunt. Libellum de bonis operibus nondum uidi. Si emiſſus eſt, ad me quoq; mittatur, & ſi quid ad uerſum exit, cura ut in tempore ſciam. Schenckius quidam Fuldenſis me ſcripto in conflictum protra

T xit

xit. Agitur de Monogamia Sacerdotali. Hanc ille refellit, ego defendo. Victoria ueritati, laus CHRISTO. Apost. Paulo ceu clypeo utor, atq; eodē ceu Romphæa. Vtitur istud Theologorū genus audacia pro sapientia. Sed exitus acta probabit. Vale optime, mei memor. Si Secta in me bacchabitur, habeo paratum librum, proximo mense mihi structum aduersus Lutherismum, in quo rem plane retego. Eum illi xenij uice donabo. Vale iterum et sexcenties. Facchę Anno. M. D. XXXI.

D. G. P. S. P.

OFFICIOSVM ESSE, NEC MIHI VSQVE adeo indecorum duco Pontane illustriss. ut te aliquando salutem. Atq; hoc uel cum primis exigit benigna tua comitas, te comis benignitas, qua erga me Nymeciæ utebare. Ibi uoto fruebar meo. Quale isthuc ais? Antea semp nosse exoptabā, quid tu animi haberes in his Religionum Euripis, id quod ex humanissimis atq; disertissimis colloquijs tuis facile percepi. Nam quis est cordatorum omnium, cui res non (si uerum fateri uas est) in melius placeat commutata? Porro ne salutasse excellentiam tuam tantum uidear, rogo & obtestor, ut fidei meæ catholicæ rectitudinem & conuersationis custoditam innocen

innocentiam aduersus iniquos flagellatores tueare. Scribitur enim ad me istorum obtrectatio, et ea, quę uappas, non Euangelistas deceat. Si peccaui, accuser legittime, & detur copia respondendi. Si fuero reuictus, ejiciar terris, deportar uel ad columnas Herculis, aut uapulem: Sin minus, tolerer ac audiar. Sectas nemo me capitalius odit, tantum abest, ut ullas iuuem. Ecce coram DEO non mentior. Quæro antiquæ Ecclesiæ orthodoxiam. Desydero scripturæ catholicum sensum, & uitam Christianorū CHRISTO dignam. Vale eximium Saxonię tuæ ornamentum. Facchæ. Martini. Anno. M. D. XXXI.

A. H. S. P.

NOLO FRATER CAVSSAS RETEXERE, cur ad te hactenus nullas dederim literas: Nã isto uulgari causandi more frustra consumitur & tempus et papyrus. Si uales, gaudeo, ego quidem: Laus bono creatori: Valeo una cum familiola. Facchę degimus in non inhonesta paupertatula, absq; publico munere, Neq; tamen ociosi. Ego solita excolo studia, Suas agit res uxorcula, lusitãt paruuli, & ĩdem nonnunquam docent, quid sit coniugium. Hyems infrugifera quidem, at frugiferis literarum studijs perquam amica est. Ipsa horrida, literæ uero sunt suauissimæ. Victus nobis tenuior est,

sed tamen in quantum corpusculis confouendis est necesse,& satis etiã. Genio nostro nihil indulgetur, ut est alijs genialis hyems, Non quod desit,quo Geniũ queamus delectare, sed quod nõ libeat, nec professionem Christianorum deceat. Fit uero,ut si quando CHRISTO uiuere studeam, longiuscule se a consuetudine mea submoueant potores amiculi. Quidam etiam desierunt amare,sed nihil curat Hippoclides. Nemo potest pluribus seruire dominis. Et amicitia mundi, est inimicitia DEI. Ea nunc uita,ij nunc mores regnant passim in Ecclesijs, ut aut heremum petere malim, aut mori, quàm istis fauere. Ah quantum iræ diuinæ thesaurizamus. Hoc cine reddis domino populestulte & insipiens? Væ cordibus duris ac pœnitere nescijs. Quid facietis,o amentes, aut quid dicetis in die uisitationis dominicæ,qui erit dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ,dies caliginis & tenebrarum. Spero te mi frater esse,qualem reliqui, Reliqui autem liberatum a præcisione,cuius defensores in ignominiam suam nobilitãtur, & dimissum ad ueteris ueræq; Ecclesiæ institutionem,doctrinam, fidem,conuersationẽ. Huiusmodi hortor mordicus tene. Gaudium est conscientiæ,solatium animi,uictoria aduersitatis, esse ἀληθῶς καθολικὸν. Ego certe uniuersas mundi huius opes non acceperim,ut sim adhuc partiarius. Videor mihi

or mihi nunc longe feliciſſimus eſſe, ſi quando Matri Eccleſiæ ueluti poſtliminio redditus ſum. Iactare me poſthac, atteſtante corde, poſſum, quod Eccleſiaſticus ſim, hoc eſt, Eccleſiæ per orbem uniuerſum diffuſæ membrum. Atq; talis egere mauelim, quam ἀιρετικός abundare. Crucifixores bonorum operum habere hoſtes elegi, q̃ CHRISTVM, Prophetas, Apoſtolos. Conuitiantur mihi ex tuto (nam ſæculari brachio proteguntur) rabulæ iſti: at futurum eſt, ut obmuteſcentes ligatis manibus pedibuſq; in tenebras exteriores proſciantur, eo q; ſe ſuaq; magis, q̃ Regnum DEI & iuſtitiam eius deprædicauere. Vale deſyderabilis atq; honorabilis frater. Matris tuæ uiduæ memor eſto, & pupilli. Vale iterum. Facchæ. Stephani. Anno ſalutis Chriſtianæ. M. D. XXXI.

I. F.

SAlue præcipuus Fautorum France meorum,
Quos mea fagus habet.
Nos pueros tenuit fortis dilectio: grandes
Fortior hac teneat.
Aſt careat fuco, Sit gneſia caſtaq;, qualis
Influit a ſuperis.
Odi qui ſimulat Pythiam, Catilina malignus
Quum ſit & Iſcariot.
Pectus amo purum, q̃d ſentit uerba loquentis

Oris amice tui.
Sed scio te nullo impuratum felle, Nec esse
Δίψυχον οὐδὲ κάκον.
Annales, quos scis, cupido mihi mitte legēdos,
Nil aliud uolui.

M. B. F. S. P.

LACONEM TE SEMPER EGO LEGAM, nunquam ne Asianum? Breuitas ista tua perparca posthac uix mihi probabitur, hominī uidelicet procul in Cattias alpes disiecto, aut si mauis Fuldanū faginetum. Nymecius boni consulebam breuitatem, quam frequentia farciebas, at nunc longior sis oportet, si satisfacere amico uelis. Expectabo igitur prægrandes Epistolas quæ res omnes circa Albim plene edoceant. Mones ut caute agam: quando libertas tuta non est. Equidem quo pacto cautius agam, haud scio. Nemo me latentior, nemo quietior. Vito Cathedras. Alienus a scholis iam pridem sum. Nec in ullius ædes penetraui docendi gratia. Adeoq; usu uenit, ut a me doceri uix pauciſſimi exoptent, in tantum increuit sectæ imperium, cui δυσόρατος ego mirum in modū sum. Colloquia perrara cum uno atque altero amiculo mihi sunt, in quibus dissensionē aperiam. Fit illud quoq;, ubi cōtigerit ad pocula assidere. Atq; utinā cum Crate seniculo

niculo in altissimam urbis partem ascendere, & clamare mihi liceat, in contemptū religionis, quemadmodum ille in pędagogiæ ἀμέλειαν. Spes restituendæ rei nescio quę me intra silētij cācellos cohibet. Quod unum licet, lucubro: ne prorsus infrugifer, & Mnâs defossæ reus in nouissimo damner. N. calcar uehemens addit, ut Ecclesię patrociner, & idem consulere rebus meis satagit. Quomodo inspectores Hessię erga me afficiantur, non mihi constat, nisi quod perpetuum silentium suspitionis nōnihil gignit. Raidium una epistola repressi. Isenacenses mussant, Vnus Draconites scripto respondit. Sunt quidam nō mali sacerdotes Romanæ obedientiæ, qui meam ambire amicitiā uidentur. Sed ego hactenus, quoad licet, commerciū horum uito, non quod ullum spernam, sed ne errori publico patrocinium ferre uidear. Princeps Hessus me de nomine nosse dicitur, idque ex nuncupato ante triennium Haggeo propheta, tum ex actione Rinchiana, quæ tamē erat fere nulla. Sed cur ipsius munificentia nō fruar (id quod nunquam expetiui) faciunt inspectorum & præfectorum delationes. Tantum scilicet scelus est, non esse Lutheristam. O nimium cerebro Hercinij doctoris confisi homines. Ratisbonensi conuentui aiunt Sueinphordensem succesſurū. Agitur immensis sumptibus pro conciliatione dissidentiū animorum, sed priuata gloria disie-

ria disiectura erat compositam etiam pacem. Illud Iunonis Vergilianæ adhuc corda mortalium obsidet, quo illa sibi hunc laborem proprium, hanc operam dari ab Alecto petiuit, ne inquiens, noster honos infractaue cedat Fama loco. Inter eos qui gloriam unius DEI uere quærunt, absq; multa difficultate quibat pax coalescere. Carolus Cæsar cohibet iram suam, fortassis non sine DEI consilio. Videt schismaticos mulctam commeritos, at parem pene Ecclesiasticos. Mulctatis illis, placebunt sibi hi, quorum ita tamẽ res habet, ut gloriari in immensum corã CHRISTO Ecclesię capite non possint. Vidẽtur mihi Schismatici propemodum nutare, nec satis scire, quò inflectant. Elisus certe est fremitus quorundam, & attrita audacia. Qui ante certissimi sibi uidebãtur, eos nunc disputare apud sese causam ipsam cõstat. Sunt tamen, qui pro stoliditate sua deierent se omnia citius amissuros, q̃ hac persuasione cessuros. Lachrymis digna sunt, quæ audire sæpe cogor. Dominus exurgat, & periculosos animorum motus mitiget, componens controuersiam, concilians reluctantia, frangens sanguinarias confœderationes. Amen. Facchę nono Aprilis. Anno M. D. XXXII.

D. C. R. S. P.

Nondum

NONDVM RESPONDISTI LITERIS, quas tibi Moguntinus tabellio reddidit, Quid obstiterit, augurari nequeo. Noui hic nihil est, nisi quod anabaptistæ apud Fagineos agminatim capti Fuldam ad supplicium trahuntur. Feruntur esse homines simplicissimi. Interrogati respondent se Christianos esse, nec se alio nomine capitis subire uelle supplicium. Persuasio efficax non sinit istos audire aliud, quam quod acceperunt a suis prophetis. Male sit prophetis talibus, qui e corde suo, non ex ore domini docẽt. Erroris huius omnis occasio a Luthero est, & tanto inclementius ille in errantes sæuit. Ipse pędobaptismum hactenus defendo, & soleo dicere de captis illud Augustini: Martyres non pœna facit, sed causa. Necꝫ tamen ullam animã damnare ausim, cuius demigratio e corpore, mihi sit incognita. Princeps circum Facchę fines decem plus dies strenue uenatur, quantumlibet interim cõfœderati ipsum Schueinphurdiam euocent. Est homo mire philocynus, mire philippus, tametsi hoc posterius cum multis commune habet. Inductus in Lutherismon est usqꝫ adeo clariss. heros, ut uix salua regione reduci possit. Iacit aleã Mauors, nec sibi tantil lũ metuit. Sæpe mihi in uotis fuit, ut aditus mihi ad ipsum aliquãdo contingeret, & eius cõueniendi copia daretur. Ita me dominus cœli amet, nihil illũ la-

tere paterer, essem posito metu illi nihil nõ dicturus. Homini bonis rebus nato non fauere non possum. Reuerere debeo, ut principem, at ut hominem periculosis motibus disturbatum admonere quoq; eundem cõuenit. Libellus pro defensione bonorũ operum, heri mihi primum e Lipsia allatus. Hunc ut alacer accepi, ita indignabundus posui. Bone IESV, quã deprauate excusum est salubre opusculũ. Nulla est fere pagina, quæ mendo careat, Multæ etiam multis scatent. Quî acciderit haud scio. Deuoluo culpam magna ex parte in puerum meum notarium, qui exemplar a meo archetypo descripserat. Nõnunquam subuereor cæcutijt ipse quoq; Typographus, Sed utcunq; euenit, alea illa iacta est. Libellus is quantũlibet futuræ laudis expers, nuncius esto in foribus iam iam adesse, & pulsare ueritatem antiquioris ecclesiæ, quam ego & sudore & cruore meo defendere pro mea dote surrexi. Vale. Facchæ. XXI. Maij. Anno. M. D. XXXII.

H. C. S. P.

16

FELIX ET FAVSTVM SIT N. QVOD uxorem duxeris. Scripsi tibi semel atq; iterũ, sed respondere supersedisti. Quo id animo facias, tute nosti. Tu Cotoniã pro Vuittenberga am-

ga amplexus & Euam pro Sophia, nos negligis. Inuidemus tibi lautam fortunam, si inde ebrius uetetrum sodalium obliuiscēris. Ego si nescis, apud Erphurdiam si nihil aliud Schismaticos silēs torqueo. Quid fiet, si eloquar? Non doceo in sacris, non profiteor in prophanis, nec tamen mihi ab importunis Euangelistis pax est. Commouent ciuitatem in mei odium furiosis clamoribus, & senatū instigant clandestinis susurris, ut aut ejiciar, aut uinciar. Quid futurum sit ignoro. Animus est ad omnes fortunę habitus custoditus. Laus Creatori, redemptori & sanctificatori meo in æuum. Vale. Metue DEVM. Honora patruū. Vale. Erphurdiæ. Viti. M. D. XXXII.

I. L. S. P.

VTER NOSTRVM AMICE DE ALTERIus diuturno silentio miratur magis? Lemma habeo, quo meum silentium excusem, de tuo tu uideris. Equidem animus fuit persæpe ad te scribere, sed ueredarij ad manum non erant, quales, quum Hallæ esses, habebam. Attamen quod literis nō potui, corde tibi ac tuis indesinenter omnia fausta optaui, & etiam nunc unice opto. Rerum mearum conditionem breuibus, quando ita uis, significabo. Facchæ hybernās, philosophiam sacram exV ij colui.

colui. Quoniam uero pleriſq; innotuerat, me non corpore ſolum, ſed animo etiam reliquiſſe ſciſſuram iſtam, orbi Chriſtiano peſtiferã, ac ſibi mortiferam, actutum in miſerum cœperunt uolare eruenta iacula, partim ſcripto, partim dicto. Quibus declinandis, & ſi nihil aliud egiſſem, uix tamen licuit ſatis aduigilare, ſatis parem eſſe. Atq; hæc quidẽ ante publicatam bonorum operum defenſionem: uerum ubi maleferiati prẽcones, lecta defenſione, in me omnem bilem cœpiſſent euomere, conĵcis qui mecũ tũ ageretur. Sub pentecoſtem iter arripui ad Vuernerum, non tam inuiſendi eius ſtudio, quàm meæ cauſæ ratione. Erant namq; Erphurdiæ, qui cum meæ tum publicæ rei conſultũ eſſe arbitrabantur, ſi illuc concederem, aut profeſſurus, aut pueros domeſtice docturus. Sed non abierant decem dies, & ecce diffamor per omnem urbem, atq; hoc ijs titulis, quos referre mihi acerbiſſ. eſt, tibi audire duriſſimum. Res eſt ad extremum tentata, ut ad coruos irem, quippe homo ſcorpium alens: breuiter Hęreticotatos. Cathedræ templares delaſſatæ ſunt crebris clamoribus & furijs non referendis in me, quem non nouerunt. Intoxicati ſunt ciuiũ animi tot uociferationibus, tot ſibilis, tot delationibus, tot uituperijs, tot calumnijs ſuorum concionatorum, ut nihil ſupra. Huc malum prouexere, ut quotidie expectem iudiciũ Magiſtratus.

tus, Nam ad hũc usque penetrauit fidei famæq; iniquissima denigratio. Voto me subinde interficiunt mansueti pastores Euangelici gregis, facturi tale gladio, si liceret. Nequeo tibi breuibus significare, quæ sit istorum Lutheromanitarũ impietas cum summa tyrannide coniuncta. Plurima silentio concoquere certum est. Causa furiarum alia, crede mihi, nulla est, nisi mea reuersio. Nolui amplius adorare Saxonicũ Hermersolem. Nolui amplius olfacere excrementa mendacissimi prophetæ pro balsamo, posteaquam degustassem ueterũ orthodoxorum sanctissima καὶ ἀκίνητα monumenta. Quare tentant omnia, ne ullibi ferar, sentientes me sectę suę haud uulgare detrimentum fore. Hactenus palam istis nõ aduersatus sum, nisi quod uelitatione illa periculum feci, quid paralogistæ possint. Ea fortasse lacessentur ad cõflictum. Procedant, sed aperto Marte. Insidias eorum odi, et animos sanguinarios, quippe, quæ mox extinctum cupiunt, in quem scribunt. In istorum regno tutum non est aduersus dogmata sua & præscripta hiscere, tãti Phalarides sunt Apostoli. Sed occidet Secta, peribit eius desyderium, pudefiet coram omni mũdo: principes seducti fouent colubros in sinu, ij ubi fuerint calefacti, immane, q̃ mordebũt. Noui istius euangelij animalia. CHRISTVS IESVS illustret super eos noscq; uultum suum, & misereatur nostri. Illi gloria.

 Vale.

Vale. Erphurdiæ. Ioannis Baptistæ. Anno M. D. XXXII.

D. C. R. S. P.

QVIA ERAT NVNCIVS, CVI RECTE darem ad te literas, non potui non scribere, tametsi uix credo accepisse te, quas superiore hebdomade a Faccha misi, ut intelligas quanti apud me fias, & quantopere mihi redameris. Expecto a te literas quotidie, e quibus percipiam quid bonarum rerum apud Ratisbonam agitetur. Neque enim te eiusmodi ignorare sinunt uiri Catholici, qui illic sudant, ut sopiantur dissidia. Dominus IESVS dignetur τὸν ἀλάσορα trãsformare. Subodoras quem notem. Idem dignetur Augię stabulum purgare. Intelligis nimirum & isthuc. Vtrunq; in uotis nostris maxime est. In uniuersum expes non sum in hac urbe, quantumuis quidam succensеant. Machinabuntur omnia, ne locus mihi sit, ea istorum pietas scilicet. Suum ἀλλοπροσάλλον Martem proni adorãt. Ab hoc dissidere extremum nephas credũt. Qui stant ab Ecclesia Romana sic fere uiuũt, ut schisma indurent potius, q̃ emolliant. Res utrinq; ὦ φίλε longe miserr. ac talis est, quam noctes atque dies merito defleamus. Propheticum illud experiemur: Iniquitates uestras: ait do

ait dominus: remetiar in sinum uestrum. Tu custodi innocentiam tuam, & malis ne assenti. Felicem ter ac amplius, qui per Scyllam et charybdim maris huius, medio cursu illæsus nauigauerit. Vale. Dominus te seruet. Erphurdiæ ex agno aureo. Pentecostes. An. M. D. XXXII.

I. VV. S. P.

SANAM MENTEM CVM CORPORE SANO. Dilecte puer, rectissime feciſti, ꝙ me certiorem reddideris per literas tuas de Nouercæ obitu, cui ut uiuæ bene precabar, ita mortuæ optime non precari non possum. Faciat DEVS, ut extra corpus commodius agat, q̃ egit in corpore. Nouerca fuit, & sæpe eam nouercam expertus sum plus uiginti annis, at tamen grauiter mihi doluit miserrimæ mulieris casus. Eum dolorẽ auxit immitis tractatio, inhumana increpatio, tenuis atq; perparca cibatio. Faui ei, ut sorori in domino, Reueritus eam sum, ut patris uxorem, hoc est, aliquo modo matrem, miserebar uicem eius, ut hominis. Me octennem in curam maternam suscepit, &, ut conueniebat, teneram ætatem tractauit, ut nihil nouercalis aut iniusti sentiscerem. Secus aliquãto actum est, posteaquam complusculos annos attigi. Sed huiusmodi obliuione abolen

abolenda duco. Condono ei, condonet ipsa mihi. Mors (somnum rectius dicerem) eligenda illi erat, præ ista uitę miseria, si tamen est uita dicenda, quam proxima hyeme uixit in tanta calamitate. Habeat propitium CHRISTVM (cui credidit) seruatorem. Amen. Caue tu uero nisi eam ijs uerbis conueneris, grabbato suo adhuc decumbentem, q̄ quibus iussi, quum in itinere mens mihi præsagiret, fore ut absen te me moreretur. Cõfido eam rite humatam esse, aut certe, ut nunc ferunt tempora, defossam, sicut homines saltem defodi consueuerunt. Profecto uix siccis oculis spectator eius rei extitissem, utcũq; parœmia irridet eos, qui fleãt ad Nouercæ tumulum. Vtinam pater Trigamia contentus sit, at uereor ne nobis etiam inuitis Tetragamos aliquando fiat. Senium hominis decebat agamia, & famæ suæ continentia reliquæ uitæ consulere poterat. Turpe senilis amor: inquit Naso, & rectiss. Quid enim caniciei cum Hymeneo? Attamẽ si suo animo obsequi in uniuersum decreuit, sinendus est. Fortasse huius eum minus pœnitebit, quam si impudice amasset. Fouendo senio tale largiamur, nec iritemus frustra stomachum Chremetis huius. Nosti illud: Bos lassus fortius figit pedem. Intelligis me consulere autoritati honestatiq; aui tui, & cupere ut laudem prudentia ac cõsilijs in administranda politia, præterea erga patriam fide atq; uigilantia par-

lantia partam tueretur. Vellem eũ meminisse, quanto in precio, ob prudẽtiam suam semper fuerit apud oms tam nobiles q̃ populares. Vni atq; alteri Principum Hessiæ ac Buchoniæ hic Pandocheus, & probe cognitus, & amatus ciuis erat, quo illi sæpe familiarissime usi sunt, ut Barones, Senatores, denicq; negociatores finitimarum regionum ciuitatumq; omittam. Virigrauitas a multis prædicata est. Constantiam plericq; in eo mirati sunt, & prioris sæculi decus, maxime quod nunquam eò potuerat duci, ut aut huius sæculi mores sectaretur, aut placita ullarum Sectarum amplecteretur. Quidam seditionarij, Sectis quippe deditissimi hominem oderunt, nõ ob aliud, nisi quod nolit suffragari turbulentiss. nouæ Ecclesiæ cõcionibus: Deinde quod sit seuerior aliquanto in quosdam immorigeros nocentesq; ciues, & Catonis censuram quandam prę se ferat: Postremo quod se patre Vuicelius prodij. Hactenus hæc. De cæteris quæ significas, ut quieto sis animo iubeo. Hæ res aliis curæ erunt. Tu caueto ne cognatos uel gestu uel uerbo uel facto ullo offendas. Neq; enim soluenda est ob opes amicitia. Fac ita te domi geras, ne uel suspitio mala cuiuspiam in tuam innocentiam cadat. Nosti quantopere istud tibi discedens inculcarim. Reuerere auum, audi auũ, obedi auo. Ne illi responsa, ne morde, ne iratum uultum ostende. Frange du-

ritiem eius patiẽtia, ſicuti me exemplum habes, Seni li moroſitati cede. Mandata ſcholaria ſpero, ut te decet, ſeruabis. Ædes meas ſæpiuſcule reuiſe. Meam familiolam ſolare, ſi opus ſit. Prælege illi pias literas. Adhortare ad orationem & bona facta, quæ & tu exprime. Caue ne te illecebris ad peccatũ trahat Angelus pendulus. Angelorum noſti uariũ eſſe genus. Mores, non homines noto. Nam hunc ſtudioſius ſequeris atq; Stellam. Diuina quid mihi ſub hoc ænigmate uelim. Sum tui impenſe zelotypus, tibi non absre metuens. Sciſcitabor quî uiuas: hoc tibi perſuade. Nullum nuncium prætermitte, cui non ad me literas des, etiam ſociæ meæ nomine, quam eſſe animo paruo, & mœrenti pauidoq; noſti. Puellas cura, & ama, ſicuti te ego curo et amo, curaui & amaui. Sororculam tuam refrena a patrijs moribus, erudi eam mores pietati & ætati ſuæ accommodos. Obiũrga eam, ſicubi uideris licentius agere. Condiſcipulos ne neglige, oñem moue lapidem, ut illos aliquouſq; in re grammatica proceſſiſſe, ubi uenero, cognoſcam. Vale, DEI meiq; memor. Erphurdię ex Agno aureo Nono Iunij. Anno. M. D. XXXII.

I. VV. S. P.

Quomo

QVOMODO TE GERIS IN PATRIA ET in tali patria, ubi agere laxato loro licet, re-sciam. Nosti quid agere, quî uiuere debe-as, ut DEO & mihi rem gratam facias. Nunquam, mihi crede, futurum est, ut te mihi obaudisse pœnite at. Fuge eos, quos te fugere oportere nosti. Vua con tacta, inquit ille, liuorẽ ducit ab uua. Scribis patrem indignari, quod nihil de rerum mearum conditione scripserim. Scribere mi puer non potui, quæ ipse ne-sciebam. Quid enim iuuat, si uos uerbis lactẽ, quem-admodum me quidã hic lactant? Promittuntur mi-hi aurei montes: acciperem æneos. Arduum est exci-tare demortua studia, præsertim in tanta Religio-num atq; opinionum diuersitate. Vtcunq; est, ade-ptus sum in hac ciuitate optimorum uirorum fauo-rem neutiquam uulgarẽ, quæ res Schismaticam par-tem uehementissime urit. Frendent in me, ac si illis in faciem minxissem. D. Ionas conatus est summis uiri-bus famam meam lædere apud magistratum, sed fru stra sumpsit totam operam. Viri integri non facile credent unius Sycophantę ac traductoris uirulẽtijs. Seruabunt reo alteram aurem incorruptam. Archi-grammateus ciuitatis, quem heri capiundi cõsilij gra tia adij, iussit me quieto esse animo, nec timere pestes hasce. Ego quidem, sic me CHRISTVS saluet, plane nihil timeo gygãtes Lutheranos, fretus nimirum re-

cti conscientia. Rẽ cuniculis insidiosis agunt, corã me muti. Totam ciuitatem implerũt meo & Vuernheri nomine, ut animi sui odiũ exaturent. Nobis ubiq; ut perditissimis Papistis detrahitur, ubiq; laceramur, et tantum non uoramur. Vitant nos Sectarij, & quos ante amicos, nũc inimicissimos habemus. Audimus Apostatæ, hypocritæ, pneumotophori, propterea q; a Lutherismo ad Ecclesiã redijmus. Experior uerum esse, q; olim quidam dixit: Non honori, sed pœnæ est, Catholicum esse. Nihil intentatũ relinquent, donec me urbe profligarint, Conciones in nos maliciosissime torquent, atq; ita nos publice atq; domestice colorant, ut tandem ad lapides adacturi sint miserrimum populum. Hoc nos magnanimos reddit, & ingenti est solatio, q; scimus, meris mendacijs aduersum nos agi, & ex mera inuidia. Nec dubitamus, in eam ipsos casuros foueam, quam nobis foderunt. Si res ad Senatum planius deferetur, expectanda est mihi cum illis disputatio, à qua ne tum quidem abhorrui, quum in ipsorum Regno eram. Persuasissimi habeo, seductos illos esse, uel ad inferos usque. Qui sunt e populo sanioris iudicij, ij impostoras intelligere cœperunt, & magna pars Erphurdiæ resilijt à Catilina, maior in ambiguo hæret. Speratur Cęsarea sententia, quæ utinam grata foret. Amen.

Versor hic in Bibliotheca Minoritarum locupletissima. Ami

ma. Amicitia mihi intercedit cum catholico eccleſiaſta, & illius fauore patet mihi ad eum Bibliothecę locum liber aditus. Si nulla alia eſſet cauſa, cur hic à uobis auulſus agerem, hæc certe ſatis idonea, nimirum q̄ eſt Bibliothecæ copia mihi facta. Facchæ quoque oporteret ſumptum facere, & fortaſſis hic parcius uictito, nec puto familiolam meam uſqueadeo multum inſumere per tantillum tempus. Et ſi maxime Facchæ eſſem, quid iſthic aliud agerem, quàm q̄d hic ago? Libros q̄s hic legere facultas eſt, Faccha non habet. Da operam meæ familiolæ, non tuis rebus duntaxat. Prælege illi, & quæ ſunt præclare & inſigniter ſcripta crebro inculca, dū memoria teneat. Triſtem ſolare, nam ſciens ſcio Nubem iſtam tandem uel ex inſperato tranſituram. Suauiludij regnabunt, dum licebit, Niſi obſtabit diuinæ ultioni prælatorū quorundam, & maxime Romanæ curiæ non ethica, ſed ethnica uita: Vnde ſubuereor, ne uerſa ſententia, illud Romanenſe malum primum ſit Concilio tollendum. Secta Germaniæ tuta eſt fortaſſis, ob Italię mores. Neſcio. Certe oportet aliquid in cauſſa eſſe, cur eò uſq; hoſtes Eccleſiæ doloſiſſimos prælicēter graſſari patiatur DEI iuſtitia. Ego patiar eorum crimina tiones, ob CHRISTI criminatum olim nomen. Dabit DEVS his quoq; finem. Ora pro me. Vale. Salu

ta patrem & omnes bonos. Erphurdiæ, Bonifacij. Anno. M. D. XXXII.

D. F. N. S. P.

MIRVM IN MODVM INGRATVS EGO sim, si in obliuia abire patiar tuam istam erga me humanitatem comitatemq;. Et est, quod te deamem, ob peramica adeoq; fraterna promissa, quæ forte experturus sum in istis rerum mearum undis. Vndiq; angustiæ, undiq; pressurę, & eæ minime uulgares, adeo

Sæuit in immeritum sæui Synagoga Lutheri,
Quod pars cessarim corporis esse sui.
Sæuiat ad summum, mihi stat sententia fixa,
Sectis in totum credere nolle nouis. Ionas, gẽma illa Euãgelici nominis strinxit in me stylũ suũ, hoc est, se dignũ. O optime CHRISTE, q̃d penu, q̃d plaustrum uirulentissimorum conuitiorum, & mendaciorum, Non credas charissime Frideriche, quàm nihil in eo libello insit, aut sani, aut probi. A fronte usq; ad calcem maledicit, ludit, mentitur, infamat, ridet, breuiter blasphemat. Consilium operis est, uoluit mihi q̃ maxime nocere, & animam, famam, corpus uocare in periculũ, ut oppressus tacere cogerer, utq; mihi apud ullum nulla fides esset. Metuũt, metuunt inquam, sese retegi, sese retegi. Sed non est consilium contra excelsum. Ego, duce CHRISTO, uehementer

ter ἀθυροσομίαν illam oppugnabo, et iam accingor. Orbis non uidit librum, qui plura mordaci felle tincta spicula semel effundat. Exhausit hoc opere totum spiritum euangelicum. Caput rei de qua est lis, nempe de effectu bonorum operum, paucis tractat, usq; adeo occupatus est in maledicendo. Locorum a me pro operibus adductorum, ne uni quidem respondet. Infarcit sua modo, et claudi more tenet baculum magistri sui. Dabitur, ut refutem, & catholicam sentẽtiam a Pœnis istis perfidiss. uindicem, seruata ubique modestia, ut decet. Opinor minime me aberraturum a uia DEI, si monstrem nescientibus quid boni habeat secta hęc, quidue mali: Deinde si moneam scientes, ut bonum huius sectentur, malum uitent: Præterea si phrenapatas illos superbiss. gladio domi nico feriam, idq; hoc uehementius, quo ipsi sunt desperatiores inimici Ecclesiæ: Postremo si incolumitatem meæ famæ aduersus impudentiss. rabularũ mendacia serio tuear. Vale in CHRISTO saluatori, cui laus, qui addat animum fortem, & Lutheri leonis terrore carentem. Amen. Vale. Facchæ, Octauo Nouembris. An. M. D. XXXII.

Dñ. L. T. S. P.

Scripsit

SCRIPSIT AD ME NVPER DOCTOR N. uir quantum ego iudico, minime in infimis habendus, siue spectes religionem, siue doctrinam. Epistola porro eius grauida erat, quam quum resignassem, reperi alterã, tuo inscriptam nomini. Hanc tibi ad manus ipse deferam, ubi per hyemis iniuriam potero. Occupatum me iam domi detinet Ionę liber in caput meũ proiectus, in quo, quum respondere se defensioni bonorũ operum a me scriptæ polliceatur, nihil nisi contumeliose mentitur & calumniose conuitiatur. Rem ipsam uix summo digitulo attingẽs, ea deblaterat, quæ in scholis atq; cathedris partiarijs tritissima sunt, & mihi pridem cognitiss. Quare nihil erit negocij istiusmodi probabiliter refellere. Sum nunc totus in istis lyris tricisq;, & ad respondendum uanissimo homini me conuerto. Si euangelicum & glorioſum est, maledicere, nihil erit scortis euangelicoteron. Sed uidebunt mortales oẽs mendacia iniusti Ionæ, hoc impudentiora, quo sunt manifestiora. Mentita est iniquitas sibi, non mihi, ita me CHRISTVS dominus amet. Ira breuis insania rotat illos audaculos, ut nesciant quid scribant, aut faciant. Nam ultra modum, ultra hominis captum in me excandescunt, fremunt, grunniunt, quia tandem præ me fero, me nouo euangelio, id est, nouis antiqui euãgelij glossematis libere refragari. Altera pars defensionis

defensionis bonorum operum o pera doctoris Nau seæ Coloniæ excudetur. E Lipsia librum germani cum de Iustitia fidei simul & operum, iam diu expe cto. Et alium de lib. arb. fidelium Christianorũ. Ty pographi impudenter fallunt, opinor euangelicos esse. Venantur modo lucrum ex libro quolibet, nõ pietatem, non multum absimiles Tuccæ illi, quem Martialis ob quęstum librorum salse notat epigram matico Distícho:

Exigis ut nostros donem tibi Tucca libellos,
Non faciam, nam uis uendere, non legere.

Cupio Do. T. ualere in CHRISTO saluatore fideli um & obedientiũ. Illi honor & gloria in omne æuũ. Amen. Is te diu sospitet. Facchæ, Catharinæ. An. M. D. XXXII.

D. C. C. M. C. E. M. H. V. S. P.

QVIA ERAT POTESTAS CERTI HO minis, & a studijs ocium, non potui non salutare uos, uiri boni, amicos uenerãdos, & præterea carptim admonere, ne lectis Iodoci Co ci calumnijs uel siniserius de me sentiretis, uel uos ab orthodoxa de iustificatione doctrina seduci sine retis. Scripsit, at rescribetur, & quidem ocyss. Qui hactenus dubitauit, quo spiritu ducerẽtur noui Ger maniæ apostoli, illi uel unus Coci liber satisfecerit.

Vos iudicate, uos pronunciate, si eiusmodi DEO au-
thore geratur. Decreuerat ulcisci, non respondere,
hoc est, sui esse persimilis. Placet mos, ut hominũ tali
um. Si secus facerẽt, Lutheristæ non essent. Duo agit
lucerna illa sine igniculo, Aut enim calumniatur, aut
hæreticatur: Belligeratur cum fama mea, & cum do-
ctrina Ecclesiæ. Vos estis spectatores, uidistis bellan
tem, rebellantem nõ uidistis. Audistis incusationes,
excusationes non audistis. Fortis est se iudice bella-
tor Cocus, & ipso Sicinio dentato fortior, adeoque
meretur Achilles Vuittenbergensis dici, sed pugna
nondum confecta est. Ego longe inferior fortunis,
celebritate, potentia eius sum, fateor, at conscientia,
ueritate, studio plane non cesserim. Noui eius Theo
logiæ sutelas, sunt mihi cognitæ technæ atq; insidiæ
lucifugarum Blattarum: præsidia sunt papyracea.
Est magniloquẽtia & Thrasonismus quidam. Sunt
uerba & uoces, præterea nihil. Fiducia est in assensu
leuis turbæ & principũ bonitate, qua ad omnia ubi-
libet abutuntur, at quando rota fortunæ circuma-
cta fuerit, tum cocta numerabimus exta. Vos rogo
per summum CHRISTVM ne turbemini. Suspendi-
te animos a sententia, priusquam legatis confutatio-
nem Sycophantici libelli, cuius bona pars isto octi-
duo mihi absoluta est: CHRISTO gratia. Restat ut
asseram bona opera post fidem necessaria ad uitam,
& refel

& refellam tortas Coci scripturas. Triumphabitur Iugurtha, Scipio ac Marius exultabit. Valete docti, & ῃdem uiri orthodoxi. Facchæ. Martini. Anno do. M. D. XXXII.

D. C. R. S. P.

QVI FIT CHARISSIME, VT TV NVNC mutus sis, quum aduersarῃ DEI & nostri uocalissimi, omnia suis strepitibus clamosis impleant? Legisti Ionam, tyrannum, nõ columbam sentio? Mirum ni legeris. Et quomodo afficiebare inter legendum? Nonne dolebat, Vuicelium nõ spinis, sed telis amarissimis excarnificari? Mirum ni doluerit. Eripuit me ne ab amore tuo subdola scriptio? Vulpinari hominem puto sensisti, atq; ita temperare rem, ut me tibi inuidiosum faciat. Sensisti? Mirũ ni senseris. Quid uero addi potuit ad libelli maledici maledicentiam? Quid unquam æditum est huius simile, siue spectes contumelias, siue blasphemias? Nullus Iudęus, nullus Sarracenus, nullus Pilatus, nullus Nero, nullus Erostratus, nullus parricida, nullus denicq; mortalium bipedum meretur ad eum modum tractari. Fortis animus & in se totus teres atq; rotundus sit oportet, qui summæ istius iniuriæ & inenarrabilis calumniæ ferendæ par sit. Non est liber, sed coluber: non responsio, sed infamatio: gladio non

calamo exarata. Quando in manus sumerem lectu/rus Tragemata illa puri Euangelij, dixi:

Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo,
& dein accinctus paraui confutationem, qua partim maculas omẽs eluo, partim orthodoxiam tueor. Vi debit ille exos atq; exanguis Theologus, & mihi es/se machæram domi. Nihil pronuncio, uos iudicato/te. Par erat, ut tu quoq; nunc in harenam descende/res, ne puteris colludere. Venãtur te illi mihi crede, & illud saltem uidentur exoptare, ne scribas. Aude igitur aliquid Catholico uiro, qui Lutheranus erat, dignum, & retege albam Sectæ lepram. Sunt duo, quæ mihi addant animos, nẽpe ueritatis diuinæ cer/titudo, & uirtutis conscientia. Nulli igitur cedam in/star Termini. Opponam fronti duræ duriorem, & ero silex contra melitæos istos catulos. Si quid po/terunt, in corpusculum hoc putre poterunt, in ani/mam & famam nihil, tametsi ijs etiam struunt pedi/cas. Vale in CHRISTO IESV. Facchæ. XXIIII. Nouembris. Anno. M. D. XXXII.

D. I. C. S. P.

MOGVNTIA ABII, TE PER COMITEM tuum salutato. Quod autem celerius abij, caussa erant mercatores conterranei, cum quibus mihi redeundum erat. Habeo gratias, quod de me

de me solicitus fueris. Accedet hoc opus ad cumulum aliorum charitatis tuæ bonorum operum. Neuter libellorum excusus ad me rediit, quo tamen nihil magis opus erat in his pressuris meis subleuandis. Scripsi magnati illi per occasionem, ac significaui me met ipsi literas tuas redditurum, si per hyemem hirsutam liceat, & labores, quibus in scribenda confutatione Ionicæ responsionis totus distinebar. Sors tibi mea uir optime percognita est. Versor in maximis acerbitatibus, interq; summa pericula. Exaltati sunt super caput meum inimici mei, & quę non rapui exoluo. Contra me loquuntur, qui sedent in porta, & cantant bibentes. Cogitant supplantare gressus meos, extenso reti. Viuum absorbere me decreuerunt, adeo irascitur furor eorũ super me, cuius auxilium a nomine domini est, qui fecit cœlum & terram. Respondi Ionæ cõuitijs sine conuitijs, neq; tamen edentulus, & retudi calumnias. Ad hæc restinxi eius libelli faces, ac asserui rectã de Iustificatione opinionem catholicæ Ecclesiæ, confutatis tortissimis citationib. Nondum deliberaui, ubi commodius prælo tradatur, & postulat res, ut sine mora publicatus liber, triumphos culinarios quiescere iubeat. Si quid tu ea de re & mihi & Ecclesiæ prodesse potes, consilio aut facto, sciam per literas. Ora pro me. Vale in CHRISTO beato DEO. Facchæ xxv. Nouemb. An. M. D. XXXII.

L. I. K. S. P.

ACCEPISTI VIGILIOLAS HVMILITATIS nostræ, eas spiritui tuo probari percupio. Dabis operam, nisi in totum displiceant dialogismi, ut saltem emendati, si minus nitidi, Catholicis Germaniæ hominibus legendi contingant. Nec dubito, quin nonnulli etiam de noua factione, libello lecto, intellectoq;, ad mentem suam sint redituri. Si exasperentur inde personatæ uulpes, demolientes uineam domini, nihil oberit. Noui eas, ipsæ me nondum. Noui etiam Ficulinæ Theologiæ medullam, quare non extimesco. Æstuant infelices, q; uituperem bullatas eorum nugas, sed non trepido. Trahere eos intellexi non CHRISTI, sed Lutheri funem, ob id animũ ab eis seiunxi. Incedentes aduersum me, nunc circumdederunt me, oculos suos posuerũt declinare in terram: Similitudo eorũ quasi Leonis desyderantis prædã, & quasi catuli leonis sedentis in absconditis. Spes mea autem in DEO salutari, qui nondum despexit orationem meam. Gradior interim in Innocentia mea, cuius probatio est, iniquitas malevolorum Lutheristarum, qui pudorem cum pietate perdiderunt. Tu, per CHRISTVM obsecro, aduigila, ne diutius fraudentur piæ animę bono opusculo, quod ad bona opera in Ecclesiam reuocanda operatus sum. Vale in CHRISTO saluatore, cui sempiterna

piterna laus & gloria. Facchæ Vigesimoquinto Nouembris. Anno M. D. XXXII.

M. B. F. S. P.

DIV EST, QVOD ABS ME NIHIL LITE rarũ accepisti. Tuæ ad me dura, atq; adeo dira continent, sed non fregerunt animum hunc, qui hactenus timendorum contemptor est. Facis tu ut interest minime fucati amici, submonens ut prudens sim, nam esse hostes præpotentes, celebres & quos defendat numeros iunctæq; umbone phalanges. Vera tu quidem prædicas, sed potẽtiores eo non sunt, in quo firmata spes fidutiaq; mea est, qui est osor sectarum, qui erit populator noui Euangelij, qui spõsam Ecclesiam non repudiauit, & qui est refugium pauperum in pressuris, spes a turbine, umbraculum ab æstu. Sunt isti insolentes, scio, sed uideant ne Samium comatũ pugilem suo perpetuo malo despiciant. Sunt feroces uiperæ, sed dentes suos q̃ limam ferream citius corrodent. Neq; enim mecũ, sed cum uniuersitate totius Ecclesiæ & Scriptorum omnium belligerantur, nec in me gorgonea scripta sua, sed in doctrinam Christianam iaculantur. Iodoci coci bilis mascula calido sub pectore intumuit, & quam uix extinxerit urna cicutę, quid facere, quid cogitare debeo? Sileam an respondeam? Feruescit sanguis.

guis. Reprimo ultionis cupiditatem, ne similis Coci esse existimer, at in caussa non mea superior, quam ualde læderem si in furentem furerem. Quid censes sapientiss. uir? Si respondeam, irito crabrones? Sin sileam, detrimentum patitur fama, unguento optimo melior? Sed malo in priorem scopulum incurrere. Respondere igitur proposuisti, inquis? Imò respondi duodecim dierum labore, & ita respondi, ut nisi exuissent cum religione pudorem, ad extremum forent sibi ipsis displicituri. Nudaui, qua fide tractent scripturas, detersi a me aspersum lutum, depuli a cer uice mea uiolentas impressiones, & apostolicam lustificationis doctrinam adserui contra plumbea, imò plumea ac plane ἰωνικὰ argumenta. Mi amice chariss. nihil mihi metuas, scio enim & persuasissimus sum, hæreticam esse curiam tuam, errare, seducere, animas ad stygias undas mittere, deo odibilem esse, & merito inuisam Romano Imperio. Ne te fallant celebria nomina, Thrasonismi, encomia illa, dulces concionnes, picturati libri, accursus studiosorum, applausus imperiti uulgi, & principum uirorum fauores, census, honores. Sunt omnia uana, ne dicam ipsa uanitas uanitatum. Non enim stabunt aut stare poterũt, (ni ferro cingantur) ubi res ad seueriss imum examen doctrinæ nouæ uenerit. Fuere olim Sectæ hac longe potiores, nec tamen iudicatæ constiterunt. Si purgare ma-

gare maluissent uestri Apostoli, quam turbare Eccle siam, hodie adhuc cum eis essem. Promiserunt correctionem, & ecce destructio. Credidimus Euangelij pallio, sed eo detracto apparent somnia monastica, ueteribus abditis. Tempus omnia reuelabit. Quam Tertulliani ex apologetico sententiam nunc eo magis exosculor, quo meis afflictionibus plus consolationis suppeditat. Vale. Facchæ. xxv. Nouembris. Anno M. D. XXXII.

D. I. D. S. P.

MOTA EST MIHI CAMARINA LVTHErana, odor exit teterr. & qualem ex ea nemo expectasset. Habes in Coci libello Iò Pæan, Io Triumphe. Strepunt omnia gloriis, encomijs, ronchis, sed dum licet. Non queror de iniuria summa. Nihil comminiscor intolerabiles calumnias, immania conuitia. At quis finis? Desiccari etiam posse putas camarinam? Ipse nõ desiccabo. Quis abnuit? Nec tamen non desiccabitur, quod clamitant omnia. Sed nõ nisi plus hinc nobis noxæ exhalatum fuerit. Nondum sensere pestes, eius omnium animi. Pars maxima iudicat non camarinam, sed hortũ balsami esse, & nescio cuius Adonidis. Pauci introspiciunt, expendunt, examinant, dijudicant, quare pauci norũt, quo loco res miserę sint. Meretricia coci procacitas

cacitas non me tam male urit, q̃ dolet turbam credulam nare quouis trahi. Heu pœnitenda olim. Tu in eadem pene naui es, audis Transcriptor scripturæ, audis Μωμός, audis Cato post duos: Adeo nihil est, qui Luderanus est. Quæ insolentia, quò eruptura sit, facilime diuinaueris. Bonus DEI spiritus in maioribus olim dissimilima ijs agebat, quæ hodie uidemus. Si fauebit pax longa, si assentientur præpotentes, palpandum sese præbebit eximie euangelicus genius. Meo animo nihil dubium est, fore, ut tam fleamus schismatici, quàm risimus. Labores tuos prædicauit mihi apud Erphurdiam Schollus noster. Sunt illi Herculei aliquo modo, & miror te exantlandis illis parem esse. Non tu εὐκθικῶς transcribis Biblia, ut mihi persuaserunt. Erit uisendum ac utile opus, uerum duo obstant ne res ad uotum tuum succedat. Nimirum Typographiæ inopia, & Emptorum paucitas. Nam quotusquisq; emerit tam grande uolumen? ut de inuidia ingeniosorum honestorumq; operum co mite nihil dicam. Vnum subdo, Germanicę uersioni ne nimium fide. Blanda est & perspicua, sed alicubi non ἀσαφολος. Sed hæc sus Mineruam. Vale in CHRISTO seruatore, qui te utatur ad honorem spõsæ suæ. Facchæ. xxviij. Nouembris. An. M. D. XXXII.

M. H. S. S. P.

Quam

QVAM MIHI VIR IVCVNDISS. REDAmeris, nec tu facile credas, nec ipse paucis dixero. Immunis es a sciſſura, idē ego. Inuidia laboras apud Iuſtulum et Prutionem, idem ego. Eſt parricidiale odium Albis, quo præterea ego laboro, & eſt mihi res cum popinis Saxoniæ, ſat unctis quidem illis, ſed tamen popinis. Audiuntur & Meuñ item Bauñ coorituri in me, ō fulminator Iupiter. Quid tentabunt Miſelli Theomachi? Theologi inquam, qui Paulum cōtra Paulum interpretantur? Ais, Aquilę ſunt, tu ſcarabeus. Imò cameli meri, ego formicula, Scio. At res ea DEO moderatore tranſigitur, ut ſtultitiæ ſit, de perſonis diſputare. Non reclamo, potero opprimi, ut ſunt reges tales euangelici, attamen uinci ea ſententia, cui patrocinor, nunquam poterit. Vos amici cauete, ne iudicñ plus æquo prodigi ſitis. Alterum oculum integrum ſeruate confutationi meæ, dein pronunciate. Qui popinas iuuat, is ſemel proculcauit Chriſtianiſmum. Rabire eæ potuerunt, reſpondere, ut decuit, non potuerunt. Lacerare famam meam licuit (ō artes, ō arma ueſtra Lutheriſtæ) retundere citatos locos, probabiliter argumentari, ſcripturis amicis uti non licuit. Vale, & me amare, quod facis, perge. Facchæ. xxviij. Nouemb. Anno M. D. XXXII.

D. F. N. S. P.

NONDVM FORTE REDDITAE SVNT TIbi literæ, quas ad D. Laurentium Truchſes dedi. Sin redditæ ſunt, legiſti nimirum, qui mecum agatur. Bella undiq; imminent. Circumderunt me uituli multi (non mentior, non iocor) & tauri pingues uallauerũt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, immites urſi. Vnus ego obiicior multis canibus, feruent odia, ardent iræ, uolitant criminationes tam acerbæ, ut nihil ſupra. Supereſt, ut manus adferant innocenti orthodoxo. Adferant, non relabor. Malo pati conſors Eccleſię catholicę, quàm Lutheriſticæ. Proteſtor atq; uociferor, non confellere me, ſi qua habet Secta, quorum catholica rectaq; ſit origo. Impugno repentina ac tumultuaria illa unius fraterculi dogmata, quæ neſciuit antiquitas. Ionæ libellum ſiue flabellum, quo gens perdita uentulum ſibi facit in Aporia iſta ſua, propinaſſe mihi cicutam, non ſolum nigrum ſuccum Loliginis uides. Expecta, ſi non talionẽ remetiar, certe ita temperabo rem, ut dubites, uter alterum peius læſerit. Si uoluiſſem, bone IESV, quanta erat in præſentiarum equo plenicies. Reſcriptum eſt, excuſum nondum. Forte ad uos reuolabit archetypus, ut eò, ubi poſſit citius & nitidius euulgari. Mirabere Dauidis male cincti pueri quinq; limpidos lapides, quibus ſtatua enormis deiicie-

dejcietur, cum ſummo ſuo probro. Te mirũ in modum rogo, ut, quod nunc iterum atq; iterũ exopto, ſatagas ne fraudẽtur ſtudioſi Eccleſiæ opuſculis meorum digitorum. Si exijt Apologia, mittantur hinc aliquot eius exemplaria. Opprimor ſilentio meo, & periclitor cum Amyclis. Vbi ſunt libri tui, inquiũt? Quid ad hæc reſpondes? Obturarunt tibi os? Atq; adeo, ubi eſt deus tuus? Non eſt ſpes illi in DEO eius. Quare effuſiſſ. obſecro, ut prodeat, quod uolunt. Amici mei tum quietis boniſq; erunt animis. Inimici demittent criſtas & rugabunt frontem. Ταῦτα ὑπομνήματα ſanctorum patriarcharum, regum & prophetarum celeberrima, tuæ pietati dono. Vtere libro hoc, tuo arbitratu. Sunt qui iudicarunt eum chartis luceq; dignum, ſi tu idem, fac uulgetur Coloniæ & aſportetur in proximas nundinas Francofordienſes. Mihi non paruis laboribus conſtitit quantumuis paruus. Inſertas habet uoces linguarum peregrinarum, ſed eas ſignificantes, neruoſas, elegantes, & quæ latio idiomate efferre nequibã. Typographus adlaboret modo, ut emendate cudat. Si nolit hebraica, accerſat qui interp̃tetur, & latina ſubſtituat. Exemplar nullum aliud habeo, hoc autographon eſt, proinde ſic curabis omnia, ne intercidat liber. Mitto eo confidentius, quod quum iſthic eſſem iuſſeris, ut ſi qua ſcripſiſſem, ad te candide Nauſæa mitterem.

Vale. Ora pro Ecclesiæ Reformatione matura. Me ama. Andreæ. Anno M. D. XXXII.

B. R. S. P.

71. HAVD QVAQVAM ME OFFENDIT HYpocritæ istius uersutia, qua partim usus est clam me auferendo syllogam, partim eam unà cum cæteris libellis ad te transmittendo. Eò res processit, ut labores meos in posterum neminem latere, uniuersis cognitiss. perspectissimosq; esse exoptem, ne cæcis inuidorum iudicijs opprimar. Insidiari aliquos famæ, adeoq; animę meæ persentisco, idque duntaxat, ne ipsi nesciisse, ego sciisse aliquid uidear. Quod scio, DEI est, in quem gloriam hanc si qua est transmoueo. Tametsi scientiæ minimum mihi arrogare uix queo, quippe homo obscurus, ac is, qui sese suo, non alieno, pede metiri callet. Non mirum autem quòd isti tam inique ferant meas apophases, quando ad eam hominum opinionem profluxere, ut obtinere scientiæ altissimum gradum pronuncientur. Equidem nihil inuideo ulli, sed ad sobrietatẽ reuocatos, adq; cum sui ipsius tum sui negocij exactiss. sæueriss. ue agnitionem adductos omnes cupio. Periculose habẽt omnia, posteaquam ipsi sui obliti, res tantas mortalium stolidorum applausu potius q̃ recto iudicio æstimant. Detrahe multitudini compendia

dia quædam perexigua, & haud dissimulanter liquebit huius leuitas cum immodica impietate copulata. Velim scientia istorum incomparabilis non illò rem abripiat, ut damno accepto, Germaniam postea cruore sepultam & innumeras animarum myriades in orci lacum detrusas ploremus. Ego ex tẽtorio factioso maturaui abitionem, ego ἀποσχίζω. à culpa futuri mali alienissimus. Qui me ante nouennium audierunt Lutheranum acrem, ij nunc quoq; audiant catholicum: ne forte exoriantur, qui clament me propugnatum Schisma oppugnare immerito. Verũ huiusmodi defensioni alius locus dabitur. Respondebo nunc tuis ad me literis. Ais te satis animũ meum ex priore epistola intellexisse, id quod facilime crediderim. Mihi opus non est mi Raidi e tuis literis te discere, nimirum qui pridem te norim. Attamen affingis tibi nonnihil spei affulsisse, & Zelum existimasse, quæ scripseram, at nũc, ubi libellos uiseris, deplorata omnia. At qui tu bone uir in teutonica epistola a satana illaqueatum me asseuerabas, quæ igitur spes de me tibi reliqua erat? Interpretabaris Zelum, quom ad extremum me abijceres? Ignosco grauitati tuæ, quæ sine prudentia singulari nõ est. Post eam præarmaturam, aggrederis rem (dirum dictu) & uno ictu quercum deijcis, quum scribis neque te neq; Leisterum mihi subscribere. O elegans caput.

Quasi

Quasi uero ego isthuc uel a Raido uel a Leistrio un quam expetiuerim. Quid igitur futurum si Raidius & Leistrius Vuicelio non subscribant? Consequetur inconcusse, Vuicelium non solum toto cœlo, uerumetiam tota terra maricꝫ errare. Leistrius impense rogauit ut legendas chartas sibi ad tempus permitterem, excepta sylloga. Permisi libens amico ueteri, uicissim et ipse impense rogans ut obeliscis iugularet audacter, si qua minus animo suo probari uiderent, atcꝫ ea mihi per literas notificaret, ut si queam, tuerer, sin minus, obliterarem, Quo mihi protinus subscriberet, nō rogaui. Amens enim sim, si aliquem dogmatis nouellis ad summum imbutum, adeo facile orthodoxam doctrinam capere posse credam, nedum suffragio albo signare. Memini me subinde dixisse Leistrio, nihil mirum mihi uideri, quod insolita atcꝫ peregrina existimaret, quæ præponerem, imo quod ceu me authore inuenta suspicaretur, quando quidem ipse ego ut papistica fanaticaqꝫ istiusmodi ante triennium uix tulissem. Monui duntaxat hominem, ne præceps condemnaret nondum intellecta, nondum apud sese discussa. Cæterū an monitis meis locum reliquerit, nescio. Illud tum demirabar, nempe quod tam patienter exaudire ea poterat, quæ per occasionē ipso teste confitebar. Ambigo etiamnum, imperitia ne mussarit, an dissuasionis diffidentia, an amici re-

amici reuerentia,an ueritatis denicq; prælibatæ incuſſa cõſcientia.Quo magis ſperabam,abſentem redacepto animo libere ſcripturum ſi quid angeret inter legendũ, ſed plane mutus te in periculum protruſit, ut ueteranum & triarium quendam, ea fortaſſis ſpe, ut ſi proſpere ceſſerit, deſcendat & ipſe in eãdem harenam:ſin minus, intra teſtam ſuam latitare pergat. Prora puppiſq; controuerſiæ eſt,ſugillor Iuſtitiæ fidei inimicus.Hic ego: ſi tamen audire, non ita auerſis auribus, dignabimini:teſtificor, atque proclamo, quod calumniam acerbiſſ. patiar, quodq; me impij fratres odio, non iudicio inſectentur, nec ob aliud, quam quod Lutherizare deſtiterim. Certarim uero tecũ magno pignore,ſi tu intelligas quid ſibi uelint eæ duæ uoculæ: Iuſtitia fidei.Neq; enim moror ueſtras gloſſularum nebulas aterr. quibus ſudam atq; lucidam Pauli Apoſtoli ſcripturã obduxiſtis. Nam uos uiceritis, ſi poteſtas erit,quælibet ad ueſtri Apollinis crepitaculum iudicanda,dignoſcenda,enarranda referre.Sed da ueniam,non concedetur.Eſt aſſueta ſcriptura DEI, uarijs partiariorum depraua-tionibus torſionibuſq; perferundis, ſemper tamen reluctata eſt,& furca licet expulſa aliò,tamen uſq; recurrit.Nouit ortum ſuũ,nouit locum, nouit genuinum ſenſum uſumue agiographa.De Iuſtitia fidei καθολικῶς ſentio,& ſi pateris,Euangelice apoſtolice atq; auten

tice. Quod uero schismaticum intellectum circa huiusmodi locos exuerim, non abs re factum puta, nec temere. Scrupus de Iustificatione animū meum iam pridem habuit, nec potui me euoluere. Videbantur triuialia illa dogmatia nō resipere in uniuersum Pauli mentem. Erant in eodem loci qui recepta illa conuellerent. Resistebant dicta dominica in Euangelio. Nec non obluctabantur aliqua in Canonicis. Deinde uerti animum ad Ecclesiasticos scriptores, exquisiturus, num idem cum dogmatibus nostris occinerent, aut si meliora Paulinæq; mente propiora traderent. Exquisiui sagaci nare, contuli purpurā: quod dici solet: iuxta purpuram, & tam scripta horum, q̄ dogmata nostratia ad Paulinarum literarum apertam ueritatem adhibui, orauí CHRISTI lumen ac sensum, iterum contuli, iterum adhibui, iterum orauí, et discussa nubecula inueni id quod res est. Hāc potiss. disquirendi ansam præbuit mihi ipse met Paulus, ut pote quem duobus solidis annis plebi mihi creditæ uniuersum concionabar, cum omnia eius Apostoli loca solicite excutiens, tum illa præcipue, quæ iustificat, sonabant. Quo uero accuratius illa trutinarem, hoc longius discrepare a dogmatis istis nostris uidebantur. Repressi meipsum et cohibui, ne existimarer pro tempore doctoribus euāgelicis refragari. Nam: per CHRISTVM iuro: inuitus hodie quoq; dissentio, ut

tio,ut pudefiant, qui me per inuidiam dissentire uociferantur. Prius cum pædotriba meo Theologiæ auidissimo homine disputaui singula, q̃ auderem de his apud alios hiscere. Postremo ubi etiã illa ipsa dogmata indocte & frigide p̃dicari animaduerterem, multosq; præcones de ijs perplexos hęrere, et interrogatos inepte ac præter rem de ijsdem respondere, cogitaui Monstrum ali. Vt omittam interim, occasione istorum dogmatum tot uitiorum genera seminata apparere, atq; per hæc excussa operum bonorũ studia e pectoribus auditorum, & inductam omnis turpitudinis licẽtiam. Videbam indies magis ac magis carnaliores pestilentioresq; fieri auditores, & hoc in his potiss. locis, ubi frequentiss. Iustif. dogma instillabatur. Quocirca prorsus mihi persuasi, rem secus aliquanto habere. Nec tamen mihijpsi facile credidi, ut uili homuncioni. Tandem, locis etiam atq; etiam collatis, & ad amussim eq; fonte discussis, pertractatis, enucleatis, cœpi os in domino aperire, & Nymeciæ meæ catholicam doctrinam pro dono DEI inculcare. Post, eandem chartis concredere, rem cum alijs communicare, in colloquijs infigere. Operæpre cium duxi, audire contradictiones, ut rescirem quid quisq; in thema proferre posset. Nam ueriss. est illud Ciceronis, ueritatem limari in disputatione. Ibi sæpe ad herniam usq; risi citationes scripturarum, & ratiocinati-

ocinationes insulsissimas, dum quisque temere recep-
ptum dogma de Iustificat. manibus ac pedibus de-
fendendum putaret. In istis conflictatiunculis intel-
lexi, quid cordis haberent Euangelici buccinatores.
Intellexi q̃ nihil ex animo loquerẽtur, sed modo pro
caussa, pro farina. O pietatem fictam, o singularem
atq; eximiam hypocrisin, papisticæ parem. Sunt qui
tam altum imbiberunt dogmatia ficulna, eaq; adeo
mordicus tenent, ut citius sint omnem scripturæ con
textum amissuri, q̃ postillas suas. Multi ubi se uictos
sentiscerent, maledictis me exaturabãt, quos ego ma-
gis commiserabar, q̃ lingua repercutiebam. Bona
pars plane in sententiam piam atq; firmam pedibus
discessit, agens summo datori gratiarum actiones.
Nonnulli thema in dubiũ uocarunt, asserẽtes opor-
tere rem plene examinari, & doctissimorum experi-
ri iudicia. Nihil uero tam obstare sensi, quo minus
apud plerosq; fidem inueniret doctrina sancta, atq;
ipsius Adami tortuositatem. Veretur em̃ nequam,
ne ad reditũ eius doctrinæ adigatur ad rastros. Do-
gma nimiopere ueteratori arridet, cuius nimirũ in-
dulgentia satis superq; laxa hactenus, illi quod libu-
it licuit. Vtcunq; uiuebat, Christianus erat. Quan-
tumcũq; peccabat, filius DEI erat, Nec attinebat, nisi
ut crederet, nisi ut cõciones miseras inaudiret, nisi ut
Cæsari quæ sunt Cæsaris daret. Proinde refugit ad
mentio-

mentionem uitæ bonæ,ac bonorum ope. pœniten. crucifixionis,patiẽtiæ,humilitatis. Nam durus est illi sermo,uirga ferrea est,non cauda uulpina. Absinthium est,non mulsum. Cilicium est,non holosericum. Quid isthuc est,inquit, Num erit mihi ad opera redeundum? Quid Christiano cum operibus? Quid prosunt opera? An non sat operum IESVS in cruce fecit? Atq; , ut se furcifer ille pro egregio Theologo uẽditet,incipit enthymematis refutare opera: Si opera facere,inquiens,necesse est,igitur frustra supplicio mortis affectus est IESVS. Si meorum est operũ respectus,ergo IESVS non satisfecit. Huiusmodi nunc sunt consentanea gratacq; uulgi auribus, et adeo animis omnium infixa,ut euelli uix unquam queant. In nephario nunc scelere ponunt,si quis ad Christianæ uitæ necessitatem uocet: tragice clamant,Sanguinem CHRISTI per eam doctrinam dehonestari. Sed ubi libidinem suam expleuerint,nec uiderint qua uia elabantur,agnoscent uerum esse, quod iam tot modis lacerant. Reddidi Raidi rationem,quomodo occœperim relicto humano dogmate, diuinam de iustificatione doctrinam capessere, ut perspicias me neque leuitate,neq; audacia,neq; temeritate,neq; maligno erga ullos animo id feciſſe. Nunc pauculis de ea disseram. Iustitia fidei nulla alia est, q̃ qua DEVS Iudæos ac Gẽtes iustos iudicauit ex fide sua,hoc est,eò quòd

crediderunt CHRISTVM Mariæ filium, DEI unige nitum esse, solum Messyah, solum redemptorem, so lum propitiatorem, solum mediatorem. Hæc fides adeo DEO placuit, ut huius gratia, nullo respectu ha bito neq; bonorum operum præcedentium, neque peccatorum præteritorum, pro iustis, puris, & san ctis acceptaret in fauorem iniustos, impuros & pro phanos. Nolebat ut ingererēt Iudęi sua merita, qua si ob ea eos electos ad Euangelium uocasset, conten tus nimirum simplici atq; e pectore proficiscente cre dulitate. Nolebat item ut gentes ob peccata sua ab iicerentur. Neq; enim hic ulla ratio peccati, sicuti nec ulla ratio operis: Quicunq; modo in filium crede bant, recipiebantur ceu satis idonei, nec erat discri men posthac uel Iudæi uel gentilis. Omnes ut æque impij, ut æque peccatores assumebantur ex gratia, et per tinctionem inserebantur in corpus CHRISTI, ne quis gloriaretur, præterquam in domino. Tale sibi uult quoties in Paulo de fidei iustitia legis. Præterea opus quoq; Paulo erat, iustitiam fidei tanto crebri us atq; potētius tractare, q̄to improbius fratres qui dam ex Iudęis Mosen conabantur super ceruices di scipulorꝝ imponere, ut eū, cuius lex atq; authoritas uiuida in perpetuū esse merito deberet, etiam apud Christianos. Hic nisi repugnasset gratiæ præco argu tiss. & iustitiam fidei contra iustitiam legis Mosi op posuisset,

posuisset, periculum erat, ne hodie quoque Mosaice uiueremus. Igitur Iustitia fidei in Paulo bonis operibus (quæ credentes præstare oportet, si uolunt seruari) prorsus nihil adimit, tollit duntaxat legis opera, quæ pseudapostoli ceu necessaria credentibus in ecclesiam inuehebant. Habes breuissimis uerbis Pauli expressam mentem, a qua me neq; mors neq; uita diuellet. DEO laus pro agnitione ueritatis in æternũ duraturę. Si syllogam meam legisti, huiusmodi, opinor, latius atq; pinguius cognosti. Cur uero audes proloq; me impie sentire contra DEVM, contra CHRISTVM domini? Raidi, si tibi frontis exigua esset particula, siq; una gutta synceræ pietatis (quam tamẽ tuo more perpetuo crepas) temperares profecto tibi, à tantis blasphemijs. Cogitare potes, me quoq; ualere in dentatis epistolis, & si e re foret, siq; me deceret, papè q̃ probe depexum te tibijpsi ostendere possim. Ais nihil opus, ut plures chartę hac de re perdantur. Certe Raidi rem tetigisti. Neq; enim aliud, nisi chartas perderes, si oggannire luminosiss. ueritati uelles, sicuti suas perdidit pincerna Bergensis, euersor scilicet Monogamiæ sacerdotalis. Remittis me ad crambem Lutheranam, sed satur sum. Vtinam nonnihil euomere queam, eorũ quæ famelicus lupi instar immanducata uoraui, munda cũ immundis. Quod autem remittis ad CHRISTVM & apostolos, nę tu mihi gra

hí gratiſſ. facis. Sed o homo ſi ad doctores illos cœleſtes mihi eundem eſt, acꝫ illis diſcenda ueritas, palmam uobis centauris omnibus prꝛripuero. Vltimo remittis ad Auguſtin. contra Pelag. ah ut me tui miſerebit, ſi iſte in conſilium adhibendus eſt. Num plures habes in tuo catalogo? Quid ais Raidí? Non eo modo loquuntur de operibus poſt luſtificat. CHRISTVS et Apoſtoli, quo ego? Quo modo autẽ illi loquuntur, quur pigebat iſthuc ſcribere, ut eſſet quod reſponderem? Certiſſimo certior ſum, me cum apoſtolicis literis idem ſentire, nec eſt unus locus, qui ſecus de operibus a luſtificatio. doceat, atcꝫ ego. Fixa eſto ſententia: Opera uel optima ante luſtificationem rudera ſunt, inania nihilique ſunt. At ea quæ poſt fiunt, nimirum a credente, aurea prætioſaque ſunt in conſpectu DEI, placent DEO, delectant DEVM, Beneuolum reddũt DEVM, mitigant DEVM, proſunt operanti fideli, conciliant eum DEO (quia fidelis eſt operans) conducunt illi ad temporalia, neceſſaria ſunt eidem ad æterna. Partius extuli opera, aliãs faciam, uolente ſeruatore CHRISTO, copioſiſſime. Nec, ais, de fide loquũtur eo modo quo tu. Hic elatras, quî ego tibi fidem ſentire uidear, Nẽpe qua credamus Ieſum eſſe Meſſyam. Sentio fidem CHRISTI eſſe (Sic enim loquitur Scriptura, de fide alia iuſtificante, alia hiſtorica ignorans) qua ex animo toto

credo

credo ὁμούσιον Triada: præsertim Nazarenum, filium hominis, CHRISTVM. i. orbi promissum Messyã esse, & eundẽ filium DEI unigenitũ, per prophetas dictũ Immanuel, &c. pele, consiliarium, DEVM gygantem, patrem in æternum, principem pacis, Maher Salal, Chasbaz, uirgam de stirpe Isai, Seruum dñi (Multa omitto) Adonai iustũ nostrum, Dauidem germen iustitiæ, pastorem unũ, Silo, prophetam magnum, lapidem in montem factum qui impleuit uniuersam terram, Vnctũ Dauidem regẽ, Filium DEI ex Psal. & Hosea, doctorem iustitiæ, Zemah, lapidẽ in quo septem oculi &c. atq; hunc pro me totoq; Mundo uoluntarie passum Hierosolymis, a mortuis excitatum, uiuum uere uisum tactumq;, in gloria assumptum, aduocatum, Mediatorem, Pontificem Max. in fine sæculi futurum iudicem omnium mortalium, ac redditurum unicuiq; iuxta opera sua. Hæc atque huiusmodi ab animo sincero firmoq; credens, iustificor. i. pro iusto acceptor à DEO propter fidem illam, etiamsi nihil in uita priore (antequã nimirum CHRISTVM cognorim) neq; iusti neq; boni fecerim. Nulla alia fides iustificans esse potest, præter hanc, Sicuti nullum aliud fundamentum, q̃ id quod positum est, Sicuti nullum aliud Euangelium, q̃ id quod prædicatum est, Sicuti nullum aliud Testa. Nouum, pręter id quod semel pactum est. Accedunt meæ sententiæ

literæ omnes Apostolicæ atq; Canonicæ, cum primis Ioannes Euangelista, quēadmodum alibi ostendi. Accedunt etiam omnes Ecclesiæ doctores, quorum nullus aliter de fide docet, ut obtundantur noui dogmatij authores superbissimi. Quocūq; te uertis, captus es. Est enim & fuit semper inuicta ueritas. Illud demiror Raidi, quod tam puerili argumento certissima eleuare contendis, Theologus haud sane infimus. Nihil iudicas, Scripturas nō consulis, os domini non interrogas, adeo temet Euangelistæ Martiali dedicasti, ad cuius nimirum nutum renutumq; pleraq; uel dicas uel neges. Si ait ais, si negat negas, in hoc solicitiss. ut quem dedit mater amictum custodias. Sed hoc detrito,

Nudus ad infernas stulte uehere rates.

Miserr. certe est, qui ita hominē mortalem sectetur, ut nec mutire aliter possit, q̄ sicuti dux eius uiæ. Sed ad rem reuertar. Si, inquis, ita res habet, igitur omēs Iudæi ante natum CHRISTVM ueram fidem habuerunt, & nullus fuit Idololatra. Nam omnes cred. Messyam futurum &c̄. Hæc tu. Quò tibi Raidi mēs tua auolarat, quum hæc scriberes? An non Iudæi ueram CHRISTI fidem ante natum ipsum habuerunt? Nonne Abraham uidit diem domini, et gauisus est? Nonne omnes patres in Mosen baptizati sunt in nube & in mari, et omnes eandem escam spir. manduc.

& omnes

& omnes eundē pot. bibe. &c.? Nonne in xi. capite Hebrēo. dicuntur credere? Si ueram CHRISTI fidem non habuerūt Iudæi ante natum dñm, igitur nullus omnium neq; iustificatus, neq; saluatus fuit. Neque enim salus, nisi in uno CHRISTO. Nōne uniuersæ familiæ benedicendæ dicuntur in semine, qui est CHRISTVS? Iam quomodo benedictæ erunt, si ueram seminis eius fidem non habeant? Arbitror te ad mentem iam regressum. Sed quomodo ais Idololatrę Iudæi crediderunt Messyam futurum? Quasi ego hoc affirmē, adeoq; opinari tale nō possum, Idololatras credere Messyam potuisse, etiamsi maxime uenturæ autumauerint. Quomodo credant in filium DEI, qui DEVM ipsum repulerunt? Quomodo ueram CHRISTI futuri fidem habeant, qui adorarunt Gad. i. fortunam, qui coluerunt talpas & uespertiliones, Item Thannus, Adonidem, aureos uitulos, Militiam cœli, reginam cœli, Baal et Ascharoth. Prēterea Berith, Dagon, Moloch, Milcom, Miphlezeth, Baalzebub, Nisroch, currum solis, Osiridem, Isidem, Mythras, Apim &c. Quare nihil agis, dū nomine Idololatrarum reliquos pios Iudæos a uera CHRISTI fide excludis. Non consistit illud: Omnes Iudæi ueram CHRISTI fidem habuerunt, Ergo Idololatræ quoq; Iudæi ueram CHRISTI fidem habuerunt. Audisti Paulum ter usurpare ly. omnes, nec tamen ue-

 risimile

risimile est, eum Idololatras quoque in uniuersitatis numero comprehẽdere, Nam sequitur in eodem capite: plures illorum non approbauit DEVS. Nemini piorum dubium, quin fides CHRISTI utriusq; legis populum ex æquo respectet, nec in ullo alio nomine salutem esse, nisi in CHRISTI IESV redemptoris nomine. Sed nõdum memoria excidit, quod tu quidem me ad August. contra Pelagianos remiseris, ut ad eũ, qui me Lutherana edocere possit. Habeo gratiam Raidi q̃ hortator mihi fueris ad reuisendũ Augustinum, utpote cuius iaculis hortatorẽ imprudentem obruam, & uerum faciam prouerbium: Capra contra se cornua. Non ferendum autem est, q̃ schismatici persuasum uobis habeatis, orthodoxos patres a parte uestra stare. Haud scio an turpius mendacium unq̃ audierim. Vestri primores uendunt istos fumos: patres nobiscum sentiunt, patres secus atque nos non docuerunt. Quid audio? Rebar patres errasse, destitutos spiritu, cæcos, psychicos, & nescio quid præterea? O graues uiros, qui sedentes uituperant quos uolunt, stantes laudant. Faciunt uero hoc callide, uidelicet ut persuadeãt imperitis ac incautis, Scriptores Ecclesiæ eadem dogmata tenuisse, quæ nunc uulgo Euangelica appellantur. Sciendum igitur, ueteres a nouis Theologis longe lateque per omnia dissonare & uix in paucis addere istis calculũ,

id quod

id quod aliquando demonstrabimus. Nunc de operibus ex Augustino: opera, ait, sequuntur iustificatum, non precedunt iustificandum. Qui te creauit sine te, non te saluabit sine te. Gratia data est ut legem impleamus. Ad Clerum Hipponensem scribit idem Augustinus: Non solum debetis minus facere opera misericordię, sed etiam debetis amplius q̄ soletis. Ad Glorium sic: Deus in cœlū non admittit nisi bonos. Ad Optatum sic: paruulorum nulla merita dici possint, et maiores præuenit DEVS ut aliqua habere merita possint. Ad eundem: Sine libero arb. non operamur bonum. Ad Honoratum: DEVS in conscientia est testis bona operantibus. Item: Anima CHRISTI sanguine redempta debet placere sponso domino. Ad Iulianum comitem sic: Si præmia uitę æternę uolumus promereri, præcepta illius totis uiribus custodire satagamus. Præcepta nanq; eius nolentibus grauia sunt, uolētibus leuia. De Pelagio Britone: Non ex operibus, ne quis forte extollatur. Non quod bona opera ista pia cogitatione frustrantur, quum DEVS reddat unicuiq; iuxta opera etc̄. Ad Vitalē Carthag. dat merita gratia quum ipsa datur. Ad Valentinum: Faciamus ut quum uenerit dominus inueniat opera nostra bona &c̄. Audisti Augustinianas sententias de operib. post iustificationem. Sed credo tibi nondum satisfactum, quocirca largius scripto-

rem istum delibemus, in ijs præsertim locis, qui clarissime exprimũt temporis diuersitatem, hoc est, qui edoceant discrimen maximũ esse, inter ope. bona p̃cedentia, Iustificationem, & inter ea quæ iustificationem sequuntur. Atque hic aget animam Raidius, si nondum egit. De Pelagio Britone: Nemo iustificatur à DEO meritis præcedentibus. Ad Sixtum presbyt. DEVS non est remunerator meritorum præcedẽtium. Illud ly. præcedentium bis ac ter in eadẽ epistola inculcat, ne nesciretur operũ discrimen. Quid? Per omnes epistolas in quibus Pelagianam tractat caussam creberrimus est Augustinus in inculcando isto discrimine. Appello eos qui uel Augustini corticem uiderunt. Pergam enumerare Aueliana suffragia. Paulus, ait, docet ut nemo meritis priorum operum arbitretur se peruenire ad Iustificationis donũ, quæ ex fide est. Mox: Iudæi se gentibus credentibus præferebant, quod dicerent se meritis bonorũ operum quæ in lege sunt, ad gratiam Euangelicam peruenisse. Ideo offendebantur, quòd circumcisis gentibus CHRISTI gratia traderetur. Item: Paulus dicit hominem posse iustificari sine operibus præcedentibus per fidem. Item: Q̃ si quum crediderit mox de hac uita discesserit, iustificatio fidei manet cũ illo, nec præcedentibus operibus, quia non ad illam, sed gratia prꝙenit. Item: Iacobus loquitur de operibus sequenti

quentibus fidem, Paulus uero de p̃cedentibus. Item ea ipſa opera quæ dicuntur ante fidem, quamuis uideantur hominibus laudabilia, inania ſunt &c̃. Nemo ergo computet opera ſua Ante fidem, Vbi fides non erat, bonum opus non erat. Sed deſiſtam, ne dolore abſorbearis. Vide Raidi quid ſit in tenebris pugnare, & uelle ſcire, quæ neſcias, uelle alios docere, quum nondum fueris diſcipulus. De his abunde dictum. Porro q̃ ſcribis me patres certe certe (ea enim conduplicatione uteris) non intelligere, facis ut te decet. Non enim poteras cõmodius euadere. Eſtis per Socratis anſerem egregij uiri, qui eam ſtropham calleatis, ut ſi urgeamini, elabentes dicatis, propoſita ab aduerſarijs non intelligi. Dic mihi obſecro Raidi, unde coniecturam capis, me patres nõ intelligere? Forte quia nõ eos ad ueſtra dogmatia inflectam? O pulchre factum. Qui patres contra ſuum ipſorum ſenſum, ad aliorum ſenſum uiolenter interpretatur, is intelligit eos: At qui illos ex ſuo ipſorum ſenſu contra hæreſes ſæculorum interpretatur, atq̃ hoc ſecundum uerborum clariſſimam perſpicuitatẽ, is patres non intelligit, Raidio iudice. Laudo Raidi. Lutherizas. Abi, uirum te iudico. Poſthæc ſuſpicaris me inuidia diſſentire propter carcerem. Si ita credis, dico te falli. Si ita dicis, dico te mentiri, ut Sycophantam. Ego a cauſſa et a cauſſæ dogmatibus nonnullis longe am-

ge ante carcerem diſſenſi,uel diſpereã. Res toto ſex-
ennio in uniuerſum mihi nõ arriſit. In uniuerſum di-
co: Neqꝫ enim omnia ſemper diſplicuere. Teſtantur
iſthuc ſchedæ,quæ nonnunqꝫ in manus ueniunt,ſcri
ptæ primis cauſſæ annis. Teſtabitur omnis Nyme-
cia ipſiqꝫ adeo libelli mei,ante tres quatuorue annos
mihi cõditi, q̃ male ſemper habuerit animum meum
cauſſæ deformitas. Quin & ipſi Saxo. Viſit. ſatis ſu-
perqꝫ perceperunt Beltzę, q̃ non magnifice de nego
cio,deqꝫ eius ordine ac concionibus ſentirem, atque
hoc quoqꝫ factum anteq̃ in lacum conĳcerer. Volo
me ſuſpitionib. ueſtris liberatũ, oroqꝫ ne innocuum
grauetis. Inuideo nemini,uos mihi inuidetis: odi ne-
minem, uos me hoſtiliter odiſtis, id quod plurimis
documentis ſcio. Et plane eo rem reuoluit fortuna,
ut mihi a uobis plus metuam quàm a Papiſtis. Si di-
gnus ſum,affligetis me,ut Donatiſtę et Ariani catho
licos. Malim uero affligi catholicus q̃ partiarius. DEI
uoluntas fiat in æternam benedictionẽ nominis ſui.
Cui occulta cordium patent,is nouit,quòd Lutheri
mentio fit in orat. meis quotidie in bonum, nec eum
unq̃ impugnaui,niſi quatenus Chriſtianiſmi res po-
poſcit. Sum enim tam illi q̃ omnibus amicus uſqꝫ ad
aras,et ita uolo, ut mihi ipſe alĳqꝫ ſint, ſecũdum Na
turæ legem. Rogo te autem, ubi in ſcriptis meis legi-
ſti,quod ſoleam gloriari de ſpeciali DEI lumine et re
uelatione

uelatione(sic enim scribis)Fortasse me pro Enthusiasta habes, qui in uisionibus aut insomnijs expectet apocalypses. Falleris etiam atq; etiam, & calumnijs undecunq; congestis me excarnificare niteris. Nunq̃ in uita de ullis uisionibus aut reuelat. gloriatus sum, & ob eiusmodi Monetarium, monitricibus literis, quę adhuc apud me sunt sanare uolui, itẽ Rinchium sæpe obiurgaui, q; sectaretur Monetarium harũ rerum doctorem. Quo magis miror, cur me huic compares. Sed prestas Raidium. Iudicet dñs inter me & te. Testaris CHRISTVM, te mihi bene uelle. Si uerum est, tu scis, & ego ex futuris tuis erga me factis sciam. Dicis CHRISTVM meam gloriationẽ non laturum, & immania nescio quæ comminisceris. Audisti quæ dixerim. Non glorior neq; in Reuelat. neq; in scientia neq; sapientia: Sed in cognitione seruatoris mei, secundum prophetam. A CHRISTO mihi sat pacis esset, si esset à Mundo, si à pseudadelphis. Mihi cum CHRISTO rege ac magistro meo optime conuenit. Faxit modo, ut sibi seruiam in iustitia, ac placeam redemptori ipsi in bonis operibus. Illi Benedictio & claritas in omne sæculum. Amen. Cætera quæ scribis in me, obiter perstringam. Iactas contra me Lutherum & eius doctrinam, & eandem ubique canis cantionem, ubiq; odiose obtundis. Scio scio Raidi, quo loco sit tibi homo ille, et nisi fallor, in priore epi

ſtola attigi. Erit forte hora, quando diuerſum ca-
nes. Fruere interim ſodes pulpamento iſto. Scribis
ipſum minime docuiſſe ea, quæ ego inſecter &c̃.
Audi, ſi non docuit quę ego ipſum ac ſuos coniura-
tos docuiſſe queror, age, nihil illis fraudi erit. Si uero
oſtendero ex iſtorum libris et concionibus, liquebit
quam iniuſtus & importunus mei reprehenſor ſis.
Iactas uerbum Lutheri fructiferum. Hic aures ad-
mouete. In quibus fuit fructiferum? Reſp. Raidius:
In hoc ꝙ Vuicelius uxorem duxit, Qꝛ Roma. eccle.
ceu impiã damnauit, Qꝛ ceſſit ſacerdotio relictis cen
ſibus & ſemet priuauit patria. Sunt hæc ingentia, &
ea quæ e patribus non didiciſſet. Mei ipſius ratio hic
mihi habenda eſt, alioqui audires fructus Lutherani
uerbi, ut ambæ tibi aures tinniant. Hei mihi cui res
eſt cum tam præfractis. Spero meliora, da meliora
CHRISTE, da mi CHRISTE, aut ſi nolis diſſolue me,
ut ſi non ſpei, certe rei particeps tecum fiam. Iam qđ
ſcribis te non omnia mea reiȷcere, ſed multa ſcitu iu-
cundiſſ. & tibi utilia ex ſcriptis meis collegiſſe. Equi-
dem licebit hoc tum tibi tum omnibus, quando o-
mnibus commodare cupio. Vide uero ne e ſtercore
collecta illa fidei tuæ puritatem ſcilicet maculent. Vi
de ut ea ante proluas & circumcidas, q̃ in pectus de-
mittas, Nam non ſunt nouæ monetę, nõ ſapiunt Al
bim. Ad ultimum more tuo de te buccinas. Sed con

niueo

niueo sciens morbum tuum. Lutherani, ais, non sumus, sed CHRISTI. Quare igitur Luthero plus fidei datis, q̃ CHRISTO? Si ego uobis CHRISTI uerbum e fonte suo purissimum obijciam, mox cõuertitis uos ad glossemata Lutheri, quemadmodum Iudæi nostrates ad Thalmudica, ne uideamini CHRISTO credere sine cõsensu Lutheri. Negas uos in Lutheri uerba iurasse, quum id totus fabulæ cursus clamitet. Aude tu illi refragari, & mane. Ille uos fascinauit, sibi obstrictos concathenatosq; tenet, uos nare ducit quò uult, uobis dat ac rursus tollit quæ uult & ut uult, et uos adeo absorpsit uosq; illum, ut non possitis non una uel perire uel seruari. Scribis me ignorare quæ maxime necessaria sunt ad salutem: Imò tu ignoras & ignorare amas. Ego uociferor, non solum fide opus esse uerumetiam uita ad salutem, At tua pars alterutrum modo prædicat, infarcit, infigit ad tædium omnium populorum. Tu mea scripta oculo nõ simplici lustrasti, quare tã sinistre omnia iudicas. Zelum meum denigras, quia zelat pro Ecclesia cathol. contra sectam. Tum uero secundũ scientiam esset & Phinees Heliæq; par, si omni pede starem aduersus ueterem doctrinam, disciplinam, & ordinem, & recentia pigmenta in cœlum ferrem. Minaris mihi fortes Antagonistas, te imparem existimans.

Bella gerant fortes, inquit ille:

Non faciunt molles ad fera bella manus.

Surgant, congrediantur uiri aquilæ cum ſcarabęo, ac portentoſi illius Philiſtæi gnati cum Dauide adoleſcentulo contempto. Hic nullus metus, quãdo adeſt mens cõſcia recti, quæ intra ſe concipit ſpem opt. Sciens ſcio, cuius res agatur, cuiuſque ſit ueritas regina. Illud duntaxat optarim, ut non per uiolentiã, ſed per conſcientiam committatur pugna, ut non perſonæ ſed cauſſæ præſideat ratio, ut non caro in conſilium adhibeatur, ſed ſpiritus. Tãdem ut ceu claua depellas me a catholica ſentẽtia, cõminaris ipſum adeo CHRISTVM mihi Antagoniſtam futurũ. Bona uerba. Non habebo Antagoniſtam CHRISTVM Imp. in cuius quippe caſtris mereo. Cum illo ſum, qui igitur is contra me? Cum illo colligo, non ſpargo. Ob illum patior, illum zelo, illum ſic redamo, ut mori mallem, q̃ ab eius corpore a ſectarijs iterũ ſecari. Poteris inquis nobis ad tẽpus eſſe, qualis Hieronymus fuit Auguſtino, ſed tandẽ harena cedes &c̃. Mirum quòd non pro Hieronymo dixeris Iulianum, Pelagianum aut Fauſtum Manichæum, qui Auguſtino plures moleſtias exhibuerunt. Verum dic qualis fuit Hieronymus Auguſtino? Forte alludis ad pugnã in Galatis Paulinis. Aut quid uobis cum Auguſti.? Nõne audiſti eum doctorem a ueſtris opinionibus diſſidere? Neſcis uix reperiri inter ueteres, qui acrius defende-

defenderit unitatẽ cathol. Eccle. quiq; uehementior fuerit expugnator ſchiſmatum, atq; Auguſt. Atqui uos diuerſa his facitis, quæ igitur uobis ſocietas cum Auguſtino? Vtinã eſſem aut eſſe poſſem uobis qualis Auguſt. Hieronymus, Nam ſperarem tum omnia pacata ſerena. Non cedam harena in haram ueſtram (ſeruante me domino, ut pupillam oculi ſui) alioqui non habiturus eſſem partem in Reg. eius. Pugilem pro uirili agam in ſtadio domini mei, ut glorificer cũ eo in futuro ſæculo iuxta pollicita eius. Sit illi laus et honor. Nobis pax. Amen. Vale cum tuis. Datum Facchæ xxviij. Aprilis. An. M. D. XXXII.

Quod toties repetis reſipiſce, tibi inſono rurſus
A laqueo demens tu reſipiſce tuo.
Quod dixi, repeto, cupiẽs tibi proſpera: demens
Tu reſipiſce citis ſi potes hortor equis.
Tecum uolue animo, quæ ſit res, quoue loco ſit,
Quo ſit principio, quo cita fine cadat
Omnia non damno, ſed plurima, Tu reſipiſce,
Et uetera eſſe putes anteferenda nouis.

R. A. I. C. H. S. P.

IAM DIV INSTIGANT AMICVLI, quos nondum aliena a me uoluntate eſſe apparet, ut aliquãdo in horum temporum

triſtitia ad R. D. T. literas dem, ſiue ut ea ratione certo innoteſcat R. D. T. Facchanū me ſchiſma Lutheri iſtud rapido amni feruentius, ac quouis alio periculoſius abdicaſſe, ſiue ut hoc pacto R. D. T. in beneuolentiam atq; amorem erga me extimuletur. Vtrum uero difficilius, non obtemperare amicorum bono fideliq; cōſilio, an facere id, ad quod inſtigant, propemodum dubito. Pudori certe meo obſequi malebam, & ab aula procul refugere, utpote homo minime politus acq; procerum conſuetudine, ſi quisquam alius ſemotiſſimus. Sed faciles aditus ad opt. atq; humaniſſ. principem, & a quo abſit faſtus, ac ſupercilioſa moroſitas, ijſdem pollicentibus, adeoque morum ingenijſq; lenitatem R. D. T. affirmantibus, pudore poſito, fiduciam ſumpſi, ut auderem epiſtolam ſcribere ad Antiſtitem, cuius dignitas ut ſuprema poſtulat, ita eiuſdem ignoſcit comitas, ſi in mediocribus uerſer, aut etiam in infimis, & uetat eiuſdem pietas, ne ambitioſe aut adulanter ſcribam, id quod & naturæ meæ ingenuitate neutiquam fecero. Cæterum, ut ad rem accedam, Schiſma abdicaui, neque imprudens, neq; ſine cauſſa, & cupiam illud abdicare quotquot nunc in eo miſere capti detinentur, ut ij quorum maxima pars manus illi dedit, non conſilio aut ratione prudentiaue, ſed uel allecta dulcedine benedictionum, uel attracta ſpe liberioris uitæ, uel adducta

ducta cupiditate abrogationis legum ecclesiasticarꝝ, atq; abolitionis disciplinarū odiosarum, uel adacta terrore principum suorū. Nam quotusquisq; omnium est, quem illò traxit metus DEI, & regni cœlestis amor? Placuit uulgo Schisma prę Ecclesia, quia hæc tradebat cum fidei doctrina, rectorum operum doctrinam, ei qui olim conregnare cum filio DEI gaudeat: illud uero solius fidei dogmation tradit. Opera autem μέσα docuit, Imò ita suum de operibus fermentum inculcauit, ut abhorreant ab operibus, q̃tquot ferè sese istius schismatis professione iactant. Etenim quis non malit leuis irrumpere in cœli patriam, q̃ onustus? Si sola fide irrūpitur, quorsum operibus opus? Sed optare possum, ut quisq; saluti suæ consulens, Schismati nuncium remittat in tempore, efficere uero non possum. Sunt quibus uolupe est, non seduci modo, uerūetiam seductos esse atq; perseuerare, ijs si de redeundo suadeas, mirandū in modum irrideare. Causantur tot doctiss. uiros falli non posse, quasi Ecclesia Europæa nō habeat doctiores, ad quos collati sectarij, ne tria quidem Stesichori norint, & ut maxime non habeat in uiuis, haudquaq̃ tamen illi desunt in omni doctrinarum genere eminentissimi, in tot bibliothecis Christiani orbis terrarum. Sed sui catuli soli simiæ perplacent, & amanti quæ non pulchra, ut ille ait, pulchra uidentur. Alios nescium,

sciunt, se sciunt, se mirantur, de se bene ipsi existimãt. Causantur itidem, nihil esse cur ad Ecclesiam redeãt, quandoquidem omnia in ea sint antichristiana, quasi uero in schismate omnia sint Christiana. ō sapientiam prędicandam. Sed istud popularibus suis persuaserunt audaces concionatores, quibus nemo non fidem habuit ob uehementiss. asseuerationes & confidentiss. gloriationes, maxime, quum hos reformidare atq; ad illos collati quodam modo dormitabundi frigere in cathedris ecclesiastici uiderẽtur. Relictis igitur ingenio suo ijs qui reuerti pugnis calcibusque renuunt, domi ego q̃ foris sapere malui καὶ ἐκεῖνα, πάλιν ἁραμῦσαι μᾶλλον ἢ ἁραμεῖν κακῶς. illud mecum reputans, longe secus processurum, si ex DEO esset q̃ moliuntur partiarij. Tametsi non nunc primum intellexi rem. Vngues iam ante leonem, & uultus Æthiopem mihi indicarant, at nunc omnem leonem & omnem Æthiopem propius contemplor, multo certissimus, ita sese habere. Perspexi quid quærant, cur euangelizent, quò tendant homines uanissimi. Ecclesia egressi ecclesiæ bellum intulerunt. Euangeliũ profitentes, Euangelium oppresserunt miserandis modis. CHRISTVM sonantes, CHRISTO infesti sunt, uel ob doctrinam operum, quæ non possum dicere q̃ ægre ferãt. Cognoui occasione brutę istius sectę sensim peruerti Christianismum in Turcismum, Ecclesiam in spe-

am in ſpeluncam, Sacramenta in excrementa, conci-
ones in delectationes, uerbum DEI, in uerbum Lu-
theri, Pſalmodiam in Theriodiam, concordiam in
diſcordiam, ordinem in confuſionem. Vidi decreſce
re officia pietatis, opera religioſa, ſtudia diuina, ex-
ercitia, diſciplinas, caſtigationes, uigilias, metum, pu-
dorem, fidem, cõſcientiam: Creſcere uero in immen-
ſum ſectas, facta irreligioſa, ſtudia mundi,, acediã re-
rum diuinarum, licentiam, delicationem, audaciam,
libertatem, perfidiam, uoluptatem, laſciuiam, & bre-
uiter mutari cœlum terra. Fateor laborabat ante di-
uiſionem eam, & pietatis ſyncritas & uitæ publicæ
integritas, ſed nunc ualde utraque inclinatur. Opus
erat remedio uitijs eccleſiæ, at nunc remedio omiſſo,
duplicatur malum cernimus. Equidem euangelium
CHRISTI tales non ſeuit ſegetes, tales non plantauit
botros. Huc enim rem adduxerunt, qui cata Luthe-
rum ſunt, ut nullibi minus liceat Euangelium confi-
teri, atq; ubi ipſi primas tenent. Apud eccleſiaſticos
licet mutuo commonefacere officij, licet uerba face-
re de cultura DEI, de bonis ope. de pœnitentia, cõtra
peccata capitalia, hic nihil minus. Si quis nunc ſtu-
deat emendatiori uitæ, protinus phariſæus eſt & te-
tricus hypocrita. Audit, Tun' ſolus contra morem
aliorum uis uiuere? Tun' ſolus cœlum bonis operi-
bus pulſabis ſtultule? Si eguiſſet opuſculis humanis

CHRISTVS, non luisset in caluaria. Nouit is fragilitatem nostram, facile ignoscit peccatoribus, quorũ esse socius legitur: quoscp prę iustis uocauit, dum modo Euangelium ament ac credant. Nec licet monere alterutrum, multo minus arguere. Quiscp quod uult facit, & facit id libentius, quod magis alteri displicet. Cui probatur præsens rerum tenor, is est probatus. Qui arridet dissolutissimis moribus, & sese ad hos adtemperare potest, is bellus esse homo dicitur. Expectatio periculi ei est, qui animum licentiæ isti infensum præ se fert. Is est uirtutis honos, hoc probitatis præmium. Expeditiss. omnium uiuit qui pleracp laudat, nihil uituperat, nemo eo sapientior, nemo optatior cõuiua. Ridetur pietas tam uera q̃ falsa. Nec uulgo fere curatur siue bene siue male, siue catholice siue schismatice doceas. Dicunt: Quid ad nos? Nam Polytropon ac uersatile genus hominum peperit nobis leprosa illa doctrina, nimirum quod fauet cuiuis parti, modo inde habeat farinã. Lutherani quidam cum Lutheranis, & Romani cũ Romanis sunt. Quidam ex Lutheranis facti sunt necp Lutherani neque Romani, sed pagani. Quidam circumspiciunt alias sectas, quia pertæsi sunt Lutherismum: & Ecclesiam irreformatam repetere horrent. Sacramentorum accipiendorum nulla ratio. Regni DEI atcp iustitię eius nulla quæsitio. Pœnitentiæ nulla cura. Nulli in mentem un-

tem unquam uenit,ut cum gemitu uero dicat:Quid feci?Gehennæ nullus metus. Mortis certissimæ nulla meditatio,ut demiror quo animo nunc moriãtur homines nostri. Hæc cogitatio omnes q̃ solicitissimos habet,ut diteſcãt,ut ad honores aſpirẽt, ut diu, ut genialiter uiuant. Fauorum, q̃ religionis ſunt ſtudioſiores. Amicitias mũdi,non DEI ambiunt. Om̃ia fœtent adulationibus, aſtutijs, dolis. Nihil uerum, conſtans, fidum. Omnia ardent ſimultatibus, contentionibus,obtrectationibus.Nihil fraternum,cõcors,ſociale.Summa regnat hypocriſis,hoc eſt,ficta ſunt om̃ia,tam in uerbis q̃ in moribus. Summatim, ne uidear arenam numerare uelle, capta eſt arx uirtutum noſtro malo. Vitia rebus humanis dominãtur. Tale debemus potiſſimum nouæ doctrinę,cuius architecti uix ſudantes, huius ſui uoti compotes facti ſunt. Huiuſmodi quoniam exploratiſſima habeo,q̃ tumuis negent effrontes ſcurræ (etenim quod uniuerſo orbe teſte fit non poteſt non eſſe ueriſſ.) magna me pœnitudine macero, quod tam diu pro caſtris iſtorum ſteti, oppugnator catholicæ cauſſæ. Heu mihi q̃ inſolẽter, quanto calore, quanto ſermonis impetu ſæpiſſime in ea inuectus ſum,q̃ nunc cum lachrymis abeſſe ab eccleſijs queror.Heu luxatũ Eccleſiæ ſtatum. Heu mala peioribus mutata. Quàm non optime factum eſt ô fratres.Præceps erat amen

tia, non prudentia. Zelus erat, at neq; bonus neque sobrius. Volebamus exædificare ecclesiam, & subuertimus. Votum erat eradicare zizania, & euulsimus triticum. Non purgauimus, sed inquinauimus magis Rempubl. Christianam. Sed ueniam meretur ætas ad nouellitatem procliuis, deinde rerum imperitia ususq; nullus. Postremo temporis fatũ. Quod si horum nullũ errori patrocinabitur, satis, opinor, à suspitione me uindicabit aliena psuasio. Nam quis est autor schismatis? Num ego? Imo ego ab alijs in errorem inductus ante fui, q̃ os ad docendum aperirem. Hausi ego, non in me scatuit, quod uni atq; alteri parætiæ propinaui. Cecini cantilenã ab alijs compositam. Exhibui ab alijs pictam Tabulam. Vnum pseuderemitam audieram, qui se unum audiendum esse affirmabat: Cęteros uero ut umbras uolare. Videbatur nouus surrexisse Thesbites, nouus Hercules dicebatur uenisse Augię suæ. Et (nil mentior) renatus esse Paulus iurabatur, qui nihil nisi thus pederet. Idcirco quid facerem? Accurri spectator simul & auditor, ac repente fabulæ speciosissimæ membrum redditus sum. Valeat & illud lemma. In uita non uel salutaram de limine mystica Biblia, et ne operculum quidem scriptorum Ecclesię omni laude dignissimorum uideram. Quantulum obsecro talis peccarit, si illiciatur a prudentibus in nassam? Nudam animulam facili-

facilimum erat sauciare atq; capere. Non hic commi niscar dulcem libertatem, bonorum operum incle mens exilium, militarem cathedræ saxonicæ facundi am, & omnis terrę applausum, quibus rebus mirum ni Sexagenarius etiam prudens uidensq; inescetur, nedum uicenarius. Porro reuersus sum ad eccleſiam (quæ utinam sic esset ut neq; de ea queri filij, neq; cri minari eam aduersarij Ædomitæ possent) quæ me acceptum à parẽtibus per sacrosanctam tinctionem regenuit, & Christianæ fidei tyrocinijs prima imbu it. Ea autem reuersio quantis molestijs ac laboribus mihi constiterit, dictu difficilimum est. Excepta est primum uiolentissimis insultibus eorum, qui diuina bant occasione meæ resipiscentiæ magnam portio nem schismati detractum iri. Sed remouere animum a proposito non ualuerunt. Refugi siue euolaui po tius ex ea sectæ flamma, quæ utinam sanguine Ger manico nunquam extinguatur. Ab hac me tempesti ue abalienaui, CHRISTO domino & magistro lu men menti meæ præferente, ab hac me retinebo cu stodiamq;, ceu a certa orbis peste. Quid enim ea est, nisi rerum humanarum confusio, pietatis labefacta tio, atq; bonæ uitæ dissolutio? Nemo sapiens leuita tem interpretabitur eam resipiscentiam. Cur enim di utius ijs seruiam, qui neq; DEO neq; hominibus ob temperant, et inter quos adulterium ueritas Christi

ana multifariam passa est. Fas & iura sinunt, redire ad mentem. Nihil igitur explicuerint odio ac malevolentia sua, cuius tanta est magnitudo, ut non inueniat cui comparari possit. Obloquantur, susurrent, criminentur, detestẽtur ad extremum, nihil egerint. Nunc ut ulciscantur dolorem suum, utque expleant inuidiam suam, cœperunt sagittare in caput meum libros uenenatissimos, quos forte legens, non possim non dubitare, me ne sentiant, de me ne fabulam narrent, an de alio Georgio. Neq; enim non q̃ longissime ab oĩbus istis calumnijs, quas ore confidentiss. euomunt, absum ego. Non agnosco q̃d mihi impingunt. Non sum is, quẽ faciunt. Non feci, nõ facio, nõ facturus sum, quæ de me, inq; me scribere audẽt uiri mendaces. Scripserunt atramẽto, sed mallẽt cruore. Foderunt calamo, sed desyderium est ardens, ut calamus securis, et papyrus esset laniena. Prouoco ad sententias omniũ mortalium, dicãt si officium est honestorũ ac sapientum uirorũ, si est æquitas, si est naturæ ius, si est humanũ, si est ciuile, si est liberale ac ingenuum, si est Christianũ, ita occlusa ratione, ita contẽpta lege, ita exuto pudore, ita neglecto scandalo, ita posita philostorgia, tam impie sceleratequeque calumniari, tam imprudenter criminari, tam rabiose bacchari, tam hostiliter lacerare eum, qui fide IESV CHRISTI domini nostri sana immobilis perstiti, qui honestati semper

semper studui, qui utilitati communi periculum capitis sæpe posthabui, qui literas rectas a puero colui, qui enecor desyderio corrigendæ religionis, & mœrore Ecclesiæ acerbissimo absumor, qui ueritatem Christianæ doctrinæ solicitissimus inuestigo, qui paratus sum Christianæ fidei gratia sanguinem atque animam perdere, qui τὸ καθῆκον sedulo sector, qui innocẽtiam atq; uirtutem summo studio tutatus sum, et si quid unq̃ peccaui, illud est maximum, quod Lutherista fui. An glorior? Minime, sed aduersum morsus uipereos me tueor, & detergo nigras maculas. Conqueror innocentem me a nocentibus, pium ab impijs, catholicum ab hæreticis opprimi. Tribunitius furor est, non euangelica mansuetudo, quæ ad calamitatem immeritum me depellit. Virtutis inuidia est, non amor recti, cuiusmodi me degrauat. Voluerunt uanissimis libris & prologis egregie cauillatorijs mihi abrogare fidem & conspurcare famam, hostes illi nõ magis mei, q̃ DEI, suæq; Ecclesiæ. Visum est perpulchrum, si promittant se responsuros libello meo, quem in Saxonia contubernali cuidam scripsi parum diligenter, quum non respondeant, sed mordeant, non disputent, sed lacerent, ut sunt male feriati inertis eius Theologię uindices. Sed ita habet undiquaq;, ne uel libello timeam, uel mihi. Libellus est irrefutabilis, quia authoritate non hominis, sed magistri

magiſtri cœleſtis beati DEI nititur, ni forte illud in re prǽhenſiunculã cadit, quod aceto Italo perfudi eos, qui digni erant ſtygio gurgite, & quos gehenna ultrix certa manet. Nec eſt cur mihi metuam, cuius uita innocua fuit. Nihil igitur agent, utcunq; loquaces, utcunq; ſcribaces in Vuicelium. Feram iniuriam maximo animo, niſi quod teſtabor iniuriam eſſe, quæ me illuſtrabit DEO ultore, autores uero ſuos unà cũ glorioſiſſ. mendacijs pudefaciet. Interea Facchæ dego, atq; indigne egeo, poſteaquam in contemptum abijt literatura. Triſtes ſunt Camœnæ. Friget Minerua. Nullus honor eſt ingenuis artibus. Sunt Marones, deſunt Mecœnates, quo fit ut ij quibus humanæ diuinæq; literę odio hactenus fuere, nunc paſſim exultent. Indoctis patent & diuitum & pauperum fores. Penes hos eſt rerum ſumma. Ab ijs oracula in re quauis petuntur, ad quam opinionem profluxerũt audacia glorijſq; et ſimulationibus. Stat illis currus ahenæus alti Quadriuges in ueſtibulis, ut cũ Satyrico loquar, dum interim contentus fama iacet Lucanus in hortis, cui eſt res anguſta domi, atq; tenuis pannus, Cui utile eſt pallere, & uinum toto neſcire decembri. Deſpondent nunc animos optima ſpe pueri, & qui aliquò uſq; in literis progreſſi ſunt, quando uident cerdones Maronibus, Muſis arcas, tabernas Academijs longe anteferri; uerum eſſe arbitrantes quod

tes quod dicitur: Eum nequicquam ſapere, qui ipſe ſibi non ſapiat. Ruit iuuentus ingenioſiſſ. ad ſordes opificiorū, adeo ut ea fere multitudine ſua laborent. Parentes & cognati ſępe uel inuitos filios e ludis exturbatos ad officinas propellunt, ſiue quia contemptiſſ. eſt ſacerdotium, ſiue quia nō habent, unde ociȷ literariȷ ſumptus ſuſtineant. Quæſtio nunc eſt, non quantum quis ſciat, ſed quantum habeat. Expers ſui honoris eſt ſcientia, abdomen uero et tumor & opulentia mirifice colitur. Scholæ deſeruntur, ad aulas, ad emporia, ad Alchumiam, ad metallariam ſtrenue curritur. Quo fit ut qui doceant, aut diſcant bonas artes, paucis poſt annis rariſſimi inuentu futuri ſint. Tale uident Magnates, & conniuent, haud conſyderantes, interitu rei ſcholaris, Religioni noſtræ inſidiari hoſtem malignum. Sed quid ego hęc R. D. T. dico, quæ & pietatem & literaturam adamare dicitur, atqȷ adeo animo agitare, quomodo rei optimæ non ſolum adiumento, uerumetiam ornamento ſit? Bene ualeat R. D. T. & me non modo ditioni ſuæ ſubditum, ſed obſeruantem etiam eius eſſe ſibi perſuadeat. Hæc interim axiomata R. D. T. mitto, librum aliquando iuſtum orthodoxæ fidei uindicē miſſurus, ſi licebit. Datum Facchæ, in Quadrageſima. Anno M. D. XXXIII.

D. E. R. S. P.

SALVE VIR DEI. QVEMADMODVM IS qui celeberr. aliquem Heroã picturus est, cogitabũdus atq; anxius hæret, caput scalpit, ungues commordet, nec facile mittit manum ad tabulam, quo nimirum propositam effigiem augustius elaboret, id quod in plebeio effingendo uix facturus erat: ita mihi prope nunc usu uenit ad te scripturienti. Cum Satyris, Silenis, Panibus non ardui est negocij agere: at Ioues, Martes, Neptunos permagni refert, quomodo tractes. Quanti uero tu mihi fias, haud facile dixero. Fortasse tu pro modestia tua summa inique feras, & alius assentationem interpretetur, si te solem quendam ac phœnicem Christiani orbis appellaro: sed quãdo mecum reputo, quæ & quanta orbi præstiteris, facere non possum, quin te eius tituli amplitudine digner. Nullus profecto honos ulli mortalium unquam habitus est, qui te nõ maxime deceat, ob labores ac uigilias tuas incomparabiles, quibus & piæ & bonæ literæ non sine inuidia nobis redditæ sunt. Non tam contulit humanis rebus Socrates, non Solon, non Numa, non Cicero, non septem isti Græciæ sapientes, unà cum tota philosophorum multitudine: Rebus Christianis nõ ita commodauit post Apostolos Theologorum ullus, seu connumeres palçotericos seu neotericos, etiam ij

am ij qui librorum plurimorum cõmendatione nobiliſſimi ſunt, ueluti quatuor illi Eccleſiæ Doctores, quorum tu duos illuſtrans, illuſtratos uiciſti: Breuiter nemo tam profuit, atq; unus tu. Aufer hinc Herculeſ, Scipiones, Machabæos, Carolos. Aufer Plinios, Gellios, Fabios, Vallas, Hermolaos, Rodolphos ad ipſos uſq; Budæos & Capniones. Horum enim nullus, Liuore etiam iudice, uel labore, uel fortitudine, uel rerum honeſte actarum claritudine, uel excellentia, uel dignitate, uel fide, uel doctrina te anteit, quod poſtremũ ſi quis inficiari audeat, is ad extremum inſanire exiſtimandus ſit. Quorſum ais tam pręclara laudatio in os? Scio magne uir te hanc non agnoſcere. Quare perinde mihi eſt, te coram, tuis ornem laudibus, aut apud alios. Malefaciat autem mihi DEVS, ſi hoc ipſum inſyncere ſcribam. Facere hoc hortatur partim amor in te meus, cuius impulſu exiſtimationẽ tuam hactenus aduerſum Maſtigas defenſitaui, partim ſtatus rerum publicarũ. Huius potiſſimum gratia ad te ſcribẽdum putaui, ut qui in huius prouectionem omni cura incumbas. Vides quæ ſit Eccleſiæ facies, uides quid contra hanc intentet ſatan hoſtis. Erat hæc anteq; ſectarum perfidia premeretur ſui diſſimilis: Nunc ſui diſſimilior eſt, & adeo non effecta purior, ut aliquando impurior etiam uideri queat, non ſine maximo Religionis dedecore.

Nam dic mihi per CHRISTVM immortalem, quid ullubi correctius est, qd sanctius aut laudatius? Imò cœperunt nunc Ecclesiæ quoq; incommoda sordesque defendi, tantum abest, ut rem ad melius spectaturam spes reliqua sit. Id quod odio ne sectarum, an cæcitate, an simplicitate faciant miserandi homines, haud satis mecum deliberaui, Tu tale nescire nõ potes, quippe cui cum istis assidua atque felix lucta est. Mirari ego, sed dolere magis soleo, existere Christianos, qui Christianismum pollutum q̃ castum, & sibi q̃ CHRISTO idoneum esse malint. Hos dicere theologos atq; adeo monosophos, Horũ iudicio deferre omnia, Hos audire duntaxat, at tm̃ non proni adorare cogimur. O miseram nõ modo Religionis conditionem, sed et miserrimam. Cæterum hanc deplorare aliâs fortasse conueniet. Tu extimulãdus mihi uideris, ne cesses agere, quod agis. Repugna utraque manu, Resiste utroq; pede tam schismaticis q̃ sophisticis cõmentis. Pugna pro orthodoxia, sta pro ueteri Theologia. Vtrinq; infestaris, scio, Tu utrinque luctare, utrinq; cæde, utrinq; refer trophæa. Illud quod medium est, atq; inter utrunq; probatur, præhende ac præhensum tuere. Degrauant Ecclesiam factiones, sed pari damno, diuersa licet ratione, afficiunt eandem barbaræ scholæ. Illæ subuertunt omnia, hæ conseruata defœdant. Illæ sua ingerunt,

hæ sua

hæ ſua non deſerunt. Illæ cupiunt orbem ad ſtrepitum ſuum ſaltitare, hæ itidem. Neutri rectam capeſſunt uiam, Ambitio regnãdiq; libido utrobiq;. Volunt hæretici, ne quid horum remaneat integrũ, quę ſunt in Eccleſia. Volunt ſorbonici, ne quid tollatur. Nemo igitur aptior Palæmon, nemo iuſtior Areopagita, nemo incorruptior Amphyction te diuine uir. Omne perfugium, quod attinet ad hominem, in te eſt. Ad te redit de utriſq; cognitio. Nam nemo in Europa uiuit, qui res fidei te uel rectius intelligat (abſis inuidia) uel fidelius in ea uigilet, uel ſeuerius expendat, uel melius etiam poſſit. Si Sectis non itur obuiam, perijmus. Si ſcholæ infrenes eſſe pergent, actum eſt de Eccleſiæ redintegratione. Chriſtianorũ uulgus miſerabiliter perplexum, nunc huc nũc illuc animum diuidit. Eccleſiæ mala primum in cauſſa fuere, cur ſeſe homines ſectis dederent, ut ijs, quæ uidebantur Chriſtianius cuncta adminiſtraturæ. At nũc ubi erupit harum tabo, incipiunt ſapere, & in biuio hærere, incerti quid in poſterum aut credant aut faciant. Sectæ diſplicent ob multiplicia, at eccleſiam repetere graue ſibi putant, ob multiplicia. Abhorrent a tot ſuperſtitionibus, ritibus, aut rituum potius abuſibus. Deinde a cathedris nõ depuratis. Poſtremo a nimium pudendis cleri flagitijs. Intelligunt ſe errare homines, ſed quò eant, quà redeant, non intelli-

gunt: Non enim facile ita posthac fidem habebunt cuiuis recens exorienti prophetæ, ut sumus Germani Epimethei. Quo magis tuę erit partis, ut rebus ad summum afflictis, per DEVM adiumento sis, & qđ facis succurras. Exhauri labores, sanctiss. precibus flecte DEVM iratum. Disputationibus decerta cum Antecclesiasticis pariter & Matæologis tuis. Hortatibus crebris extimula Monarchas, ad rei maximæ consyderationẽ, ingeminãs illud Socraticũ φρόντισον. Consilijs iuua, Rationes propone, obsecra, obtestare, suda, ut CHRISTO suo dignior, q̃ad fieri potest, reddatur Ecclesia, cuius nũc religio moresq; eiusmodi sunt, ut pios horum apud infideles maximopere pudeat. Me infelicem, qui nunq̃ nõ crucier in animo meo, ob domus atq; Templi huius DEI Opt. Max. maculas probrosiss. Eum cruciatũ augent ij, qui pro talibus maculis aduersum te dimicare non uerentur, Magis tamen torquet schismatis impietas, cui paucis ante annis ipse quoq; mordicus adhæsi. In primis uero quos ore potes & quos epistolis solicitis, accẽde, ut de œcumenico cõcilio non solum cogitent, uerũ etiam hoc ipsum maturæ conuocent. Etenim hoc demum remedio dissidia citius tolli poterunt, q̃ conuitiorum felle, quo nunc omnia feruent. Heu animarũ iacturam irreparabilem in istis dissensionibus. Heu calamitatem Religionis infandam. Heu diaboli deli-

tias,

tias, Iudæorum cachinnos, & Turcarũ plausus. Mali huius nõ æstimandi culpa in ceruices uestras transferetur columina, qui potuistis, nec feciſtis, ut melius haberet sponsa CHRISTI. Sed ineptus sim, si apud te huius casus defleam, utpote in quibus deflendis ipse ubicq; multus es. Dominus te diu seruet ad Apostolicæ ecclesiæ utilitatem. Vale, Francophordiæ Natali Mariæ. Anno M. D. XXXII.

EIDEM VIRO. S. P. D.

SVPERIORIBVS NVNDINIS DEDI AD te literas, amantes quidem eas, & perquam loquaces, sed te, tanto quippe uiro, non indignas modo, uerumetiam indigniſſimas. At nesciuit consilium, nesciuit modum amor. Scripsi quę sensi simpliciſſ. malens temerarius, q̃ timidus esse. Summa rei erat Oecumenica Synodus. Bone CHRISTE, ut animum meum obsedit eius negocij tam magni, q̃ necessarij perpetua consyderatio. Nihil nunc in uotis meis est, hoc ipso prius. Nam uideo summi mali nullum finem, nisi causſæ legittimo modo transigantur. Bello exulcerantur, non sedantur. Germania diuisa est maximo Romani Imperij periculo. Si dormitabũt proceres, stetit Religio. Et ubi nunc sunt Rhetores, qui orationis stimulis ad leuiuscula, sępe ad orbi pernitiosa quædam excitare primatum animos soliti sunt?

liti sunt? Quin illi hoc tempore neruos intendunt omnes, & e media arte accendunt istorum frigus, quorum eo in negocio authoritas plurimum ualitura dicitur. O surdas aures tuas Roma. O pectora ad consyderationem rei maximę prorsus emortua, atq; in desyderijs mũdi huius sepulta. Quomodo habet titulus tuus? Quæ est professio? Quod officium? Satis ne diu expectamus opem debitam nobis catholici? Siccine grex domini IESV, nulli uobis curę est, ut fama non tarda, in orbe uniuerso uolat? Num percussi sunt animi uestri, a bonis etiam hominibus, qui de Vinea domini a uobis neglecta conqueruntur, non a malis tantũ, qui uos non honestis admodum nominibus accusant ac damnant? Sed bona spes est, fore, ut emolliat Curiam Cæsar Carolus, aut certe fatiget improbitate, quo uel ob pudorẽ saltem detrectare non possint, id quod uti facerent, sua in primis intererat. Quid ps Lutheri factura sit, ignoro. Sunt, qui putent eam ad æquas conditiones non descensuram. Arbitror ego descensuram, si amice euocetur, & comiter tractetur, sicq; in conuentu omnia q̃ mansuetissime agitentur. Vidẽtur enim quidam illorum fere languescere. Quosdam audio haud dissimulanter optare, nunq̃ fuisse receptum dogma, ob tot incommoda, quæ & peperit, & parturit. Ferocia authoris Lutheri miteſcet, ubi doctissimorũ hominum

ex omni

ex omni Europa aduocatorũ iudicium audiet. Cri-
ſtæ ſuperbiſſ. pauonis conflacceſcent, Cornua imma
nia decident illi, quum non in ſterquilinio ſuo, ſed in
luce uirorũ clariſſima, ratio opinionis heſternæ red-
denda illi fuerit. Tu ab actione utiliſſima minime o-
mnium aberis. Non audirem, ſi Cæſar eſſem: Labo-
ro ex calculo, uenire non poſſum. Iuberem ego Ap-
pium & ſenem & calculoſum deferri. Non eſt enim
ad portas Hannibal, non agitur de Pyrrhi pace, ſed
Cacodæmon euerſionem Chriſtianæ Religionis ad
extremum molitur, & de Eccleſiæ pace agẽdum eſt.
Vnus tu multorum inſtar, ea propones, ea diſputa-
bis, ea reſpondebis, ea dijudicabis, ea conſules, ea cen
ſebis, quę nemo alius. Solon, ſi Plutarcho credimus,
coortis apud Athenas factionibus ſolicite cauit, ne
ulli fauere uideretur, ſed omnibus ſe æque commu-
nem præbuit, unũ illud agitans, ut diſcordes in gra-
tiam redigeret. Vnde communi conſulto, & legum-
lator egregie declaratus eſt, & diſcordiarum tranſa-
ctor. Speramus eum te futurũ Solonem magne uir,
cuius ſententia nonnihil adimatur utriq; parti, ſic. n.
diſſidium ipſum adimetur. Ob concordiam omnia
tentanda ſunt, & ante in conſtituta quædam mitten
dus enſis, q̃ diutius ferenda diſcordia. Cæterum fa-
ctio Saxonica iam in me concitata eſt, cp deſierim pe
des abortiui iſtius Papæ deoſculari. Ionas tibi olim

laudatus, nūc uero hostis tuus, scripsit in me, quum nihil aliud suppeteret, mendacia et conuicia. Ego respondi, sed nondum parata est æditio. Extitit pręter hunc alius calumniator futilissimus, qui non minore scurrilitate usus est, in me dilacerando. Sed ego istiusmodi insultus non magis curo, q̄ si me fœmina lapillo peteret, ἢ παῖς ἀφῇσω, ut inquit Poëta. Vale in CHRISTO IESV, à quo emendatio & pax Ecclesiæ. Facchæ xviij. Martij. An. M. D. XXXIII.

I. L. S. P.

QVOBAMBVLANTEM ME ATQVE STRIctim carptimue lustrantem uaria authorū monumēta reuocas ad calamum, quem eo minus amare cœpi, quo steriliora adeoq; nugatiora sunt, quæ is producit. Siue enim męę infelicitatis est, siue alienæ inuidiæ, in profluentem penè nihil non scribo, quum hoc uoto susceperim id laboris, ut proximo meo, cui pręter dilectionem mutuam nihil debeo, qualicunq; modo prodessem, utq; esset, ne defossæ minę reus apud Tribunal iudicis olim agerer, quanq̄ ea Mina minima est, & prope nulla, ut mihi quidem uideor. Mallem e tenebris domus huius, in lucem, id est, in hominum cœtum prodire, sublimis stare concionator, corda seducta reducere, certū iter monstrare, uociferari in torporem ac teporem populi,

puli, in uitia enormia, in superstitiones mire fatuas, in fabulas Monachorum ineptorum, in ineruditam eruditionem, & falsam scientiam: hortari uero ad rectitudinem Euangelij, ad studium scripturæ, ad uestigia sanctorum, hoc est, conuertere cor filiorum ad patres, accendere ad Religionem, adq; pijssimas obseruationes, inflammare ad disciplinã, terrere, arguere, solari, mulcere, monere, obtestari, uocem exaltare Tubæ instar, uocem mutare ex Paulino affectu, ut solicita mater, ad obiecta respõdere, a doctis discere, tacitis auditorum cogitationibus occurrere, implicita, si queam, explicare, ligata dissoluere, omnia denicq; agere toto pectore, totis uiribus, ut ad plerophoriam Christianæ fidei (quæ nunc incertitudine periculose laborat inter tot dissentientes magistros) uulgus miserabile pertingeret. Sed non licet per inuidiam Satanicam os aperire publicitus, lingua incidi-tur, ne redeat Vox clamantis. Licet uero hactenus scribere intra priuatos parietes, nec tamen hoc quoque sine maximis periculis. Verum hoc ipsum (tale enim agebam) quod scribere licuit, in manus desyderantium fratrũ edere non licet. Obstat auaritia Chalcotyporum quorundam, uetat inanis metus, impedit obscuritas mei nominis. Quid igitur ut faciã censes? Vnde capiendum consilium? Nolim mihi soli natus esse, nolim mihi uiuere, nolim mea causa hac au-

 ra frui,

ra frui, hunc intueri ſolem, & tamen eò obnitentiſſimus adigor. Cogor mutus eſſe. Arceor à ſuggeſtu. Eapropter me ad ſcribendum confero, ut ſaltē tres digituli efficiant, ne ſim terræ inutile ac ſterile pondus. At horum opella putet, & eſſe ſuperuacanea dicitur. Num igitur prorſus ſileam? Occidite ergo me, ut prorſus ſileam. Cur enim uiuam infrugifer? Cur ocioſus panem comedam? Imò cur conuerſer cum hominibus, quos & errare tota uia uideo, & quos meam implorare fidem ſcio? Eccleſia, dices, tua opera nihil indiget. Imò nonnihil. Quanq̃ enim pedis in eccleſiæ corpore digitus minimus ſum, tamen ad rectum inceſſum facit huius aptatio. Indoctus es. Hoc quidem uerius, q̃ uellem, ſed tamen optime uolo Eccleſiæ matri, & forſan melius, atq; doctiſſimi quiq;. Ad hęc ſcribimus indocti doctiq;. Quantillo autem doctiores ſunt, quorum libris omnia Bibliopolia referta eſſe uidemus? Nam modo me ad aliorum iudicia æſtimo, qui ſolēt putare eſſe aliquid meas nugas. Talibus ubiq; præla patent, proſtant, emuntur, leguntur, & bene nummati redeunt ab incude. Quid ita? Quia, ut ille ait, ſtupet in titulis lector, magis conſyderans, quis ſcripſerit, q̃ quid ſcriptum ſit. Atq; interim tamen gaudent ſcribentes & ſe uenerantur, & ultro ſi taceas laudant quicquid ſcripſere beati. Heu q̃ difficile eſt Satyram nō ſcribere in iſtos quoſdam,

qui præ

qui præterquã quod ineruditi, meiq; similimi sunt, nullo Zelo Ecclesiæ, sed uel amore sui, uel odio concertantium hostium, uel pecuniæ studio, uel prçlatorum obsequio ducti, ea in publicum proïciunt, quorum Ecclesiam progressu temporis mirũ in modum & pudebit & pigebit. Quidam eius farinę prętexentes domum DEI, propter suam domum scribunt sentimenta, quæ nulla unquam litura coërcuit, non patrocinãtes syncerę Religioni, sed suæ scholæ, & agentes caussam non corrigendorum morum, sed fulciendorum sacerdotum, in pudenda ignauia uitaq; bonum tempus consumentium. Hos scriptores nunc pro optimis habent, & tanti fiunt apud stupidos dynastas, ut credatur in cinerem casura Ecclesia, ni tales existerent. Verum de me dicam, indoctus sum, & ad q̃duis aliud magis idoneus, quàm ad scribendi munus. Quid enim difficilius, hac præsertim ætate eruditissima, q̃ aliquid dignum atque expetendum scribere? Equidem utrunq; perdifficile est, Nempe, scribenda facere, & facienda scribere: Præterea sum ingenio paruo, lectione nõdum satis multa, nec usu rerum exercitatus: Postremo a bene instructis tersisq; Bibliothecis procul absum, nec adsunt familiares, qui socordiæ meæ stimulum adderent, desunt literati cõgerrones, quorum uidelicet eruditis sermonibus expolirer. Nolo reminiscí domestica uitæ in-

commoda, quibus ceu freno auocor, nõ ſolum a ſcri
bendi propoſito, uerum ab ipſis etiam literis. Sed ta
men animum intra me habeo recti honeſtiq; longe
cupidiſſimum, & igne Creatoris ſui flagrãtiſſimum,
cui uel pauca noſſe, ſatis eſt. Nec exigitur Eccleſiæ iu
re, ut non niſi doctus ſcribas, quando quidem ad ex
actam finitionem docti, uix quiſquam reuocatus ſcri
pſerit. Nam ſi ille modo doctus eſt, qui nihil neſcit,
quenq; nihil fallit, quis e ueteribus etiam uniuerſis
doctus extitiſſe cẽſebitur? Marcus Cicero neminem
eloquentem inter oratores numerat atq; agnoſcit,
niſi eum, qui ſuo Oratori propoſito reſponderit.
Quod ſi nos neminem Theologum eſſe ſinimus, ni
ſi qui ſimili forma numeros omneis impleuit, quis
eſt, aut q̃s futurus eſt Theologus? Cicero ea de Ora
tore præcipit, quæ ne Mercurius quidem ille facun
dus Atlantis nepos aſſequatur. Quid, quòd ipſe Ci
cero aſſequutus non eſt, quę proponit aliis? Ita enim
confitetur: Ego, inquiens, quid deſyderem, nõ quid
uiderim diſputo, Redeoq; ad illam Platonis formã,
quam etſi non cernimus, tamen animo tenere poſſu
mus &c̃. Si eò Theologiæ, quò ille Rhetoricæ, ſci
entiam efferas, nihil aliud feceris, q̃ quòd ſtudia mul
torum deſperatione debilitatorum tardaueris. Sum
ma eſt eſſecq; debet huius ſcientia, ſed ab eius nomine
candidatorum mediocritatem non prohibeas opor
tet.

tet. Concedi solet Prophetæ nomen ijs etiam, qui pares Esaię nõ sunt, multo minus Helię. Et Poëtę multi appellantur, locoq; poëtarum habentur, qui cum Vergilio & Ouidio collati, pueri elementarij sunt. Philosophiæ speciosissimum uocabulum illis etiam commune est cum Socrate & Platone, qui in nulla re ad horum culmen attingũt. Necq; tamen magnopere laboro, si cum indoctis in infima fece sedeam auditor, non Theologus, contentus nimirum conscientię sanitate, quam ego cum primis specto. Mecum reputabo, quanto præstet, probum q̃ doctum esse, & referre plurimum, ut Christianus sis, si minus Metaphysicus. Si dehinc a scribendo repellar, age, non scribã. Torpebo igitur? Minime, sed reponã. Quid id gryphi sit, tu conijcito. Vitam, qua breuius nihil a Superis accepi, ocio aut uoluptate consumere, turpissimum duco. Manuarijs operis eam extrahere nõ ualeo, nisi forte ineluctabilis necessitas tandem præualeat. Pila aut talo aut tessera fallere horarum tædium, mihi non libet. Equos alere, aut canes ad uenandum ducere, me nõ decet. Quid igitur rerum agam? Concionare. Vbi? Doce literas. Quos? O si liceret alterutrum. Quam mallem quouis modo degere reliquum uitæ temporis spaciolum, quàm scribere ingratissimis hominibus, etsi mihi necq; pudẽda, neque pœnitenda scripta. Quod dixerim, ne aliquis su

spicetur,

ſpicetur, nouum ſcriptorẽ me ſcilicet, laudis ſeruum potius, q̃ publicæ utilitatis, in Theatrum illotis pedibus, et ſine Elleboro irrupiſſe. Oſtende aliam uiam, qua tempus teram in dilectione DEI proximiq̃, & ocyſſ. hoc inſtitutum abdicauero. Quæ abs me, uti ad te perſcriberem, petijſti, coram mitto. Cognoſces nimirum, ubi quæ mitto, legeris, quanto ardore cupiam fulgorem Euangelij in cunctis nationibus. Bene uale. decimoquarto Maij. An. M. D. XXXIII.

D. C. R. S. P.

IANIQVE TVLI, LITERAS AD TE MEas e certis Vuernheri manibus in incertas non modo, ſed infidas etiam cuiuſdam Vipergenſis magiſtelli manus deueniſſe, e quibus ſi tibi redditæ integræ ſunt, & miror & lætor. Didici, ne ulli iſtius generis hominum uel latum digitum credam. Nomen meum oderũt peius incẽdiario Epheſij templi & Tarquinij, homines ſui modo amatores, ſuarumq̃ rerum impudẽtiſſimi admiratores. Te moneo, ſi pateris, ut aliquando ædas fœtum ſtudij tui in ædificationem Eccleſiæ. Habes numerata Talenta, quæ caue humo defodias. Eraſmum poſt apoſtolos & priſcos Theologiæ ἡγεμόνας imitãdum tibi per omnia cẽſeo. Nam is uir a ſcopo, mea quidẽ ſententia, minime omnium aberrat. Status Eccleſiæ laborans, cu-

rans,cuius cura tibi ſumma ac prima ſit, & cuius gratia uitam libens profundere debeas,in ſpem haud ſane mediocrẽ erigitur, poſteaq̃ duo eius capita Põtifex & Cæſar Mantuæ de conſtituendo loco tempore reqꝫ œcumenicæ Synodi mutuum communicant. O fortunatos nos, õ aurea rurſus ſæcula, ſi ea res ad uotum inenarrabiliter gementis et intenſe potenterue orãtis ſpiritus noſtri procedat. Sunt negocij eius ampliſſimi expectatione ſuſpenſi omẽs, qui recte de religione Chriſtiana ſentiunt. Tanta in re tu officio tuo non deeris,qui tibi uni natus nõ es. Peto iam ſæpe abs te, ut quod potes & quod uis, pro tua erga me beneuolentia ſingulari, atqꝫ pro Religionis ſtudio debito inuigiles, quo in luce,ac ſuper tecta,non in angulis ſolum, confutetur impia pariter & ſcurrilis Iodoci Coci reſponſio,quę in mille plus exemplaria diuulgata omnium ſchiſmaticorum manibus teritur. Veneunt paſſim in Heſſia, in Thuringia, & ipſum adeo Rhenum tranarunt. Subſannatur ſuauiſſime Vuicelius cum N. ſuo,et relatę uictorię plauditur,Nemo nobis deſpicatior, ut qui auſi ſimus os in cœlum ponere,cum Ioue ſummo manus conſerere, & cæteros deos immortales ceu athei Diagoræ pro nihilo ducere. Inuenit antagoniſtam,inquiunt, Inuenit,habet,iacet.Hoc ne taciti patiemur? Erimus elingues fide Catholici, uita irreprehenſi. Muſſabi-

mus uictorioſam ſęculis cunctis dominam, reginam cœlo terraq; ueritatem? Diſcedemus harena, neq; uicti neq; ſaucij? Minime, ita nobis CHRISTVS faueat. Reſpondebimus, contradicemus, reclamabimus, dū hac aura fruemur, ſiſi Agonotheta atq; Xyſtarcho filio DEI capite, ſeruatore certiſſimo, hortatore efficaciſſimo. Procurationem exiſtimationis meæ ſuſcepiſti, quare officium homini dignitatis tuę ſtudioſiſſimo, amore atq; induſtria p̃ſtabis. Crede mihi, uel iſto beneficio ſolo in perpetuum me tibi prorſus deuinxeris. Vale. Facchæ. Thomæ. An. M. D. XXXII

M. B. F. S. P.

SCYTALAS TRISTISSIMAS SEMPER ad fratruelem et me mittis Fabriti, nunq̃ne unas quidem lætas. Verſaris tu ſane inter euangelicos, ſed nullum hactenus Euangelion accipio. Nuncias non bona, bonus alioqui uir. Verum id facis inuitiſſimus, ſcio, & magis amore mei immodico adactus, q̃ uel terrendi cupiditate, uel nocendi ſtudio. Fidus narrator es, Reddis totidē uerbis rem, quot accepiſti, neutrò flectis, nihil pronuncias, non agis iudicem, amicum amiciſſimum, ut cõſueſti, non agere non potes. Illud noſſe percupiam, quid tu pro beneuolentia in me tua incredibili, proq; prudentia tua non aſpernanda tam craſſis de me mendacijs reſpondeas.

spondeas. Forte, Nescio, Non credo. Odio hominis hæc ficta sunt. Secus certe non rñdere potes. Quare ne quid dubites, amicissime homo, scito me mendacijs opprimi, non ueritate. Comparem meam nõ negaui, nec abieci. Nouit hoc Faccha nostra, omnisque regio. Doctor quem ego fautorem mihi esse duxi, mẽtitur aut de suo, aut de alieno. Tametsi aliud est, mendacium dicere, aliud mentiri. Nebulonis contumelioſum uocabulum non commerui, ut in me competat. Studui in omni uita honestis rebus. Quod rectum ac uerum est, semper indagaui. Fugi turpitudinem unam, & saluti communi cum famam meam, tum utilitatẽ posthabui, Idem facturus dum uiuam. Si regerere contumeliam animus esset, non nescirem pantalabos Nomentanosq; isto monstrare digito, in locis compluribus, qui sibi in sapientia Salomones, & in integritate Abeles uidentur esse. Expectabo dum eos reuelet tempus ueritatis filia. De Myrothecis obscœnum quiddam obscœnissime scribis, siue ut mollius dicam, φυσικῶς. Notanť in libello meo pyxides aromatariæ, isthuc dissimulare nõ possum, sed tale mihi nunq̃ in mentem uenit, tantum abest, ut scripserim. Insunt mi uir permulta sparsim in opusculo illo, quæ a me ne cogitata quidẽ sunt. Quo fit, ut aliorum Eleutherostomorũ mordax libertas mihi fraudi sit. Neminem producere possum, qui sua

ἐπιφθέγματα inseruerit, at illud testari atque obtinere possum, mea non esse, quorum gratia Lutheristę potissimum exulcerantur. Non posui in frontispicio de prostrato Lutherismo. Non scripsi Antichriste, Non scripsi Germaniæ calamitas, Non scripsi, Homicidis, Nō scripsi, principes dementare, Nō scripsi, occupatis illis balneo atq; Venere. Alia prætercurro. Authographon meum huiusmodi non habet, q̄ tumlibet irascantur ij, quorum est tacta conscientia. Qui ea infarsit, is defendat: Ego rationē de meis scriptis reddam coram DEO, Cæsare & Ecclesia uniuersali, non tātum partiali. Venerea esse pharmaca in uita non audiui, de Agnocasto legi olim in libro medici cuiusdam. Plurima eiusmodi adhuc me latent, quę pueri quatuordecim annorum nunc habent cōpertissima. Immundicias immundissimi mundi, & scelera scelerosissimi sęculi huius nondum satis cognoui, seruatore DEO: Afflictiones uero quę in mundo pie uiuentibus multiplicari solent, super capillos etiam capitis, quemadmodū psalter. ait, expertus fere sum. Falso itaq; queruntur de iniuria, quam ego eis non intuli. Sin eam alius intulit, alij non mihi succensent. Iam quod de Philippo scribis, nihil miror. Non possunt isti, nisi odisse, uituperare, conuiciari, ridere, insectari dissentientes. Sed heus tu, quæ nam illa sunt, quæ uir non bonus scripsi? Forsan pyxides,

xides, Antichristus, homicida & cætera non mea λοι-
δωρία animum hominis tenerr. adedunt? Audisti me
ista non scripsisse, quæ tamen eiusmodi sunt, ut si scri
psissem, haud quaquam uellẽ ire inficias. Quod si uir
bonus cætera non scribit, igitur neq; Apostoli, neq;
antiqui Ecclesiæ magistri, a quibus non dissentio, ui-
ri boni fuerunt. Concipe animo, quomodo bonis ui
ris congruant omnia, quæ isti insequutores mei iam
aliquot annis præfidenter scripserunt. Probari po-
test, talia eos & scripsisse & fecisse, quæ non a bonis
uiris, sed a leuiss. atq; improbissimis hominibus pro
fecta esse & nos & posteri iudicabunt. Si uir bonus
est Philippus, maximo studio cauebit, ne diuina hu-
manaq; præiudicio suo in contẽptum adducere per-
gat. Officium boni uiri non est, se suaq; laudare, alie
na reprehendere, quæ uiri non boni solum, uerum
etiam optimi atq; sanctissimi multis retro sæculis in
Ecclesia DEI prodiderunt. Mirum dictu autem est,
q̃ uos penitus deuoti, dediti, addicti atq; iurati ue-
stris istis Theologis, ut ipsa res clamet, sectam esse,
non ecclesiam, in qua tempus uestrum consumitis.
Nam is peculiaris mos est, ab initio sectis, quarũ nul
la non primas suas dedit authoribus, uix passa, ut cæ
teri in secundis tertijsue consisterent. Ad eũ modum
affixi erant Pythagorici suo Pythagoræ, peripateti-
ci Aristoteli suo, Platoni Academici. Sic suos trahe-

bat discipulos Phidias, suos unice delectabat Lysippus. Adorant ferme Zuingliani Zuinglij sui cineres de busto domum allatas. Retinctores Rinchium ita solum admirantur, ut solus sapere ipsis uideatur, cæteros omnes uolare umbras. Mahometistæ & Mosaistæ Mahometem et Mosen nullo CHRISTO permutabunt. Ita Lutheristæ Lutherum, Philippistę Philippum suum nullo Cypriano, nullo Lactantio unquam commutabunt. Videtur uobis alieniss. esse ab errore, a stultitia, a maleuolentia omni Luther us: atqueadeo primus esse in Europa Theologus, primus, solus, et unus scripturę doctor, nec fieri posse, ut ab ullo queat uel conuinci, uel uinci. Quod si ipse maxime queat, impossibili tamen impossibilius esse, ut uincatur Philippus, quippe polyhistor, & in quem omnes Pandoræ omnes dotes semel infuderint. Atcę ō miserrimos uos, qui usqueadeo confidatis in hominibus, quibus affectus sui dominantur, et quorum exitum nondum uidistis. Veteres non supersunt, nec uobis libri eorum legūtur, ob id infimo subsellio deputantur. Nec dubito primo quoq; loco sessuros, uestra etiam sententia, si essent adhuc in uiuis, & coram audirentur, ut isti uestri, & liceret oppositis respondere, aliqua etiam scripta sua emendare, uti uestris per uitam licet. Tu dehortaris ab instituto, id quod suspitionem quandam de me tuam mihi in-

hi incutit. Proxima ætate hortabaris addito haud uulgari calcari, ne dona a DEO data supprimerem, ijs em̃ uerbis utebare: Nũc uis supprimi. Timeo inquis tibi. Hoc amicitiæ est, sed non ita deterrẽdus eram a caussa optima, cui si deero, quãtumuis membrorum CHRISTI minimus, iacturã animæ meæ faciam. Persuasiss. mihi habeo, tuos errare Deos, & tam persuasiss. quam persuasiss. mihi est, DEVM unum esse. Quare sanguinis atq; animæ prodigus non tacebo propter Zion, donec ueritas Iustitiaq; præ errore ac iniustitia exeat. Nec adeo timẽdi isti tui sunt, quorum putredinem orbis uidere cœpit, & quorum a principibus intellecta fraus communem omnem defectionem gignet suo in tempore. Vale. Facchæ Trigesimo primo Decembris. Anno M. D. XXXII.

VV. L. S. P.

VLLVM NVNCIVM AD TE LITERIS meis uacuum abire patior, is est meus in te amor, ea beneuolẽtia, id studium. Literas tuis implicitas nolui obsignare, ut tibi copia earum legendarum fieret, tu eas ubi legeris obsigna. Necessitas exigebat, ut quæ scripsi, scriberem. Tu animo harum rerum ocioso sis. Hodie porcum tribus aureis emi, qui famelicos nos opipare pascat.

Porcule pelle famem neq; enim nos gentis apellę

Semen

Semen ales, triſtem porcule tolle famem. Videmur nobis eſitare meros lepores, meros phaſanos. Focus luculentiſſimus a maximo gelu huius ſæuiſſimę hyemis corpora nr̃a uindicat. Nix alta nobis cernitur magis, q̃ tangitur. Nam intra octiduũ expatiaturus aëris captãdi gratia uix domo prodeo. Strepitus atq; uagitus puſionum in paruo & ęſtuanti uaporario, mire offendit ſtudẽtis meditantiſq; caput. Eſt enim mihi pro Muſæo DEO gratia Pędoboſcion. Vini uſus nobis rariſſimus eſt, ob caritatem magis tamen, q̃ ob religionem. Siccare calices, pro felicitate quadam mea olim ducebam, Nunc mihi ſæculares deſiderijs hiſce pene mortuo, nihil eſt inuiſius. Farinæ pauperrimi ſumus, alij tñ pauperrimis pauperiores, quos nemo Euãgelicorum commiſeratur. Humanitas tua & uirorum quorundam exterorum ſpem mihi diuitem facit. Non me deſeret cœleſtis pater, in cuius uerbo, non in pane ſolum uiuitur. Fiduciam habeo lecythum olei, & Hydriam farinæ non prorſus ad imum euacuanda. Comedemus, & tamẽ ſupererit. Quæ uox Heliſæi, mire nos recreat. Qui cibauit in eremo tot milia, Vbi nihil apparebat ſubſidij, is baculum panis domunculæ meæ nõ in totum franget. Nolim propterea Vmbritij illius apud Satyriographum eſſe imitator.

Is quando artibus, inquit, honeſtis

Nullus

Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborũ,
Res hodie minor est, heri quã fuit atq; eadẽ cras.
Deteret exiguis aliquid, proponimus illuc
Ire fatigatas ubi Dędalus exuit alas.

Nam ego legi in Euangelio Lucæ: Beati pauperes, id quod Vmbricius nunq̃ legit. Quo uero abeam? Fuga in hyeme grauissima est. Continebo me intra meas cochleolas, donec me libertas aliqua uel sero respiciat. Erit mihi hæc paupertatula ad omnia mirũ in modum utilis. Benedictus DEVS. Amen. Vale. Facchæ. Magorum. An. M. D. XXXIII.

C. S. S. P.

SEMPER CELEBRE FVIT, VETERES amicos nouis prędferendos esse. Et isthuc re experimur, his prędsertim tẽpestatibus, quibus nihil tristius, nihil lamẽtabilius unq̃ fuit. Qui tu ualueris, ubi degeris, quid feceris intra hoc octennium chariſſime homo, non mihi non obscurissimum esse põt. Abesse te ab Hersfeldia non ignoraui, quæ ciuitas uarijs modis agitata est his annis, et forsan ob turbatam pacem noluisti ibi uiuere. Vbi ego degerim, & quid pertulerim, cognitũ, opinor, habes. Patriam primum reliqui ob spretum Euangelion Lutheri, in quod totus insaniebam, uti tu omnium optime nosti. Ex Thuringia occasione motus Rustici mi

ſerabiliter eiectum me excepit Saxonia nouo Euangelio nobilitata. In ea tametſi ſectam ingenti ſtudio iuui, attamen in uniuerſum placere ea amplius mihi non potuit. Quo altius deſcendi, hoc minus probatam inueni, dum fieret, ut totam totus reſignarem, malens uidelicet Eccleſiam, nõdum purgatam licet, repetere, quàm extra hanc in caſtris Catilinæ cuiuſdam cõſeneſcere, aut etiam mori. Necꝙ enim me DEVS genuit regenuitꝙ ſectæ, ut contra Eccleſiam pugnarem, ſed genuit regenuitꝙ Eccleſiæ, ut contra Sectam pugnarem. Id quod dum facere cœpi, mirũ in modum fremunt in animam, famam & corpus meum audaciſſimi Sectarij. Vix fero inſultus eorũ, ſed tamen fero, CHRISTI IESV præſidio firmatus. Sæuiunt ut leones, rapiunt ut lupi, pungunt, mordent, rodunt ut ſcorpiones, uiperꝙ, canes, ſuperſtes tamen ſum, dũ a dextris mihi DEVS Opt. Max. eſt, ne commouear. Liberabit me de inimicis meis potentiſſ. & de his qui oderunt me, quoniã robuſtiores me ſunt. Sin minus, præſto ſum, Fiat quod bonum eſt in oculis eius. Equidem ſpe magna teneor fore, ut principes Sectæ malæ arboris fructu malo guſtato de mutandis rebus cogitent. Certiſſ. longe eſt, ſchiſma carnaliſſ. non diu conſtiturum, nec impune ablaturos eius authores, ni alio ſpiritu induãtur. Putant ſibi Pyramides ac coloſſos erectũ iri a poſteritate, O CHRISTE,

STE, quorum nomina, tanta nimirum ἀτιμία infamata, non sine uituperij præfatione a quoq; proferenda auguror. Si uoluissent prodesse Ecclesię, non ea pessundata, quæ uel ob sacram successionem honoranda erat, propriam constituissent, quam nescit scriptura, quanq; ne somniarunt quidem primi Theologi. Sed de hoc aliâs. Illud nūc te uolui facere certiorem, Nēpe esse q̄sdam Lutheri nepotes apud Hersfeldiā, qui quum nihil ueri possent, falsiss. multa de me finxerunt, ut mihi conciliarent inuidiam omnis prouinciæ. Vnum est, Criminantur me desertorē coniugij, & nuper petiuisse aduolutum pedibus episcopi Moguntini, ut peccatorem absolueret coniugem. Apud Erphordenses traducebant me proxima æstate Arianum, Extinctorem Euangelij, Irrisorē fidei, Aperte hæreticum, Erat qui incestum appellaret & habere rem cum uxore fratruelis mei. Sunt infinita mendacia, quæ recti cōscius rideo sæpe, sæpe defleo ob eos, qui hic suprà quam dici potest offenduntur. Vnus Obsopæius falso dictus Ionas, quod sciam, ducentis nominibus me calumniatur, sciens se mentiri, nec tamen sibi inuidia temperare potest. Solatium præsentiss. est, quod scio sic oportere fieri. Cū odio sui semper cœpit ueritas, semper tot habuit hostes, quot extraneos, siue ethnicos, siue hæreticos dicas. Bernardi illud sępe recogito: Aduersus os loquentium iniqua

sufficit Bonorum opinio, & Testimonium conscientiæ. Exhibui episcopo libellum adhortatorem, ut maturo & sæuero cõcilio discordias huius æui incle mentiss. componant capita. Coniugij nulla mentio. Respondit per doctorem quẽdam bene latinum, se summo studio adnisurum, ut conuocetur Cõcilium, nec per se stetisse, quo minus, toties promissum, fa ctum sit. Scripsi Erasmo, pure Theologorum prin cipi, in idem argumentum è nundinis Francofordi ensibus. Nam is uir hac in re, ut nemo, orbi prodesse poterit. Tu mendaces euangelistas, & uanos Trito nes, siquidem eos audis, hoc dicto compesce: Aut ue rum, aut nihil: Iube, ut coram eloquantur, si qua con tra me habent, non susurrent in angulis. Vultus eo rum nihil reformido, potẽtiam eorum quam esse ty rãnidem scio, nihil metuo. Ab eruditione eorum ni hil periculi mihi est, à malitia est. Sunt armati ferro credulí principis, boni tamen, ego inermis. Sunt cen sibus honoribusq; & fauoribus prouecti, ἐγὼ οὐδενίς. Audiunt, mihi surda omnia. Persuadent, faciunt do minis, populoq; fidem, animi à me auersi sunt, quia secus, hoc est, καθολικῶς loquor. Sanam doctrinam ne mo sustinet, omnes quærunt placentia, omnes ea au dire gestiunt, quæ habenas carni laxent, non quę in ducant disciplinam, conscientiæ custodiendæ studi um, Religionis curam, Christianorum morum pon

dus,

dus,mortis & iudicij extremi solicitudinem: sed obdurabo expectans meliora,cœlũ et clamoribus atq; gemitibus tundens, calamo, quando lingua non licet, Ecclesiæ amatores exhortans, hæresiarchas admonens, uellicans, increpans, Sectæ popellum, qui persuasione magis,q̃ malignitate errare pergit,retrahens,orans,obtestans. Quam mihi mentem custodiat dominus IESVS,cui soli laus. Amen. Vale. Facchę. Octauo Ianuarij. An. M. D. XXXIII.

M. I. F. S. P.

ARRISIT NE AMICORVM OPTIME Hirsfeldẽsis illa & plusq̃ argiua calumnia? Parturijt diu,en fœtũ,matrẽ dignum. Voti compos κἰεδηλος pastor est. Scripsit,ædidit, prostat egregius hyperaspista carnarij Euangelij. Circumfertur liber magno plausu hominum istorum, quibus oletum aroma est. Plausus ille stridor dentium erit, ubi suus euigilauerit œtæus genius. Tempus ridendi nũc ipsis est,nostrum est flere,at uicissitudinis spes certa nos alit. Demiror autẽ hominis eius usq; adeo a me mutatum animum, qui de repente ex amico bono, tantus mihi diabolus factus sit. Nam quid amarius,quid audacius,quid hostilius, quid uenenatius, quid contumelioſius,quid mendacius, quid scurrilius,quid prophanius,quid arrogantius,quid adulan

tius, quid impium magis fingi potuit, q̃ est illa scri-
ptio? Vt nihil dicam de ingenio portenti illius indo
ctissimi, qui uix tantum profecit in Lutherismo, ut
Germanicam linguam calleat. Audet tamen publice
scribere agazo, & scribere de re maxima, quam, emo
riar, si unq̃ somniauit. Nugas ego legi nondum, ade-
oq; primam paginam aspicere dignatus non fui, au-
diui modo qui obiter legerent domi meæ, quando
primum mihi missę fuissent. Risi auditor, nihil aliud.
Aliquando dolui non mea caussa. Iram utcunq; co-
hibui, iustam licet. Deprehẽdi facile, id quod res est.
Consilium fuit, ut me infamia aterrima fœdatum, in-
uidiosum apud omne genus hominum faceret, quo
consilio scripsit & Iodocus χωμοποιὸς. Neuter uel syl-
labam ædidit, ut Euangelio suo prodesset, sed ut mi
hi obesset tantum. Vltio est, non monitio, contume
lia non doctrina, id quod & formidabiles tituli satis
arguunt, & inexhausta maledicentia, cui indulgẽtes,
rem ipsam uix summis labris attigerũt. Hactenus de
consilio scriptorculorum istorum. Sacris literis uter-
que uim facit, & suam mentem data opera uallat, ne
introëat recta harum intelligentia. Faciunt næ intelli
gendo, ut nihil intelligant, tanta est tamque se in illis
exerit Schismatici Zabuli energia. Quare & caussa
ipsa exciderunt uicti. Porrò quod ad calumnias atti-
net, omnia mentiunt sine fronte, quæ in me bacchan
tur in-

tur insaniſſima capitula. Quod niſi eſſet, non audere domo prodire. Illibata fama adhuc eſt, & ferunt de hac teſtimonia omnes noti, quos mihi propius iungunt Sycophantici libelli Lutheriſtarum, tãtum abeſt, ut diſiungant, poſteaq; conſpexerunt uirtutẽ conuitijs iniquiſſimis concuſſam, ſed non fractam. Æſtimor uitæ meritis, non inimicorum calumnijs, DEO datori laus. Deerat furori ueritas, ideo ad mendacia confugit, ne deeſſet quod reſponderet. Clarebit tale in confutationibus meis, quarum altera in Cocũ abſoluta iam diu eſt, altera parabitur ubi Iſennachenſis cuiuſdam luſcioſum librum uidero. Neq; enim ſatis paſſus ob orthodoxiam, Pluribus adhuc telis configar, ſed animum non abijcio. Hersfeldenſis te quoq; ferit. Num dolet? Præbuiſti anſam belliſſimæ hiſtoriæ, Niſi fuiſſes compotor, nõ eſſet quo impleret inanem duernionem nouus ſcriptor. Subinde ſubit admiratio, Lutherum tam inſulſiſſ. tam miſerabile, tam ridiculum ſcriptum Typographo cõmiſiſſe, quum nõ dubitem ſibi ipſi indignum luce fuiſſe uiſum. Verum quid nõ facit inuidia? Quia erat nimirum in me exputum, et continebat materiam mei opprimendi, ideo ſpargi in publicum facile paſſus eſt, alioqui non obſcure uidit,

Delphynum ſyluis appictum, fluctibus aprum.

Eò etiam proloquio opus erat, Ita enim uino non uendibili

uendibili opus est suspensa hædera. Proxima Dominica uenebant apud nos aliquot exemplaria instinctu hominis illius, ut me Facchanis quoq; maculatũ obtruderet, sed nihil egit. Creuit hinc mei existimatio, & conspuitur impudentia rabiosi Curtisani, qui non ueritus sit in bene meritum tam de se, q̃ de salute publica tam atrox tamq; uipereum scriptum emittere. Quid quod ipsis Lutheristis atrocitas & stolidiss. illa arrogantia ineptissimi scriptoris etiam atque etiam displicet? Tua intererit, epistola digna retundere hostis perfidiam, & eluere aspergines. Nõ peccas assertor iustitiæ, peccas autẽ ultor iniuriæ. Equidem gratius facere illis abortiuis Euangelistis nõ potero, q̃ si cum insanientibus insaniam, & in uitã istorum scribam, quemadmodum in meã falsissime scripserunt. Sed modestia atq; patientia uincam, fretus Innocentiæ bono, & ueritatis dilectione. Si res ad Centũuiros redibit, caussam uicero. Interim respondebis ciuilibus tuebor orthodoxiam & famæ meæ castitatem. Quod si interdum genuino meo non mordentes, sed lacerantes aduersarios mordeo, non temere fit. Fortasse suo tempore locoue describentur mihi uirtutes Lutheristarum, & illorum egregia facta, ac bona opera. Temperabo mihi autem, ne id faciam intempestiue, hoc est, ne illos pro merito expingam, quando disputandum est, sicut ipsi facere sueue

runt, quo

runt, quo nihil absurdius, & quod indicat summam cõuitiandi uoluptatem in eis esse. Non a scopo aberraturus sum, si historiographus illorũ esse cœpero, sicut ipsi aberrarunt, scribentes non historiam de me, sed calũniam, quam eminus insequens ueritas coram toto populo pudefaciet. Nihil ueri est in toto de me sermone, uel dispeream hodie. Omnia sunt odio diabolicissimo a perditissimis nebulonibus ad gratiã leuissimæ sectæ conficta. Quod si sancto Euangelistæ Balthasari Raid respondere libeat, hoc Tetrasticho respondero:

Raid ruit atq; rabit, radiat præ pluribus Oestrum.
Raid sine mente tumet, Raid sine fronte parit.
Omnia mentitur phryx mendacissimus Hosti
Non intellecta est pagina nostra Getæ. Vale

Facchæ. Petri Cathed. An. M. D. XXXIII.

VV. L. S. P.

BENE AGERE. NIHIL INOPINATVM patior Vuernere, nam aduersa illa ante prospexi. Firmatus erat animus ad ea, quæ præter spem euenire poterant. Quare non sum fractus malo tuo nuncio. Perturbationibus iniquissimis medetur Theologica philosophia: Laus & gratiarum actio DEO nostro pro flagellis, quæ, ut appareret, nondum consumata sunt. Vale, ama DEVM.

D. F. N. S. P.

ACCEPI A TE VNAM EPISTOLAM IN bruma, bene longã, sed ita animo meo gratiorem. Vidi in ea te totum uir optime & comperi q̃ mei amans sis. Sensi cordis gaudiolum, quum legerẽ lætissimam & doctissimam epistolam, tanti amici mei, & illius non tam noui, q̃ ueteris. Videris patris obire uelle erga me officium, non fratris solum. Qua uoluntate me tibi totum, quãtus sum, obstrinxisti. Gratulor ipse mihi, quod uel e longinquo solatio clarorum hominum tristissimis rebus meis afflantur. Qui proximi sunt, foras fugiunt a me. Vertuntur uices, ut semper. Obduro adhuc & perfero grauissimum onus grauissimæ aduersitatis. Luctor ingenti animo, ut uincã, ne ruam, ne dem manus tentatori. Munit me uerbum uitę, addit robur innocentiæ atq; uirtutis conscientia, obarmat ueritatis catholicæ certitudo, spem optimam iniicit schismatis aperta malitia. Est mihi adhuc a principe Hesso pax, sed ægra. Magnatibus & pseudeuangelistis longe inuisissimus sum, ij si per principem liceat, nullam horam me in patria sint passuri. Cõmitto cœlesti regi oñia, huius seruus sum, & in patria & extra patriam. Coco coxi pulpamentum, sed prępeditur ne appareat. Cupio ut tu libri illius, quo mendacem cupediarium illum Ionicum Milesiumq; conuici, unam modo pa

ginam

ginam uideres. Præter Cocos prorepsere lixæ quidam, ut Vuicelio exhibeant molestiam. Raidius uere ῥαδιουργος me ueneno tincto, sed tamen plumbeo pugione appetit, idq; in obsequiũ patris sui Lutheri. ῥαδιουργηματα bellissima non legi, titulo lecto contentus. Homo miserrimus cum miserrimis suis blateramentis nulla congressione dignus plerisq; iudicatur. Quin & operam luserim, si rescribam sanando homini tali, & remaledicere non licet. Audio libellum nihil continere, præter infamiam mei nominis. Tribus hisce hebdomadis descripsi Euangelium secundum Lutherum, cui adiunxi historiam ecclesiasticam, ut liqueat, similes habere labra lactucas. Quale em̃ Euangelium, talis eius historia est. Operi nondum supremam manum imposui, sed dextro CHRISTO (præter cuius Euãgelium aliud nescimus) intra quatriduum ad calcem deducetur. Impendi hunc laborẽ Germanis, ut cognoscant Apostolum suum, ob id germanice scribendum putaui. Vale. Ora pro Ecclesia, contra dissidia. Facchæ. Secundo Aprilis. Anno M. D. XXXIII.

I. S.

ὑπραστῆμ. IOLA NOSTER PRAEDICAuit mihi animum tuum erga Antiquitatem Ecclesiæ catholicæ mire adfectum, & pieta

tem moresq; priscos adprime desyderãtem. Quæ tui laus si uera est, næ tu mecum facis. Neq; tamen facile adduci potui, ut crederem in medios Lutheromanitas existere, in quem eiusmodi laus competat, sed fidem plane fecit ostensa chartula, in quam transfusæ erant positiunculę de uere bonis operibus fidelium, quas mirum te probare aiebat, monens atque obsecrans, ne dedignarer tibi, homine quippe amatori iustitiæ, & ueteris Ecclesiæ Zeloti, familiariter scribere. Mirũ uero q̃ eximis gaudere soleam, ubi audio, animas superesse in isto rerum confusiss. atq; perturbatiss. statu, quæ orthodoxiam serio amplectantur. Lutheristæ erubescendis erroribus impliciti, nõ desinunt DEO resistere, cuius audaciæ gyganteæ certas pœnas dabunt, si non Cæsari, certe DEO, qui laneis pedibus adrepens, tarditatem ultionis atrocitate supplicij compensabit. Animum tuum a uia domini recta nemo, caue, transuersum rapiat. Sta petræ immobili innixus, auribus ad opprobria obturatis. Ne te feriant uoces illæ contumelioſæ: Papista es, hypocrita es, Schuermerus es. Nam mentiuntur odio sponsæ CHRISTI regis immortalis. Papatum nescimus, Ecclesiam scimus. Hypocrisin detestamur, ueritatem uitæ & operum Christianorum diligimus. φαντασίαν incognitam habemus, ὀρθοδοξίαν toto pectore, tota mente sectamur. Corpus catholicum probamus, ne

uos

uos,uerrucas, Tubera atq; uomicas eius non proba mus. Anima quæ peccat, ipsa morietur. Quisquis ꝑ se,nõ pro altero, reddet ei rõnem, qui nouit omnia. Acerbas interim Lutheranæ gentis iras mansueti ac longanimes feremus,eas ubi decoxerint,& in se effi cacia uirtutis DEI descenderint, beatificabunt oms a se suisq; pituitosis dogmatijs dissentientes. Te ser uet dominus. Vale.Facchæ. quarto Aprilis. Anno M. D. XXXIII.

VV. L. S. P.

GRATVLOR DE EMPTO PRAEDIO, VI de modo ne sit, neue fiat, quod postea de plores Neoplutus. Fortunę nihil fidendũ, maxime citæ. Expertus nimirum es inclemẽtem de iectricẽ eius,quem benigna extulerat. Sed DEVS me liora, qui fortunæ dominus est, si non ipsa fortuna. Tu nunc rusticus es,cui deponendæ sæpe urbanita tes. Laudabis cum Horatio,

Ruris amœni riuos,& musco circumlita saxa nemusq;,tametsi calua est Thuringia. Oblectabis te supra modum cum Plinio in tua ista uillula. Relinqs mihi interim meum phrontisteriũ,Laurentino quip pe tuo delectatus. Ecquid,ais, me tantis uiris annu meras? Facio hoc,ut illos rusticantes magis ęmulere, q̃ Menios pantolabos,Nomentamos nepotes,men

 dicantes

dicantes nudo digito Polliones, qui quicquid rei habebant, auaro uētri donabant, præligētes nihil possi dere, q̄ ullo cupedio carere. In bonam partem interpretaberis, quod ego in optimam scripsi. Cæterū lector uicem Erphordię nostrę, cui Eobanus suus sero quidem, sed tamen redditus est. Is, q̄d in uotis meis semper fuit, redaccēdet extincta studia. Gaudebunt nunc tristes Camœnæ rursus, quæ spretæ nudo pro cubuere solo. Respexit pater Apollo, claram olim ac rebus summis ornatam Academiam, ut spes sit clariorem eam fore, nisi inuidia Bellona aut huius mater ἀίρεσις bene cœptis obturbet. Non diffido, quin ipse quoq; tandem isthic sim futurus, Si nō institutor pubis ingenuę, certe spectator Hessi, Quo nil Aonides doctius ædiderint. Tu plurimam salutem illi dicas meo nomine, & simul præmoneas adeoq; præmunias, ne euangelicis aduersum me calumnijs quicquā commoueatur, nec perterreatur falsis rumoribus, sicut pueri laruis, sed meminerit, ueritatem lente subsecuturam, apud Lucianum suum describi, & calūniæ artes magno bonorum hominum plausu, probabilissime retecturam. Saluere item iubeo M. Echelliū, Felicem, Vrbinatem & Guilhelmum principem scribam. Vale. Facchæ. Vigesimoprimo Maij. An. M. D. XXXIII.

D. C. C. S. P.

Qui le-

QVI LEGISTI EVANGELIVM SECVNdum quatuor euangeliſtas, quod exĳt ſub Tyberio, legas oro euangelium quoq; ſecundum Lutherum, quod exĳt ſub Carolo V. Mirabere adeoq; obſtupeſces ad diſſimilitudinẽ euangeliĳ palæoterici, & neoterici. Illud uenit ex Iudæis, hoc ex Saxonibus, Illud diſſeminatum per Apoſtolos, hoc per apoſtatas. Illius ui diuina mutabantur auditores & reddebantur ſeſe meliores. Huius uero dulcedine mutantur boni in malos, ſeueri in ſolutos, ſobrĳ in ebrios, ieiunatores in comedones, multi etiam ex hominibus in bruta. Per iocum hæc mihi non dicũtur: Nam iſtam commemorationẽ uel ipſe cõmemorans acerbe fero. Vtinam Lutherus & eius Amaſĳ ea prodidiſſent, quæ CHRISTO, Apoſtolis, & uniuerſitati Eccleſiæ probarentur, ego profecto ne uno quidem uerbulo reclamaturus ſim. Qui cauſam æquus ponderat, is ſine dubitatione nouit, nihil minus eſſe, q̃ quod iſti Thraſoniciſſime iactant. Præterea qui legiſti hiſtoriam eccleſiaſticam apud Euſebium noſtrum, ne moleſtũ ſit, hiſtoriam quoq; ſchiſmaticam legere. Collata ad purpurã purpura rectius iudicabitur. Scripſi in eo opere om̃ia carptim, materiam plura inquirendi alĳs relinquens. Optabile eſſet, Eccleſiaſticos chriſtianius uiuere, atq; ſchiſmatici uiuunt. Quod ſi hos adæquant illi, uereor raro profutu

profuturam admonitionē, quantumuis alioqui tem peſtiuam. Status rerum mearum uobis amicis meis curæ nulli eſt: Nihil tangimini miſeratione caſuū me orum. Deſudo in iſta mea Anachoreſi publicis Ec cleſiæ commodis, fraudans genium meum, contra hens ætati iuuenili ſenium, homo epaticus, & cepha læa grauiſſ. laborans, nullis ſubleuatus pharmacis, nulla lautitia (quam ſemp horrui) fotus. Sed uitam duriter extrahens, ceu in media aduerſitatum multi plicium fornacula, nec tamen id in uiſcera fratrū pe netrat. Schiſmaticus abūdare potui, & eſſe εὔσωξος. Ca tholicus penuriā pati poſſum, & eſſe ἄσωξος. Sed eam inopiam ac ignominiam felicem puto, quam in uia dñi gradiēs ſuffero. Malo enim Codrus eſſe in eccle ſia, q̄ in Secta Cræſus. Vulpes foueas habent, oues nihil. Agnoſco euidenter Manum DEI conſtantiam meam probantis, de cuius tamē optima erga me uo luntate nequicq̄ diffido. Sit nomen eius benedictū. Saluta M. Vrbanum, Felicem, primarium ſcribam, & L. Cunonem, Facchę. quinto Iunij. Anno.

M. D. XXXIII.

D. F. N. S. P.

PROXIMIS NVNDINIS DEDI AD TE binas ſimul literas, perbreues tamē, uellem gratæ eæ tibi, uir optime fuiſſent. Illud mo leſtum mi

leſtum mihi fuit, quum homo, cui literas dederam, inanis rediret. Compellatus a me duriuſcule aiebat ſe Moguntiam non pertigiſſe, ſed Bibliopolæ cuidam faſciculum credidiſſe in nundinis. Ita mi Frideriche, mecum agitur. Nulla eſt hominum certitudo, Qui potiſſ. ναὶ κύριε reſpondent, illi rarius factum exhibent. Mirum, ſi id tibi quoq; non uſu uenit, & tale in cauſa eſt, cur iam diu nihil ſcribas. Cæterum hic uector, homo certus, tollat quæſo plus iuſto diutinam intercapedinem, qui cum omnia mihi ſignificabis, non tam quæ ad cauſſam meam, q̃ quæ ad publicam pertinẽt. Primum qui fiat, ut labores mei in perpetuis tenebris deliteſcant, prẽter meam & omnium amicorum ſpem uoluntatemq;. Deinde quid miſero mihi cogitandum, occipiendum, faciendum, & omittendum cenſeas pro tua ſapientia, quæ mihi ſit plurimi. Poſtremo de rebus publicis quid certi compertum habeas, præſertim de Synodo, toties & tot uerbis, & à tantis Monarchis promiſſa, non enim dicam, indicta. Item ubi gentium Cæſar ſit, quid decreuerit, num cogitet finem imponere tempeſtati periculoſiſſ. O mihi chare iucundeque Nauſæa, quid tu tandem futurum diuinas, ſi mendax fama eſt de Synodo, omnes terras peruagata? Quorſum euadet ultoris DEI lenitas? Siccine Gubernatores eccleſiæ, aut diffidunt ipſi, aut deſperant etiam de eius catortho-

ſi? Sed de iſtis tale ſentire iniquum foret. Nec minus tamẽ flagitamus uniuerſi Synodum, alij gemitibus, alij cõuitijs. Exhortabar protreptico ſcripto, quum hac iter faceret, Archiepiſcopum Moguntinum, ut pro ſua uirili inſtaret, ne impediretur, ultra quam ſatis eſt religioni neceſſarium Concilium. Eraſ. Rote. bis incitaui, ut oratiõis ſuæ efficacia perſuaderet Monarchis, de cogendo Concilio, uſq; adeo hoc unum in pectore meo ſedem fixit. Nam quid uerbis opus? Tu cogita, an alia ratio ſit conciliandi cum Eccleſia Sectas, ſi non Concilij remedio? Impulit me eius rei anxia, atq; ſeria cogitatio, ut nuper ſcribere tẽtarem Methodum Cõcordiæ, ita enim feci libello titulum, proponens quibus conditionibus unitas diſiecta q̃ commodiſſime reparari queat. Cedo autem, ecquid totum ferè annum remoratur libellos apud te relictos? Non inuenio poſthac, quod reſpondeam poſcentibus Georgianas uires ac tela. Nundinæ quoq; ſperantes oms̃ nos indigniſſime fruſtratæ ſunt. Vota omnia irrita, uanitas uanitatum. Cum rubore ſuſtineo poſcẽtes. Cauſor multa, ut quæ in buccam incidunt, atqui illis minime eo pacto ſatis fit. Sæpe indignabundus Rheno aut ipſi Stygio gurgiti deuoueo induſtriæ meæ intempeſtiuũ partum. Interdum cum tranquillior ſum, animo mecum contemplor, Maligni ſatanæ ſtudio fieri, ut premantur uigiliolæ, ne occaſionem

casionem afferant cordatioribus de negotio sectę ac curatius inquirendi. Permittitur maligno ludere aduersum nos, ut tẽtemur, sed sua pernicie. Non oblu-ctabor uoluntati omnia scientis optime, & omnia e re nostra perficientis DEI patris. Quoniam uero admonebas in epistola, quam unam in uita a te accepi, ut Ionæ calumnijs (ô CHRISTE qualibus) apologetikῶς respõderem, feci id, & quidem cito, an bene nescio. Eam porrò respõsionem legerunt erudituli, rogitantes, ut emissa superbiam sectæ concuteret, si id amicorum opera fieri possit. Ego cesso hac in re. Nec si satagerem, aliquid explicarem, ut nunc est auaritia & impia mens typographorum. Placuit ut tuæ dilectioni quoq; missus liber lectitaretur. Videris enim erga me optime adfectus esse, & in primis paternum animum induisse, erga calamitatẽ meam. Per te stabit, utrum uelis excudendum curare. Gratissimũ faceres toti catholicorum cœtui, mihi profecto nulla in re magis posses obsequi, & inseruire periclitanti famæ meæ. Vtinam fieret eius legendi copia D. Thruchsio, ut uel hinc colligeret, quomodo se res habeat, sed uulgatus in aliquot exemplaria multis hominib. legetur. Tenta si quid possis: Sin minus succedet, reuolet autographon meum. Non enim ob id abijciam, & doctrinę sanctæ & meę opinionis propugnatorem librum. Cum primis me certiorem redde de li-

bro defensionis bonorum operum, quis Typographorum Coloniæ illum domi habeat, an addiderit priorem additionem scripto meo subnectẽdam, qd causſæ sit cur non in nundinas importatus sit. Necꝫ dubito, quin amicum sis erga me te ostẽsurus. Si Colonienſis nondum impressit defensionem, præmoneum per literas, ne æditionẽ Lipsicam cudat inemendatam, Nam mendis plurimis atcꝫ erubescendis scatet. Mitto notationem aliquot erratorum, hanc tu Coloniam transmittes, ut hæc meum officium expleat. Fac diligenter procures communem Ecclesiæ utilitatem, cui ego omnia mea impendere statui, Sat dives, sat beatus firmuscꝫ, si eam nitentiorem aspicere aliquando contingat. Vale doctissime uir, & mihi in uisceribus CHRISTI dilectiss. Facchæ. Octauo Iunij. An. M. D. XXXIII.

M. A. F. S. P.

COMPERIO ADAME, ME APVD PLEroscꝫ in Hessia graui admodum inuidia laborare & esse, qui miserum me ad crucem sublatis clamoribus expetant, non iudicio rei ullo, sed cæco mei odio, quod mihi mea simplicitas pepererit. Animam meam seruatam cupio in certa potius, q̃ in incerta Ecclesia. Hinc sunt illæ lachrymę, imò furiales minæ aduersariorum. Hoc unum te nunc per summum

ſummum CHRISTVM oro, perq; iura ueteris amicitiæ noſtræ obteſtor, ne tu delationib. heu qualibus, Quadruplatorum aurem credulam præbeas, ne fiat, ut indicta cauſſa damner. Si iudex conſtitutus es, æquum iudica. Nihil aliud deſydero. A ueritate DEI tantum abeſt ut refugiam, qui in ea obq; eam mori, nedum uinciri, non recuſo. Vale. Facchæ, duodecimo Iunij. M. D. XXXIII.

D. F. N. S. P.

ILLO IPSO DIE, QVO AD ME VENIT grammatophorus, eram Erphordiam aditurus, id quod feci quoq; ob cauſſas quaſdam. Verũ literas ille tuas non reddidit, quippe Fuldæ relictas. Ego mirum in modũ geſtiebam, & tanto uehementius auebam literas: ut fit: quanto minus habere eas licebat. Expectaſſem igitur Facchæ Fuldenſem nuncium, ni me actutum abire illinc oportuiſſet. Curaui tamen, ut ſi heri illuc delatæ ſunt, uti futurum aiebat tabellio tuus, cras ad me huc perferantur. Sin minus, captabo diligenter occaſionẽ, ut quãdocunq; acceptis, ad plenum reſpondeam. Tabellio mihi neſcio qd referebat. Boui clitellas. O ego futurus Eccleſiaſta Moguntinus? Rides. Nec mirũ. Ridemus cęteri etiã quotq̃t hoc inaudiuimus. Nũcius ipſa erat epiſtola, ferens in ore quod Fuldæ ſe in chartis

reliquisse dicebat. Ego ut uerum sine ioco fatear, uer bis eius difficilem fidem dedi: Tarda enim solet ma gnis reb. inesse fides, ut Tomitanus ille inquit. Qua re hic quoq; hominẽ in patruelis mei ædes uocatum semel atq; iterum appello, adeoq; excutio, ut si quid certi ex te audierit, mihi detegat, nihilue placendi stu dio confingat, quandoquidem nõ liceret rem ipsam e literis tuis perspicere. Homo deierat, se id ex te au disse, quod mihi dixisset. Hic ego plane stupẽs, mox animum nunc huc, nunc illuc diuido. Neq; tamẽ ad huc mihi omnino persuasit nũcius, quando uidelicet consydero, istis hominibus familiare esse pro loco personaq; mentiri. Eapropter uir optime maximo pere rogo, ne Georgio tuo succenseas, quod iam de uoluntate animi mei te certiorem non faciam. Nam absurdiss. sit, respondere literis nondũ acceptis, præ sertim in re tam ardua. Satis uero admirari, satis lau dare bonitatem erga me tuam, uix unq̃ potero. Cer te tam bene de te mereri q̃ debeo, nunq̃ plane pote ro. O te amicum, qui non solum summus sis amico rum meorum, uerum etiam, qui sufficias mihi subla tis omnibus. Falsum est Adagium: Qui procul, non amici. Imo illi ipsi amici, qui procul sunt & qui pro pe, non amici. Experior, quæ loquor. Vsu uenit mi hi, quod CHRISTO domino, quem qui non noue rant receperunt, nempe Gentes procul a DEO, a tem plo, a

plo, a teſtamento, recuſantibus Iudæis, qui norant eum in propinquo. Sed de beneficio tuo aliâs. Si uerum narrat nuncius, neſcio, epiſtola tua certum docebit. Si idem loquetur epiſtola, breui ſcies quid uelim nolimue. Quod ſi aliquantiſper differetur, attamen ſcies. Vale in domino IESV, filio DEI, uero ſaluatore. Erphordiæ, vigeſimoquinto Iunij. Anno. M. D. XXXIII.

D. F. N. S. P.

VETVS FABVLA IN ME NVNC VERA fit: Natus eſt enim ridiculus mus. Aha. Reperti ſunt pro theſauro carbones. Sed eiuſmodi infelicitatis meæ eſt: Tu amice candidiſſime, nihil hic peccaſti. Pudet repetere, piget recolere etiã uanitatem tabellionis. Homo poſthac tale non faciat, ne, dum ea arte rebus ſuis proſpicere tentat, ad ultimum & re & ſpe excidat. Sin ex te audiuit quod retulit, mirũ eſt in epiſtola tua ne uerbo quidem uno ſignificari. Aut fortaſſe noluiſti tale literis committere, ſed placuit per os nuncij experiri uoluntatẽ meam. Age uanum ſit & ipſa uanitate uanius. Vento ſeu rapidis potius fluuijs ipſa etiam rei nunciatæ memoria tradatur. Literæ principis ad me, a te extortę, aulicæ ſunt. Subodoraris id, quod res eſt. Sin minus dicam clarius. Nihil differunt a literis, quarum mul-

tos co

tos cophinos annuatim Aulæ effundunt. Nihil hic ſpei, ſalutis, auxilij, conſilij. Attamen DEO gratia, qui per te mihi bene uult, & ea erga me facit, quæ per alium neminẽ, & te in amorem mei excitauit, meamq; calamitatem te agnoſcere fecit. Ei ſit gloria, honor, decus in omnia ſæcula. Gaudeo Hypodegmata mea ad te tandem peruenisſe, Cõfutationem item, quam tibi probari, uehementer gaudeo. Vellem ea ad me reuolaret, ubi lecta Truchſeſſio fuerit. Nam eam typis ueſtris propagatum iri deſpero. Tu promittis, et ſpem diuitẽ ſedulo amiceque injicis, ſed ſecus euenit, te licet nolẽte adeoq; dolente. Typographorũ perfidia lambis aliquando iuſtis mihi agitabitur. Cauſantur ædictum, ne quid noui excudatur, et neſcio quas hęreſes. At ego quid noui ſcripſi, quod ædi cupiam? Nouum ne eſt, docere cũ fide facta? Nouum ne eſt, Apologia uera ſeſe tutari contra aduerſarios? Eſt hęreſis, trecentis pene ſcripturæ locis aſſerere Catholicum de iuſtificatione dogma? Eſt hęreſis colligere geſta ſanctorum, idq; non e libris humanis ſed diuinis? Eſt hæreſis hæreticum Cocum confutare? Non poteſt notam hæreſeos effugere, qui e caſtris Lutheriſtarum, in Eccleſiam refugit? At illud male urere nõ deſijt Metaphyſicos quoſdam (typographorũ iſtorum conſiliarios) quod non laudo quæcunq; ipſi in Eccleſiam DEI, quacunq; occaſione inuexerunt. Car

po ſtercora

po ſtercora Eccleſiæ, & hæc Synodi autoritate aue-
cta peropto. Talibus magiſtris Lutheranus eſt, qui-
cunq; etiam uel mutit in Eccleſię incõmoda. O pro-
hibe CHRISTE rex ne iſtis Areopagitis pręſidentib.
ſynodus tranſigatur. Nam ſtudẽt ſibi nõ CHRISTO.
Sua firmata quęrunt, non Eccleſiaſtica, uel emoriar.
Si res a ſolis Sophiſtis pendebit, perijmus, & actum
eſt de ſponſa domini. Iam de libellis Viennam tranſ-
portandis, neſcio quid dem conſilij. Vereor Vienne
fore, quod factum eſt Coloniæ. Et ſi maxime ad uo
tum cedat, quis importabit in hæc Heſſiæ uepreta
excriptos in Pannonia libellos? Quando legent ho-
ſtes Saxones, & inimici Thuringi? Vt taceam catho-
licos amicos, qui deſyderio uidendi nugamenti mei
permagno tenentur, & inter quos nonnulli uim mi
hi faciunt, efflagitatores improbiſſimi. Quare fidiſſ.
frater ſic facito: Si certo excudi illic poterunt, et facta
ſtipulatione ad nos uſq; reportari, haudquaq; recla-
mo conſilijs tuis. Sin utrumq; incertum, & res tota
in promittendo ſtabit, oro & obteſtor, ut ad manus
meas anuli tui ſymbolo cõſignata exemplaria reuer-
tantur. Spes bona eſt, quoſdam Heroes ſuis impen-
dijs aliqua ex his cudenda curaturos. N. ſcripſit mi-
hi, indigne ferens, diuites ſacerdotes non ferre ſuppe
tias diuulgãdis libris meis, Sed ſic comparatum eſt:
Pecuniam habent ad aleam, ſcorta, repotia, purpu-

ram: ad Rempubl. CHRISTI iuuandam nemo tres obulos habet. Placet Ecclesiam contra sectas defendi: at unica drachma negocium sanctum subleuare, ut nihil æque, displicet. Forsan sentiscunt Ecclesiam duntaxat defendi, non se. Imo se notari, quoties laudatur Ecclesia. Quæ scribis de Erasmo nostro mirũ in modum grata fuere. Perge eum uirum crebris literis ad opus officiumq; suum solicitare. Non dubitarim Pelagus sapientiæ uocare Erasmum, quam laudẽ magno Basilio Bessarion tribuit, et quod de Aristotele dixit Plinius, uir, inquiens, in omi sciẽtia summus Aristoteles, tale ego de Erasmo non inepte, nec falso dixero. Diplomata Monarcharum tua opera descripta accepi, legi, recreatus sum. CHRISTVS solus altissimus faxit, ut Concilium se dignum, in diebus nostris uocetur, & feliciter finiatur. Fœdus euangelicum non intrabit in Italiam, utpote parum amicam. Si ciuitas Italogermana deligeretur, quando mere Germana uix poterit, credo affuturos omnes. Tu Reipublicæ laboranti apud Rom. regem Ferdinand. non deeris. Itidem Ioan. Faber, qui intelligit nimirum utriusque partis commoda simul & incommoda, si quid legi in eius Malleo. Oratio tua de scriptoribus placuit. Audio Homiliariũ multis laudari. Mihi illud uidere nõdum contigit. Quæ de Canone Liturgiæ nostrę ædidisti, legi et quidem prompto

pto animo. Vale bene optime Nausæa, & scito Vuicelium tuum recordari omnium, quę se a te expectare iussisti. Fruar aliquando amicissima pollicitatiõe. Ora pro me ut liberer a Lutheranis in suo regno. Facchæ. xxix. Junij. Anno. M. D. XXXIII.

D. I. D. S. P.

ROGASTI QVID RERVM AGEREM ET quõ se haberet causa mea. Habeo gratiam tibi, qui hoc pacto & amoris in me tui & solicitudinis mea caussa susceptę documentum singulare præbueris. Pauper nunc amicorum sum, anteditiss. Numerare cum nouis ueteres quadraginta amplius solebam, nũc uix duo tresue mihi de tot superestis amici, Cætera fortunæ non mea turba fuit. Cur enim non utar eius poëtæ querimonia, qui cum eadem propemodum fortuna infelix utor? Non mentior Draco optime. Sunt, qui nolint etiam me nosse fateri, Quisq; sim, rogant, audito meo nomine. Næ ego istis annis experior Petrinę illius dissimulationis ingratiss. uocem: Non noui hominem. Qui mecum uellet currere primus erat N. sic em̃ significamus quẽ ueremur nominare, nunc ipse quoque cum cæteris, Quando contraxit uultum fortuna, recedit,

Auxilio postquam scit opus esse suo.

Sed oportet impleri Mysticam scripturam: Apud

omnes hoſtes meos factus ſum opprobrium & uici nis meis & timor notis meis, qui uidebant me in pla teis, fugiebant a me, obliuiõi traditus ſum quaſi mor tuus a corde: Factus ſum quaſi uas perditum &c̃. Rurſum alibi: Chari mei & amici mei quaſi contra le pram meam ſteterunt: & uicini mei longe ſteterunt. Capio quid ſit illud: Fratres mei præterierunt me ſi cut Torrens, qui raptim tranſit in conuallibus. Sed longum ualeant, qui cum fortuna terga dedere fu gæ. Te conſtanter amicum & eundem Dominũ re uerendum, unum pro mille, habeo. Hunc nihil pu det mei, Hic commiſeratur calamitatem meam, Hic non hiſcere modo de Vuicelio, uerum etiam palam ſciſcitari audet. Porro Regius uxorem, non me con uenit. Mallem ipſum met audiſſem. Res meæ in char tis fere ſunt. Cauſſa non peſſime habet. Habes ſum mam uir rebus omnibus ornatiſſ. Libellos aliquot ad æditionẽ conſcripſi, ſed inuidia diaboli repellun tur à follibus. Scripſi uero nõ celebrandi nominis cu pidine, non mei de Luthero ulciſcendi libidine, non lucri aucupandi amore, non dignitatum uenandarũ ſtudio, non fauoris a clero captandi deſyderio, non metu cæſaris, ſed conſcientiæ ſtimulo. Qui ſecus ſu ſpicatur, is errat. Vidi Sectam euadere, & in exitium ſui, & in ſubuerſionẽ Religionis noſtræ. Qui ex Ec cleſia uidebantur Religionem propugnare, non re

cto pede procedebant ad ueritatem Euangelij. Aut enim periculosius in dextram, aut propensius in sinistram ibatur: Hoc est, aut oppugnabāt uera uerisimiliaue, odio Sectę, aut uana defendebāt, sui suarumq; rerum conseruandarum studio. Appuli igitur animū ad iudicia cōtrouersorum. Quo fiebat, ut aliqua priuatim scriptitarem, ne excidērēt. Interim dum ueritatem uestigo, fiunt inimici amici Lutherani, genus hominum, quod scis, iritabile & quod ferre non potest uel unico lota dissentientem. Tandem ausus fui nonnihil scriptorum chalcographis committere, ut publicata lectorem perplexum fidelius atq; certius eò ducerent, quò omnes tendimus. Consultum cupiui tempori. Qui cōcordiam Ecclesiæ exoptat, is neutri parti nimium inhæreat necesse est. Verum de ratione scriptorum aliàs. Æditionem frustrantur typographi. Impendia poscūt posteaq̄ annum totum domi suæ detinuerunt mea autographa, contra fidē data tam. Si bene nummatus essem, omnia bene succederent. Aperit præla regina pecunia. Spectatur grauis ære papyrus, nō quid papyro illitum sit. Pacuuio cuiuis excudentur tricæ suę, si det: Ibis uero Homere foras, si sudori non addas rem. Metiuntur utilitate sola omnia omnes. Nulla ullibi recti honestiq; ratio. Equidem si Lutheranus scriberem, nihil foret prępedimenti. Scio a me, dato etiam munere, petituros ty-

pographos, q̃cunq; parerem, ſed catholicus fruſtra ſcribo, fruſtra clamo. Vẽdibile eſt quicquid Lutheranum eſt, in Lutherano nimirũ orbe, proiectũ ſitu diſperit, quicquid Eccleſiaſticũ eſt, ſiue id ſcripſerunt ueteres, ſiue recentiores. Hęc eſt conditio tẽporis huius. Tametſi aliquando prodituros ſpero, eos pręſertim libellos, quos nuper Lypſiam miſit Heros quidam & quos Doct. Nauſęa ſe Vienniam Pannonię delaturũ promiſit in proximis ſuis ad me literis. Ego nihil promitto, magis quippe conſyderans ſortẽ meam, q̃ plauſibus aliorum confidens. De cauſſa ſic accipe. Repudiato Lutheriſmo, ſeruiam Eccleſiæ, quæ me regenuit. Vocatus Iſlebium ꝓficiſcar, CHRISTO DEO fauente, cõcionator Euangelij Chriſtiani, non Lutherani. Inuigilabo, ut errantes animas in ouile ſuum reuocem, utq; uacillantes ſolidem uerbi certitudine. Cauebo anxius, ne incidam in retia ſemitis meis à Luderanis tenſa. Obſeruabunt os meũ auriti corycæi. Expectabunt conuitia. Non audient. Refellere atq; increpare modo animus eſt. Cum Gneſio Syzygo ac liberis puſillis cohabitare illic mihi permittetur. Ad faciendum ſacrum non indigar, ſi deſit animus. Salubritatem ceremoniarum multarum probo, & eas e cathedra ita tractabo, ut uoluptati quoque pio populo futuræ ſint. Sectę turpiſſima facies, iucundam fere facit Eccleſię faciem, licet alioqui non

uſq;

usq; adeo bonam, tolerabiliorẽ tamen. Neſciuimus antea Draco, quæ nunc etiam palpamus. Vale uir eruditiſſ. Et ne dubita ab ijs libere diſſentire, qui ſi quid ueri dicunt, Eccleſiæ eſt, ſi quid falſi, ſuum. Mutabilitas illa, ſi nihil aliud, propalam arguit, quo ſpiritu ferantur miſerandi dogmatiſtæ. Iterum uale. Facchæ. Iacobi. An. M. D. XXXIII.

VV. L. S. P.

ANTE SOLEBAM M. CICERONIS ET c. Plinij epiſtolas magna cum alacritate iuxta ac uoluptate legere, nimirũ literator, & non tam eloquẽtię Romanæ, q̃ exterarum rerum admirator: at nunc quando me ſupramundanis ſtudijs addixi, tuas epiſtolas Amicorum dulciſſime, ſi quas ad me aliquot menſium interuallo ſcribis, alacerrime lego & uoluptate ſumma. Ciceroniani aut Pliniani nihil tuis in literis requiro, tametſi illæ ne ab hac quidẽ felicitatula procul abſunt, ſed meras delitias Chriſtianæ, hoc eſt, noſtræ profeſſionis. Nec eſt in his aliud, quo minus exhilaror, quam quod nimium præ ſe ferunt puſillanimitatis. Homo chriſtiane eruditus & Euangelice doctus, & Apoſtolice inſtitutus, faciem hæreticorũ formides? Quaſi uero deſint ſacra Biblia tibi, quorum aſſidua lectione reddaris magnanimus, atq; fulciaris in gradu tuo, ne poſt hac ita

hac ita timorem eorum timeas. An non conſpicis ful gur ex uitro eſſe? Nubecula eſt cito trãſitura, aiebat Athanaſius in perſequutione Arianorum. Pro ma gno gaudio ducere debebas, quod male audis, nul la ob facinora turpia, ſed duntaxat quod nolis aſſen tire conſpirationibus Euangeliſtarum. Promittunt ſibi uictoriam de Eccleſia. Scio ſatis ac ſuper, ſed nõ credo. Nam ante leues paſcentur in æthere cerui, q̃ Schiſma uincat Eccleſiam, cuius tu tamen ſordes neq; probas neq; diſſimulas. Ipſe ſtatui corpus meũ, & quicquid a DEO rei hæreditariæ mihi obtigit, in cauſſam catholicam impendere. De mercede atq; co rona repoſita minime dubito. Sunt irati ſchiſmatici, ſed hos malo iratos, q̃ Catholicos. Fulmina taliũ de orum forti uiro extimeſcenda haudqua q̃ ſunt. Cir cumſtant me hoſtes uarij. A fronte ſuſtineo uiolenti am falſo dictorum Euangelicorum, a dextera male uolentiam quorundam pſeudocatholicorum, qui bus uidelicet maiori curę eſt quod ſuum eſt, q̃ quod eſt eccleſiæ. A leua moleſtat amicorum ſeductorum ira. A tergo Penia implacabiliter ſæuit in præſentia. Ipſum tempus omnia retegens ſuccurret laboranti mihi. Neq; enim dubitare debeo, quin ſecta interitu ra ſit, & corrigendi Catholici, & ira deniq; neceſſari orum ſopienda. Clementiſſ. IESVS faxit modo, ut Chriſtiano Synodo unitati puritatiq; ſuæ aliquan

do redda-

do reddatur afflictissima ecclesia. Plane mihi sic persuadeo: Si misericordia DEI Opt. Max. scandala ac uerrucas auferat de medio ecclesię, Lutherismus tanquam puluisculus hinc raptabitur. Habet nunc ille, quod disputãtibus nobis obijciat, tollatur hoc, & liquescet sicut cæra. Doles me a cathedris ociari. At quid facerem in hac tristissimorum temporum iniuria, et cacodæmonis summa inuidia? Catholice cõcionari nusquam licet. Vtraq; pars suum quærit, tam in doctrina, q̃ in uita. Liceat interim misero mihi, ea quærere, quæ sunt domini mei IESV CHRISTI, & quæ sunt ouium eius, quas Petrus pascẽdas suscepit. Non concionor populo, at ijs commentor, qui populo pręsunt in domino. Non seruio altari quidem, sed dum uacat inquiro ueritatem catholicam. Qui labor non uni ciuitatis parœtiæ, sed uniuerso fidelium cœtui olim profuturus est. Addat tantummodo sapientiam uiresq; e suo spiritu pater. Ais te audisse de refutatione. Scripta ea est intra plus minusue decem dies. Creuit opusculum præter opinionem in sedecim quaterniones. Materiam sic partitus sum, ut priore parte famam meã uindicem à Sycophanta mendacissimo, Posteriore uero ecclesiasticam doctrinam de bonis operibus. Ad ultimum scribis te demirari, cur malim pro Iusto Iodocum appellare Antagonistam. Primum non legi quenq̃ ueterum Iustum appellari,

pellari, nisi duntaxat cognomine. Sic em̃ legis apud Eusebium, Aristides cognomẽto Iustus. Et Iacobus Iustus cognomine, idq; uirtutũ merito. Sic in Chronicis Eusebij lego Simon Iustus, qui nimirum pontifex erat tempore Macchabæorum. Plura exempla ostendet Confutatio. Celebre fuit olim uiros laudatissimos talibus epithetis honorari, quæ post in cognomina uersa esse suspicor. Æneas Vergilio Pius dicitur. Anthonius Imperator publico cognomine Pius uocabatur. Legimus & Guillidinum Aquitaniæ ducem, Pium uocari solitum, Et in Chron. Palmerij legitur Carolus cognomẽto Simplex. Eodem more Otto Imp. cognominabatur Humilis. Inde hę appellationes: Æmilius Probus, Cornel. Celsus. &c̃ Sic legimus de Iacobo Nisibenæ urbis Persarũ Episcopo, qui uocabatur cognomento sapiens. Et Georgius Episco. defensor Capnianę caussæ, Benignus cognominabatur. Ouidius in Ponto de quodam scribit: dictus cognomine Largus. Regibus Ægypti & Syriæ uaria erant cognomina, alius cognominabatur Soter, id est, seruator: alius Euergetes, id est, benefactor: alius Epiphanes seu illustris, neq; tamen minus suum quisq; propriũ nomẽ habebat. Quem ad modum opinor priscos illos episcopos et martyres, quos nobis Agiologia exhibent, Iusti nomine, præter hoc cognominis, nomen peculiare habuisse, sed co-

sed cognomen quod sit familiarius, pro certo nomine fuisse uulgo usurpatum. Atq; eo legimus Iustum Episcop. Hierosoly. & Iustum Episcopum Lugdunensem, et matrem Clementis primi Iustam &c̄. Sed non reluctabor usq; adeo. Fingo reperiri posse hominem, qui e lauacro prodierit nomine Iustinianus, & is habeat filium Iustinū, qui & ipse postea ex uxore susceperit filium, cui nomen Iustus, et filiam cui nomen indiderit Iustina. Quid hoc ad Iodocum? Num in Baptismo sortitus est nomen Iusti, & non potius Iodoci? Si a Baptismo Iustus maternis cunis est redditus, age, uocetur nomine isto. Sed Iodocus redijt ad ubera puerperę, quare igitur hoc damnato nomine, quod baptizatus accepit, & semper habuit, nunc prælegit aliud? An quia idem nomen est Iodocus & Iustus? Quis uero est tam demens, ut non cognoscat Dis dia pason dissentire duo hæc nomina? Legitur Iodocus regis Britonum filius, qui delectabatur peregrinatione, sed non legitur quod idem sit appellatus Iustus. E diuerso legit̄ Iustus Episcopus, sed non legitur, quod idem sit uocatus Iodocus. Atqui dices Vulgata appellatio fecit illi Theologo nomen nouum, Nam quum uocaretur Iost siue Iust, intelligebat congruere Iusto. Igitur qui uocatur a Germanis Faust, id est, pugnus, illi congruit Faustus? Aut si qs appellaretur Nar, appellandus sit Narcissus? Si secū-

dum germanicam linguam nomina mutanda ſunt, li cebit mihi Elſam ducere atq; dicere ab Eliſa Vergi lij poëtæ, & non ab Elizabeth ſacræ ſcripturæ. Ipſe ea ratione uocabor Gorgo, quo nomine quidã La con appellabatur, aut ex Platone Gorgias (quæ no mina germanico Görg uiciniora ſunt) & non Ge orgius ab equite Chriſtiano. Qua arte mulier Gele dicta, poſt hac non uocabitur Gertrudis, Eccleſiaſti co quippe nomine, ſed Gellia, quod nomen fuit ami cæ Martialis. Et quæ nominatur a Germanis Lene, non a Magdalena, ſed a Leæna meretrice Athenien ſium appellanda eſt. Vides ſtultitiam ambitioſe mu tati nominis. Sed iſti homines ita ſolent, cum uetera religione, uetera ſua nomina demutare, ut impleant ſcripturam: Ecce noua facio omnia. In cognomine ci tius defendi poſſit ludicra mutatio, ut ſi quis Cottas cognominet, quos uulgo uocant Die Cotten/ & e Nauſęa facias nauſicam. Euritium pro Henrico, Va lerium pro Valentino, non agnoſco. Deſinam tibi nugari de nomiue Iuſti, ſi unum illud adiecero: Nem pe ut phas non eſt nomina in Baptiſmo indita Chri ſtianis mutare, ita hoc auſu arguitur, non mediocris hominis leuitas. Hanc uero leuitatem diluet, ſi ita ui xerit, ut uel merito fidei uel merito uirtutum Iuſtus dici iure poſſit. Vtinam queam illum Iuſtum dicere. Certe iuſtitiam ſuam erga me non oſtendit. Meram

Iniuſtitiam

Iniuſtitiam atque uiolentiam in iſto Iuſto expertus ſum. Iuſtus DEVS iniuriam ulciſcetur. Ad cętera quę commemoras, fortaſſe coram reſpondebo. Vale. Facchæ. Vigeſimoquarto Iulij. An. M. D. XXXIII.

I. L. S. P.

SPERO TE INCOLVMEM AD INCOLVmes, uxorem, liberos & herum tuum rediiſſe. Nos ualemus utcunq;, ſi ſit unde uictitaremus. Fuit quidē hactenus, ſed in fundo nunc res hæret. Verecundia natiua nō ſinit me cōqueri apud alios, alioqui non defuturos credo, quorum benignitate ſubleuarer. Certe a nullo mortaliū uel aſſem gratis cupio. Nec quid aliud magis pugnat cum animo meo, quam aut donatum, aut mutuum quippiam a quoquam accipere. Nam eſt, unde merere quęam, quantum fames, ſitis & frigora poſcunt, ſi tempus non ita ferreum, & inclemens eſſet. Accepi dote: (iacto datorem DEVM) quibus, ſi liceat, parare ſplendorem etiam domus meæ, nedum Farinulam, & concham ſalis puri poſſim. Sed quid facias infelicitati iſtorum annorum, in quibus nemo noſtri ordinis non expers & honoris & rei familiaris eſt, niſi qui conſcientiam de ſepi ſuſpenderit? Duram igitur pauperiem, frangam patientia, & feram egeſtatem ſpe melioris ſortis, fortaſſe ſic conducet negocio ſalu

 tis. Nec

tis. Nec facultas esset mihi philosophandi in Christianis literis, si haberem pro Penia domesticum Plutum. Pueri non temere dicunt: Plenus uenter nõ studet libenter. Macilentia Cynica, atque adeo Hieronymiana, Theologiæ aptior est, quam pontificalis Lutheranaq; pinguedo, & rubentes buccæ. Sed satis risisti. Euolue te e Lutherismo, quauis potes arte. Videre enim fere cœpisti, quale prædicet Euangelion. Verum est quidem illud ex Iuuenali cõtortum: Qualiacunq; uoles Sophistæ somnia uendunt. At propterea non excusabitur noua hæresis. Non cogo, inuitõ tantum. Imò me inuito quidem inuitum. Nec dira minitor, si nõ redeas ad ecclesiam tuam matrem. Amare te non desinam ob multa, etiam si consenescas in hęresi, uelut ad scopulos Syrenarum. Trahit Saxonica Syren mira suauitate uocis, Nolim uero ego attractos eos, quos habeo pro dimidio animæ meæ. Ferunt unam̃ e tribus Leucosiam dictam, nimirum ab albedine, hanc sentio, ab hac auoco, si qui me audiunt. Vale. xxiiij. Maij.

Anno

M. D. XXXIII.

Epistolarum

EPISTOLARVM

GEORGII VVICELII AD FRATRES,

LIBER TERTIVS.

D. F. N. S. P.

AVDIES, SI NESCIS, EX CLAriſſ. atq; generoſiſſ. Comite, ubi degam præco uerbi ueritatis. Hic meus eſt finis, decretum, mensq; labor, que. Agnos eripiam uoce ſtyloq; lupis. In patria ad infinitum creuit maleuolentia Schiſmatis, adeo ut expectanda mihi fuerit impacta manus. Princeps terrificum mandatum illuc miſit, quo edicebat, ut aut Lutherizarem, aut abirem. Non diu poſt abiui, in fide Verbi: Domini eſt terra & plenitudo eius. Dixi domino: Tibi uindicta, Tu retribues. Iſta autem demigratio plurimis ac uariis tunſionibus præſſurisue aëreorum ſpirituum, Satanicarum remorarum, nolentium, diffidentium, reſiſtentium hominum quaſſata eſt, uix credas ſuauiſſ. Nauſæa. Si hoc pacto uetus Adam ad ſacrificium non crucifigitur, neſcio quo alio poſſit. Comperio reuera, quod ille olim dixit: Non honori ſed pœnæ eſt,

næ est, catholicum esse. Nesciebam cruces Ecclesiæ. Nunc baiulo, sed dextera DEI, non Simonis Cyrenæi suffultus. Nunc glorior in Cruce domini mei, et in infirmitatibus meis. Sectam ita fugi, ut qui prunas fugiens, incidat in flammas. In patria ceciderunt in me folia, in hac Hercinia, arbores. Huc demigraui. Quò ais? In medium fornacem septuplum accensæ hæreseos. Hic ardet, hic flammat, hic amburit omnia Lutherus. Hoc regnum, hæc planities est nouorum Euangelistarum. Faccha allatrarũt canes, hic lupi rapiũt. A primo die, quo intraui Islebium, sustineo in hanc usq; horam omium ciuium suspitiones, odia, maledicta, imprecatiões, risus, uituperia, scommata, festiuitates, nihil reputo. Sunt eiusmodi nobis, & publice cõmunia, & priuatim. Vicinia omnis inimica est, & habet ædes meas sicut apellæ Iudæi. Opifices refugiunt, si cuius operam desydero. Præcones, æditui, lectores, pueri Lutheri, egregie in me ludunt. Ipsæ etiam mulierculæ amant de nouo parocho belle garrire. Nulla harum tam abiecta est, quæ non audeat dentem genuinum mihi incutere, ut hypocritæ, aduersario DEI, & insidiatori Euangelij. Audio dæmoniacus, nõ dico, melancholicus. Tametsi Phauorinus apud Au. Gellium Μελαγχολίαν non paruis abiectisq; ingenijs accidere affirmet, sed eam affectionem Heroïcam esse πάθος τουτο ἡρωικὸν, & ueritates

ritates fortiter dicere. Video me nihil esse contemptius inter hos sectarum greges. Scio omne genus hæresiarcharum anteferri mihi. Ego is sum, ad cuius nomen memoriamq; quidam expuant, adeo habeor persecutor CHRISTI, hostis Ecclesiæ, negator euangelij. Nunc dulcior est facta Saxonica persuasio, posteaq; ueni tollendis erroribus. Nunc impotentius sectantur suos istos apostolos, posteaq; ego hic os in domino aperui. Hæc hactenus. Pergito mi Nausæa me miserum benignitate & singulari amore complecti, & tueri antiquam Theologiam, cuius professionis me non pudet, ac cuius gratia male audio inter Schismaticos, & cacolycos, aduersum Metaphysicos quosdam, neminē nomino, literarum ac linguarum iuratos hostes. Ro. Regem diligenter solicitato, ut adsit laboranti Christianismo. Silet Synodus, quæ paulo ante maximo atq; lætiss. rumore omnes regiones peruagabatur. Qui fit Nausęa? Proh hominum fidem, si nulla est futura Synodus. Ne committite, ō capita, ne committite, ut nationes Christianæ miserabilius querantur, quam questę hactenus sunt, aut periculosius exacerbentur q̄ acerbatæ sunt. Tria hæc satan renititur. Mundus obsistit, caro reclamat, ne purgetur domus DEI. Non ferimus stabulum fimo sorditatum, & ferre possumus per tot iam sæcula, tot modis sordidatum templum domini. Volun-

tas DEI & Cæsaris est, ut CHRISTO dignum Concilium cogatur. At uoluntas est diaboli & perditarum animarum, ut nihil omnium corrigatur, sed ut omnia ad exitium Christiani nominis delabantur, dum modo gloria duret incolumis, & uentri bene sit. Vale in CHRISTO IESV domino nostro, cuius ministerium syncerus adimple. Gaudebo in tribulationibus meis, si rescripseris multa, uaria, læta. Vale. Islebij. Sexto Octobris. Anno. M. D. XXXIII.

VV. L. S. P.

MITTO TIBI NEPOTEM MEVM, SEV alterum potius germanum Ioannem. Hūc tu susci pe, tracta, castiga, custodi, quemadmodum te facturum confido. Quod ad causam meam attinet usurpo mihi illud Ouidij:

Hostibus in medijs interq; pericula uersor,

& Dauidicum hoc: Funes extenderunt mihi in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Præterea Pauli uoces: Laboro, at non destituor. Affligor, at non deseror. Deijcior, at non pereo. Nihil in me longe afflictissimum non tentant Megæra & Meduſa. Vtranque nosti pestem. Mirabor, si contingat obdurare. Aduena sum, solus & pauper: ideo citius opprimendum ducunt. Si perpenderent prouidentiam eius, cui est cura de me, & quod ille ipse qui custodit

ſtodit Iſraël neq; dormitet neque dormiat, modera-
rentur ſæuitiam. σκληρόμ, crede mihi, πάντι τῶ σχίσματι πρὸς κέντρα λακτίζαμ, Euangelio cedo, hęreſi non cedo. Vale, Et uiue memor tribunalis CHRISTI. Iſlebij. Omnium ſanct. An. M. D. XXXIII.

D. C. R. S. P.

IAM PRIDEM EXPECTO TE EXCEptorem noui hoſpitis, poſteaq; eò uiciniæ conceſſi: ſed ſilent omnia. At ego te ſaluta-re prior ſtatui hoſpes, ut inquilinum uellicem. Com migraui uero huc, ut Martiales Euangeliſtas μετὰ παῤῥησίας πάσης arguam, atq; credulam turbam, ſi fieri queat, ſaniori doctrinæ reſtituam. Id q̃d dũ cœpi fa-cere, ſtruxit inſidias calumnia, &, qui eſt ei plurimus mos, declamantem me de Remiſſione peccatorum il laqueare adniſa eſt. Quæ res in litem laborioſam pe-ne creuit. Sed indies magis magiſq; detegitur fucus aduerſariæ partis, ita ut ſpes ſit conſopitum iri lu-dum nõ iucundiſſimum. Propoſuerunt mihi uarijs technis palinodiam, quam iure recuſans omni con-uitiorũ genere ſubruor. Extat mihi à CHRISTO uis, unde intolerabilia tolerem. Nam tu nõdum cogno-ſti, quale uirus iſtud euangelion alat. Profecto fieri non poſſet, ut peſtilentiſſ. Secta diutius ſtet, niſi eius Reformationem impediret fœda curiæ Romanæ fa-

cies. Non flectetur iuste iratus DEVS, ut extendat manum suam in schisma, nisi nos meliores, ac nostra synceriora uiderit. Me frustra enecat solicitudo domini cæ sponsæ, frustra arrodit pectus meum Templi sancti nõ ualde probata sanctimonia, nõ admodum laudatus decor. Sed rursum recreat spes synodi, pro qua acceleranda hoc diligentius publicitus precandum moneo, quanto despectius est, in ea ciuitate de Concilio hiscere. Viderint Monarchæ, uideritis doctores, qui a monarchis consulimini. Meus gemitus me excusat. Vale Islebij, quarto Decembris. Anno. M. D. XXXIII.

D. P. N. S. P.

CHARISSIME HOMO, NON PROMERVI, ut literas ad me tã dulces mitteres. Video uiros exoriri, qui tenuitati meę undiquaq; & candide faueant, & bene precentur. Sed certabo ego cũ meis amatoribus. Mirũ ni amando uincam, qs scribendo æquare nequeã. Inaudis forsan uir erudite, primitias belli nostri. Milites impigri sunt, nec ijdẽ inermes, sed sine DEO. Labia insurgẽtium mihi, et meditationes eorũ aduersum me tota die. Cõiuratio prophetarum in medio nostrũ, sicut leo rugiens capiensq; prædam, animas deuorãt: Os impij & dolosi contra me apertum est. Loquuntur de me mendacia. Verbis odij circũdederunt me, ac expugnauerunt me

runt me gratis. Sed dominus DEVS faciet mecum, secundum nomen suum, & quando bona est misericordia eius, liberabit me. Quoniam egenus & pauper sum, & cor meum uulneratum est intrinsecus. Res est Philippe, non parua. Faciunt me Nouatum, eo quod non feram istos Remissionarios, qui cõtra CHRISTVM Ecclesiæ prȩsident. Mihi nihil cum Nouato, sed cum ueteri Ecclesia nihil non. Trado doctrinam pœnitentiæ, & audio Antichristus. Dico, non sufficere fidem ad remissionem peccatorum ijs, qui neq; DEVM timent, neq; homines uerentur, & audio Negator DEI, & concacator sanguinis CHRISTI, & blasphemum os. Tanti periculi est, Ecclesiæ doctrinam confiteri. Non cõcionor scholastica, non monastica, non fabulas, non nugas, nec mihi tamen a male feriatis istis atq; nugacissimis linguaculis pax est. Nuper conati sunt uiolentia me euertere, missis accusatoribus ad Heroëm, qui dicerent existere testes auditæ blasphemiæ. Comes eos pro sapiẽtia sua abegit, ut, quales erant, & suspectos accusatores & falsos testes. Res dolo geritᷣ. Assunt filij Beliaal contra Nabathum testaturi, quales habere oportuit & CHRISTVM seruatorem, & Stephanum huius protomartyrem. Bella est retectio istius doli, testimoniorum diuersitas. Alius enim aliud affert. Hic me uidit ὑπὸ σχίνου, ille uero ὑπὸ πεύκου. DEO gratia, qui hoc

pacto aperit mendacia sibi non constantia. Vale. Me ama, defende, doce. Islebij, quarto Decembris. An. M. D. XXXIII.

D. I. C. S. P.

SERIVS RESPONDEO VIR OPTIME, sed respondeo tamen. Moleste fers Herci nium ecclesiastam Vuicelium, malles illum esse in Ausonia, in Austria, nostri isti mallent in ulti ma Britannia seu potius in naui Charõtis. Agnosco amorem, quo me immeritum complecteris, sed face re quod consulis quî possum? Gualterus homo mei pręter meritũ & ipse studiosus aliò uocat, imò pro pe trahit. Sed rebus ex omni parte perpensis, utilius Reipubl. Christianæ (cui me seruum dedi) fore iudi co, si, dum licet, diutius mea præsentia Misergos tor queam. Ocium, pacem, lauticiam in his infelicibus annis non expecto. Athleta CHRISTI seruatoris mei esse gaudeo. Noui uoluntatem eius. Tu, quod po tes, solicita ut coëat Concilium, sin minus coëat, ue ni tu domine IESV & affer consummationem sęculi. Vale, ora pro me. Hodie supremam manum addidi opusculo Erasmi de Concordia Ecclesiæ, cuius bo nam partem germanice uerti. Iterum uale pijssime uir. Islebij. Luciæ. Anno M. D. XXXIII.

Mirabor

D. C. R. S. P.

MIRABOR SI SIC SVI DISSIMILIS ESSE pergeret amicus tantus. Sed morã non longissimam diuite nũcio sarsisti, & me tibi de integro deuinxisti. Ciuitas DEI gratissima est, mallẽ pro Marone isto Scholiastam Erasmum, sed tamen exosculor, quod precato missum est. Varia scribis, meo animo iucunda: Modo cures, ut Ecclesia laborans tuam opem aliquando sentiat. Siles, at uocalis futurus, ubi tempus loquendi aduenerit. Hortaris me ad palestram. O luctam luctificam. Multi canes unum me inclementer lacerant. Sed satius existimo ea de Tragœdia tacere, q̃ paucis dicere. Quo sit eruptурum malum, haud scio. Fremunt, dissecantur cordibus, frendent dentibus, continent aures, ora maledica aperiunt Globi isti. Ego autem tanq̃ surdus nõ audio, & sicut mutus non aperio os meum. Humiliat me DEVS, qui est ante sæcula, ut discam iustificationes eius. Expecto salutare tuum IESV domine. Vale chariss. hominum, & sicubi potes, iuua. Islebij Innocentum. An. M. D. XXXIII.

R. E. I. F. D. D. S. P.

VOLVIT AVVNCVLVS T. C. GVALTERUS ἐυσχήμων Ϭυλευτὴς, ut inter negocia literaria multis unam succisiuam horulam sufurarer,

furarer, qua T. C. per literas qualescunq; mihi aliqua ex parte, si non deuincirem, saltem demererer. Non soleo uero, quippe homo umbraticæ seu eremiticæ potius uitæ auidulus, atq; adeo, ut ingenue dicam, ἀγχότερος aulæ terere limina, multo minus conuenire Heroës, splendore, & amplitudine regia præminentes: Verũ quum cõsydero fortunam pietati tuæ manus nõ iniecisse, nec honore mutatos mores, sed theologicum uereq; masculum animum inter tot strepitus ac pompas perdurare, facile adducor, ut T. C. ea reuerentia, qua par est, salutem. Neq; uero est, ut hic caussam meam, quam cum orthodoxis in his regionibus communem habeo, agere libeat, quando nihil odiosius, q̃ suis de rebus apud alios colloqui, id quod & Epictetus admonuisse legitur. Aliunde forsan de omnibus certior reddetur T. C. Illud percupiam dũtaxat, ne quid uanum rumore ad credulas aures deferatur, ut est hæc tempestas falsi, q̃ ueri cupidior narratrix. Magis attinet, ut à C. T. audiam quid rerum ipsa agitet inter hæc periculosiss. atq; funestiss. dissidia. Quod meum desyderium haud grauatim feret pietas tua, æquissime uero latura, si tam perspectum haberet, q̃ uellem, quanto amore ecclesiastica rum rerum tenear. Amor ille, quem indubie tecum, cumq; tot bonorum uirorum millibus communem habeo, incipit me nunc audaciorem facere, & confi-

dentius

dentius scribendi autor fit. Quiescitis ecclesię capita, non enim dicam cessatis. Secta Saxonica magis magisq; subrigitur, ut iam propemodum caput inter nubila condat, & proterat sub pedibus Antiquitatem & dentibus ferreis omnia comminuat, quæcūq; se genitrice nata non sunt. Rem nulla oratione ualeam explicare doctissime Antistes. Furit, sæuit, ferocit, rabit, si unq̄ aliās. Quicquid est Ecclesiasticū, miserandis modis infamat. Sed desinam queri, cū nondum cœpi, malēs tacere, q̄ de malo tanto pauca scribere. Cæterum nisi in finem irascitur dominus, agite uos, succurrite inclinatis rebus, quotquot dotibus benigni DEI & dignitate publica polletis. Facta est spes Concilij, animi mortalium omniū suspensi sunt, fiunt gemitus, audiuntur uoces illæ: Quando, ubi? Quid agetur? Miscentur gaudia fletibus, nonnunq̄ exaudiuntur post inutilia desyderia non bonæ imprecationes. Negocium summū T. C. & cæteris Christianismi rectoribus incumbit, ut mirer, quomodo noctem solidam, quomodo in utramuis aurem dormire possitis Nauarchæ, per uos stat, quo minus sedētur fluctus immanis sectæ, & restituatur sua facies Ecclesiæ, sponsæ CHRISTI IESV. Nam is pastorum princeps & animarum episcopus à uobis hoc ipsum factitari uult, iubetq;, ne, uobis excubantibus, grex totus à caula abactus, pereat. T. C. plurimum, ut au-

dio,apud Imp. Carolum,& Ro. Regem Ferdinandum ualet, quod par fratrum, CHRISTO IESV auſpice, & huius ſpiritu duce, quid obſecro tanta in re non poſſit? Hos igitur T. C. ad officium ô plusq̃ orbi Chriſtiano peroptatum,efficaci eloquentia incendat,ne neglectũ uirus ſerpat, in ultimos etiam fines Chriſtianæ Europæ. Facite ô columina dominicæ domus,ut eam a quibuſdam, nec ijs paucis incommodis,ad priſtinæ pulchritudinis ſpeciem reparatã, & a Sectis liberatam,ſeu potius ſectas in hanc reuerſas,poſt tot dolores animarum noſtrarum, lętis oculis uideamus.En libertatem amoris Eccleſiæ,& fiduciam quam mihi præbuit pietatis tuę Malleus,uiſus magis licet,q̃ lectus. Dominus T.C.ad antiquorũ epiſcoporum imitationem, ductam conſeruet. Amen. Saluta per occaſionem meis uerbis Eraſmum Rote. Opto Regiæ Maieſt. omnia proſperrima. Iſlebij, decimo Ianuarij. An. M. D. XXXIIII.

M. I. E. S. P.

IVCVNDA MIHI QVIDEM FVIT TVA Epiſtola, ſed iucundior animus. Mirabar ubi locorum ageres, poſteaq̃ Merſenburgum reliqueras,a quo diſceſſiſſe te,ægre fero,& fortaſſis non abs re. Solicite mones uir optime,ne uitato Lutheriſmo ceu charybdi aliqua, in ſcyllam Papatus

patus deferar. Laudas Lutherismon contemptum, in hoc mecum facis. Auocas a Catholico, in hoc aut tu erras qui auoces, aut ego erro, qui auocari nolim. Si me patiar hinc auocari, seu retrahi potius, sectis rursum præda ero, aut ipse protæretistes aliqs fiam. Contuli me in uetus Ecclesiæ consortiū, quod si papismus, si Romanensis, si satanæ Ecclesia est, illi uiderint, unde hæc conuitia primum orta sunt. Ego papismon tam non noui, q̄ noui Ecclesiam. Et hanc tam amo, q̄ sectas odi, quæ speciem pietatis habēt, in pra uis dogmatibus. Tam amo inquam ecclesiam DEI, q̄ abominor sordes huius. Nescis frater, ah si scires cor meum: Nam nullis ego uerbis effari possum, quod premo, quodq; mecum uoluo. Priscæ matris Zelus me comedit, & quod possum hanc precationibus gemituosis die nocteq; desydero. Hāc calamo, hanc ore confiteor, adq; huius desyderium alios inflammo. Amplius qd faciam? Si Monarcha essem, si pars futuræ Synodi, in restauratione antiquæ pulchritudinis non deesse CHRISTO uellem, sed huius mei desyderij gratia sectæ roborari non possunt, quæ, si qd sani habent, non improbarim. Ab Ecclesia interim, & ueteri & traduce ueteris, propter malos sacerdotes & Monachos, propter uitia quorundam cultorū, propter somnia scholarū discedere non possum. Mala Ecclesiæ mihi non nocent, ego contra illi pro-

ſum, & mea præſentia nonnihil macularum deter/go. Patronus nullius mali ſum, multo minus ullius erroris aut author aut defenſor. Nouit is qui corda probat, & ipſum tempus, ſi quid iniuſti molior, in apricum proferet. Cæterum gaudeo Ægranum Catholice ſentire de articulo religionis noſtræ ſummo. Macte huius inſtituti eſſe uir DEI, perge aduerſari hæreticis Monȝs. Si quid huius gratia pateris, habes compatientem filium DEI, ultorem iniurię, quantumuis lõganimum. Perfer & obdura dolor hic tibi proderit olim. Iam uero q̃ mea firma atq; ſolida ſententia de Iuſtificatione ſit, nuper Lipſiæ ædito libello leges. Eum tibi inde compares uelim. Ab hac uero, tua nõ longe diſcrepat, modo ex fonte ipſo noris, quid Græcis ſit δικαιόω. Quid? Idem ſentimus per omnia, ſi ſchedula, quam una mittis, e tuo corde ſcripta eſt, Nec aliter ſentit Eccleſia, CHRISTO ſit laus. Quod ſcribis de chalcographia ueriſſ. eſſe cõperio. At ego quid facerẽ Ægrane? Multis impendȝs ęgre mei labores excuduntur. Quare in hoc negocio te iuuare, tam nõ poſſum, q̃ libenter uellem. Ioachimicos Cræſos exora, ut illi in cauſſa tã bona tibi conſulant. Plura ſcribere non ſinit uector, cui niſi has ad te literas dem, nulli dedero. Vale, IESVS bonus Magiſter te uetus Euangelium plene doceat. Amen. Iſlebij. Anthonij. An. M. D. XXXIIII.

Excetra

T. à B. S. P.

EXCETRA APVD ALBIM DE NOVO nos infestare cœpit, inquieta ac cruenta bestia. Rogas qd rei sit? Iodocus Cocus pseudoionas euomuit in me tot portenta conuiciorum, tot monstra mendaciorum, tot prodigia uituperiorum, ut nemo omnium possit plura. Nō sat habuit, quod me anno superiore latino libello ad summum laceraret, ni teutonice quoq; apud omnem multitudinem fœdiss. modis conspurcaret. Vnus scribit, sed per unum illum tota hæresis, tota in me furiosa, tota rabiosa, sentiens nimirum, meis uigiliolis nōnihil ipsi decedere. Cæterum ego si maxime iniuriā summam perferre queam, quid commeruit Ecclesia catholica, cuius belua ista, libro isto omnem ueritatem & fundamentum labefactare nititur? Nam de professo scribit contra Ecclesiam, & hoc præ se fert titulus. Ecclesiam satanicam facit, si unq̄ aliās. Sectam uero suam CHRISTO uendicat, sponsam unicam. Est res prodigiose mala, & quę perterrefacere possit eum, qui animo fluctuet. Sed CHRISTO DEO laus, apud nos irrita sunt hæc iacula. Tu uero homo genere, sapiētia, ac eruditione nobilis, quid ea in re mihi agundū censes? Indignum me habent, cui respondeant, nec respondent, sed cōuiciantur, sed rident, sed maculant, sed mēdacijs palpabilibus onerant. Habeam & ego

illos indignos, quibus cum agam? Non opinor censebis, maxime quando tanta crudelitate Ecclesiã impetunt. Asserere potero, CHRISTO auspice, Ecclesiam a sectæ impietate, & contortas scripturas excutere. Iam quod ad meam famam attinet, potero omẽm istam infamationẽ, & turpissima mendacia uero responso diluere, & mendaces palam facere hostes DEI & Ecclesiæ immanissimos. Hęc Ciuitas nunc triumphat, nunc exultat in afflictione mea: ubi est deus suus? ueniet & liberet eum? Iacet Vuicelius cum tota papistarum cohorte uictus, excussus est ensis e manu siculni bellatoris. Quare si uidetur, colligam uires & copias aduersum impugnantes me frustra, inuocata dextera DEI, ualida præsentiq;, omnibus fiduciam in ipsa locantibus. Legens librum Coci, adeo blasphemijs scatẽtem, iurabis Mahometam ædidisse. Vale. Islebij, Vigesimo Maij. An. M. D. XXXIIII.

M. H. V. S. P.

LEGI LITERAS TVAS NON SINE VOluptate. Gaudeo te uir optime a me minime diuulsum in ista atroci perturbatione. Idem mihi polliceor de doctore Clingo et magistro Eutycho. Vix obduro in tanta pressura. Nemo me uno execrabilius περικάθαρμα in istis finibus. Si rogites caussam, tueor sanctissima quæq;. Vos me luctantẽ cum

cum beluis, adiuuate precibus apud patrem misericordiæ. Ionicum uirus forte uidisti, dicas hominem spiritu sancto rapi. Hac septimana accingar ad responsiones. Mitto Guilhelmo scribæ libros, quod petebas. Eundem cum cæteris fraterne saluta. Vale per IESVM. Islebij, Vigesimotertio Maij. Anno. M. D. XXXIIII.

D. C. R. S. P.

EXPECTO A TE DOCTISSIME N. PAracleticas, id est, tales literas, quibus me nõ tam soleris in tribulatione mea, q̃ exhorteris ad negocium fortius obeundum. Luctor cum robustissimo schismate. Vtinam id perficiam cum fructu plurimo, offendiculo nullo. Nũcius poscit chartam. Mitto quæ rideas, delyramenta. Omnis sum in hoc ut retundam istius Coci, siue Caci potius, uenenata iacula, que homo nequam emisit in Ecclesiæ ueritatem & famæ meæ integritatem. De syzygo nihil labores, multo minus de Liturgia. Vtinã me castiores essent, qui bonum meum calumniantur. Scortatores, masculorũ concubitores, molles, adulteri, uirginum stupratores sacerdotes me oderũt gratis. Vlciscetur hoc iustitia DEI. Liturgiam ipse sum facturus, ubi me extricauero e tot molestissimis occupationibus, in quas me Ecclesię solicitudo coniecit. Vtinam uero

nam uero ita tractaretur hoc sacrum, ut neq; DEVM offenderemus, neq; nobis ipsis iudicium accersere/mus. Comperio hoc ita tractari a conductitijs sacer/dotibus ac simulatoribus quibusdam, idq; tãto suo malo (siquidem ipsi eò carnaliores redduntur, quò magis sunt quotidiani) ut propemodum ab obser/uatione tali abhorream. Qui nos imperiosius eo im/pellũt, nescio qd citius facturi sint, atq; illud ipsum, cuius efflagitatione nos enecant. Spero me in myste rio pie litaturum, tanquam in conspectu DEI. Vale opt. Ora pro me. Islebij, Vigesimonono Maij. An/no M. D. XXXIIII.

S. Q. S. P

PRECOR TIBI SALVTEM A DOMINO. Filij Ecclesię sese mutuum consolari ac con firmare debent, non tam uisibilium hosti/um, q̃ eius spiritus gratia, qui nunc in aëre dominãs, corda mortalium nephandis modis seducit. Si tuo animo, Frater, testimonium præbet bonus spiritus, quod in ueritate ambules, adde idem ualida solatia, ut est paracletus spiritus. Huc syncere catholici spe/ctemus, ut non nobis, sed nomini DEI seruiatur. Ita loquamur coram populo, tanq̃ coram CHRISTO, cui sumus reddituri rationem. Sectæ molestias ægre ferimus, Quomodo obdurabimus ad iniectas ma/nus? Non/

nus? Nondum ad sanguinem usq; restitimus. Irridẽt ipsi quidem nos, at qui habitat in cœlis irridebit eos, & post risum ita torquebit miserrimos Sycophãtas, ut nihil supra. Sta Stephane super custodiam tuam, Insta oportune & importune. Argue superstitiones pseudocatholicorum, & scelera. Inuehere in hæreses, scripturis nixus, & stude bonæ conuersationi, ne incidas in laqueum calũniatoris. Hæc faciens coronam accipies, unde nomen habes, quæ reposita est operibus iustitiæ, in fide domini nostri IESV CHRISTI, cui uni laus. Vale et ora pro me, maxime pro laborante Ecclesia. Islebij, Vigesimotertio Iunij. Anno M. D. XXXIIII.

M. I. H. S. P.

NOLI IRASCI CHARISSIME HOMO. Quod ego feci tu nescis modo, scies autem postea. Tragœdiam excitatam sedabit tempus, & uertet tibi turbas hasce (quas subaugurabar) in expectatam tranquillitatem palma ueritatis Ecclesiasticæ. Offensi patricij facile mecum redibũt in gratiam. Solicitus uero sum tui gratia, q̃ties mecum contemplor, sacrũ & saxum. Prospice tibi de parte optima, quam ita Ecclesia elegit, ut ab ea auferri nequeat. Schismati longum ualere iubeo, nisi iam iussisti. Neq; enim tibi & illi in posterum conueniet. Tu ad

rectiora gradum feciſti. Si exulatũ ibis, propono ducem Georgium, ſi quem noſti commodiorem, utere fortuna. Venatoris tui libellum legi. Eſt uetus coccyſmus, uetus crambe, ſequitur homo, eloquentia confidens ſua, interpretationẽ ſui patriarchæ, & pugnat Andabata. Tu ne ſtupuiſti ad iſtum crepitum? Sume animum, & illi ereptos ſcripturæ locos, repone Catholiciſmo. Supera eloquẽtiam eloquentia, ut es in nullo illi ſecundus. Victoria tua eſt tam certo, ut iam iam eam mihi uidear in tuis caſtris. Transforma in ceruum Actæonem, animal meticuloſum, & fugax. Inſectentur dominũ ſui canes, Melampus, Pamphagus, & acutę uocis Hylactor,

Per rupes ſcopuloſq; adituq; carentia ſaxa.

Diſcat homo conuiciator non maledicere, conſueſcat colere, q̃d nunc exterminat, uerum Euangelium CHRISTI. Inimicitia ſchiſmatis, qua ego exerceor his in finibus, ſumma eſt. Vrſina rabies eſt, non ſunt homines hoſtes mei, ſed aut dij aut diaboli. Cum hominibus agi poteſt, cum iſtis noſtris non item. Decreuerunt clamare omnia, audire nihil. Volunt conuiciari non diſputare, & miſcere cuncta citius, quam clariſſ. ueritati dare manus. Fruuntur plauſu multitudinis, & infirmitas Eccleſiæ robur eorum eſt, præterea nihil ſanum in tota ſecta. Agricola Philocampos uicinum me habet, iunctis uidelicet ædibus, ſed amicum non ha

non habet, disiunctis nimirū animis. Si finis, modice leniam dolorē meū, exemplo & sermone prophetæ Dauidis: In infirmitate mea lętant & congregantur. Colliguntur aduersum me percutientes, scindentes & non tacentes. Frendent contra me dentibus suis, surgunt in me testes falsi, & apertum mendaciū. Circundant me uenatores, consilium pessimorum uallat me. Aperiunt super me os suum, quasi leo rapiēs & rugiens. Sedent insidiantes in absconditis, ut interficiant innocentem, dicunt: quando morietur & peribit nomen eius? Conculcant me tota die, pugnantes tribulant me. Tota die sermonibus me affligunt, contra me omnes cogitationes eorū in malum. Obseruant plantas męas, expectāt animam meam. Congregantur aduersus me fortissimi, currunt & præparantur. Exacuunt quasi gladium linguam suam superbi, & cœtus robustorum quærit malum mihi, dicentes: DEVS derelinquit eum, persequimini & comprehendite. Finem faciam querimoniæ Dauidicæ, sed finem tribulatio non inuenit. Consolatio nostra est, testimonium conscientiæ. Gratia DEO super inenarrabili dono. Nisi compateremur, non essemus futuri regni participes. Huc igitur ingrediamur p multas tribulationes & uarias tētationes, in uestigijs dominicis, socij prophetarum & apostolorum, eodem repleti spiritu. Restat, ut post uerba uerbera suffera-

mus, post cachinnos carceres & post minas mortis mortem, ut illi impleant mẽsuram patrum suorum, Arianorum & Donatistarum & Thaboritharum, qui cessantibus gẽtium tyrannis persequuti sunt Ecclesiasticos, qui nõ minus in hæreticorum oculis contempti erant, atq; nos hodie. Nugamenta sophistarum, superstitiones stolidi populi, peccata cleri, abusiones cultuum non probamus: Contra uero monemus saluberrima quęq;, nec tamen locus nobis est ullus. Respondi pseudolonæ, mitius q̃ meruerat mala mens malus animus istius. Reportaui Ecclesiæ suppilatas scripturas, conuici blateronem uanissimum, & falsam historiam uera repuli. Habes operis summã. Vale doctiss. uir, & te Ecclesiæ commodis impende. Islebij, Vigesimosexto Iunij. An. M. D. XXXIIII.

D. I. C. S. P.

FACIS TV QVIDEM BENIGNISSIME, quod Apostolus Ecclesiæ nostræ præcepit. Nempe ut alter alterius onera portemus, Eadem dilectiõe portat onus meum. N. uir tanto Lutheranis inuisior, quo est doctior. Nuper questus is est, se ualde premi in sua patria, eo q̃ castra Catilinæ Germani reliquerit, & una misit in se æditum libellũ, cuiusdam egregie linguacis euangelistæ, quo solam fidem homo uaniloquus mirifice tortis retortisq; scri

tisq; scripturis tuetur. Ait se tortori responsurum, & forsan absoluta est eius responsio. Rogo te quo potes amore magno complectere hominem, de illo em̃ ego mihi ea polliceor, quæ uix de alio. Gaudeat Ecclesia, se talem & filium & doctorem recepisse. Porro quod mones in epistola, factum puta. Idem enim mihi fuit animus, Nempe nihil horum inficiari, quæ certo euenerunt, sed ea iuxta fateri, & sectæ malorum inuentrici accepta ferre. Nam liber ad calcem peruenerat, ubi mihi literæ tuæ redderentur, nisi q̃ tres duerniones in defensione post adieci. Ah CHRISTE da Cõcilium, non bellũ, Ah da Synodum, non tumultum. Tua res agitur, non nostra. Sin nolis, exundabit ut diluuium Secta in omnes terras, quia terrena est, & serua mundi huius. Fiat uoluntas tua. Amen. De statu rerum mearum hæc paucis accipe: Noctes atq; dies cogito cogitationes iuuandę Ecclesiæ, quam plus amo q̃ uiscera mea, & uniuersos terrę thesauros. Quando uero totus in hoc sum, fit, ut insurgant aduersum me hæretici homines, uocc, papyro, probro, risu, minis, diris: supereſt manus, quam me quotidie expectare oportet. Dici nõ potest, qua tyrannide mecum agant isti. De composito nolunt neq; legere neq; me audire, nisi ad calumniam. Plus decies popposci ius disputatiõis, at Gutel ceruici meæ iuratus hostis, amandat me ad puellas decennes, ut il

li disputent cũ Vuicelio. Iaculatur iste uniuersas con-
ciones in me, Torquet in me unum, totam scriptu-
ram. Maledixit mihi, nec desijt, adeo, ut diabolus nõ
queat maledici magis. Subministrant enim libidino-
sæ petulantiæ & insaniæ hominis, omne genus pro-
brorum Ionæ libri & Hersfeldensis cuiusdam, e qui
bus sæpe concionatur. Video, audio, palpo, quo spi
ritu agantur isti. CHRISTI manus sit super me largi-
trix & protectrix. Amen. In medio Ecclesiæ aperio
os meum in laudem creatoris & recreatoris nostri,
Deinde in defensionem Ecclesiasticæ ueritatis, lu-
ctans pro syncera interpretatione scripturę, & impu
gnans schismaticas uulpinasue, nõ enarrationes, sed
eneruationes. Facio hoc sine iracundia & conuicijs,
ut uel mansuetudine feroces uincam. Domi patres
interrogo secundum legem Deuteronomij, & labo
ro manu, dum periclitanti nauiculæ paro subsidia
qualiacunqꝫ. Qui scribẽdi labor me propemodum
consumit, utpote hominem corpore imbecillum,
& nullo lenocinio humanorum cõmodorum sub-
leuatum. Viuo nõ mihi, sed ei qui pro me mortuus
est, in cuius palestra mori decreui. Ora pro purgan-
da & pacificanda Ecclesia. Me uti facis ama. Islebij,
Vigesimooctauo Iunij. An. M. D. XXXIIII.

M. B. F. S. P.

Facile

FACILE IGNOSCO PERPETVAE TACIturnitati tuæ, clare & idem chare uir, quippe non nescius, e quo loco scribere te oporteat, et cui, si scribere libeat. Amor in te meus et fides nihil decreuit, id quod mihi credas nimium uelim. De Tragœdia quam mihi misero uestrates Aposto li acerbissimam excitarunt, in prȩsentiarū ad te nullū uerbum. Nolim em̄ ulla occasione istos commoueri in amicos meos, posteaq̄ in me, quanti sunt, toti insaniunt. Inuicta ueritas reteget orbi rem omnem. Audio Margaritam (uere Margaritam uirtute fideq̄) uxorem tuam, ualde charam tibi, uiciniæ amicam, uitam morte commutasse, idq̄ Ptisi. Qui rumor, si uanus non est, uehementer animū meum affligit. Contra solatur uirtus mulieris, & orbitas fere nulla. Solatio, opinor, non eget pectus istud tuum, masculum, excelsum. Te heroicum, stoicum & eundem Christianum decet animi tranquillitas, perturbatione procul ablegata, precibus tamen et eleemosynis DEO nostro commendanda uxor est, quæ nos ea uia præcessit, quam metiemur uniuersi. Porro cȩlebs, mirabor, si istis in finibus, hoc in oppido, inter homines tales, diu morabere. Nam succurrit animo, quod aiebas, me istinc discedente. Vtinam uero mihi Erphordiæ domus esset, cuius copiam patrono tanto meo ego facerem. Sunt illic domus multæ, sunt illic boni homines

mines, ijdem fide ac constantia spectata, sunt honesti uiri, docti uiri, tui admiratores adhuc. Quare me cõsule, me hortatore, relicta ciuitatula, in qua tempus perdes, nihil dico asperum, Erphurdiam petes, gratiss. hospes, iucundiss. amicus, doctissimus literator. Quidquid tibi tuisq; rebus erit commodissimum facies. Vale. Me redama, de me nihil sinistri suspicare, etiamsi trecenti libelli in hoc caput meum emittantur à maleuolis calumniatoribus.

Scribere plura libet, sed pondere lassa cathenæ
Est manus, & uires subtrahit ipse timor.

Islebij, Octauo Augusti. An. M. D. XXXIIII.

R. E. A. E. M. S. P.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATER. Contentionem, quæ mihi cum istis rabulis incidit proxima hyeme, transfusam in schedas legit T. C. nec dubito, quin cognorit ueritatem soli Ecclesiæ a me uendicatam. Ea pugna defer buit. Mox incandescit alia de usu Eucharistiæ, quam suo quisq; arbitratu tractat. Ego adserui usum reno uatæ memorię dominici supplicij: aduersarij uero remissioni criminum, Qua pestilentia corrumpũt mores hominum simul, & abolent pœnitentiam. Eiaculantur libros, quibus nihil inhumanius uel apud extremos schytas. Statuerunt me mendacijs opprimere, conui-

re, conuicijs occidere, sannis sepelire, quando illos ueritas deseruit. τρυφῶντες scribunt, παίζοντες scribunt, tentant omnia, nihil explicant. Vix quisquam credat, quo me furore nunc de integro proscindant in hac ciuitate, & in his finibus. Vitam omnem ita ago, ut putem me ab istorũ maledicentia tutum esse posse, Sed quò ego uiuo inculpatius, hoc magis illi me genuinis suis atterunt. Insania ista si non est, nemo unquam insaniuit. Ah malum magnum Reipublicæ Christianæ, mora illa promissæ Synodi. Secta increscit indies, id quod ego nunc primum mihi persuaderi patior. Augustæ accessio plures ciuitates in nassam trahet. Magna pars iuniorum Principum, Nobilium, Potentium Lutherizat, clam patribus. Hos ubi matura mors terris ademerit, uidebimus eos palam grassari. Ciuitates sua cornua non demittunt ulli monarcharum. Victor Hessus & de rege triumphator, orbem lætissimis clamoribus implevit, ac nouam Ecclesiam in tantum roborauit, ut illa post hac nec Termino, nulli cedenti, cedat. Mille Lutheri libri nõ ita cõmodarunt caussæ illi, atq; hoc unicum Catti bellum. Absentia Cęsaris diuturnior, animos addet nouatoribus, & periculum est, ne augescente indies primatum ac ciuitatum multitudine, concio uerbi ad arma proruat, & adacto clero ter-

ram mareque cœlo miſceat. Male metuo Eccleſiæ, poſteaquam admonita neque ſapere, neque corrigi cœpit. Dominus IESVS commiſeretur ſortem electorum ſuorum. T. C. diu uiuat ad profectum ueræ pietatis. AMEN. Iſlebij. Barptolomæi. Anno

M. D. XXXIIII.

TERTII LIBRI FINIS.

EPISTOLARVM

GEORGII VVICELII AD FRATRES,

LIBER QVARTVS.

M. B. R. S. P.

VIR OPTIME ET IDEM DOCTISsime. Quàm te deamem, uix credas. Eruditorum cœtus tuorum meritorum erga pias literas, nunquam partem ullam assequetur. Nam unus tu nobis es, qui diuis locũ sacras, dum e nocte erutos, luce donas. Sublimes illi abierũt quidem olim, sed tuo labore ad nos redeunt, nobisque ipsi sese insinuant suauiter, ut sua scientia ac uirtute attractos illuc subuehant, quo omnes contendimus, quantumlibet disparibus uestigijs. Præclare erga genus humanum mereris. Perge modo extrudere in albam messem priscos illos Ecclesię Heroäs, nouis longe meliores operarios. Pontifices, Episcopi, gymnasiarchæ, abbates, doctores, pastores huius sæculi perditissimi, Ecclesiam CHRISTI nihil fere curant, se modo pascunt, nedum oblectant. Cæci magna ex

gna ex parte sunt, muti sunt, surdi sunt & uiuentes mortui. Quare accedant antiqui, quibus curæ sunt oues, qui sanctimonię ac doctrinę laude floruerunt, &, quod unum possunt, charactere saltē et atramento ecclesiam regant. Dignitas horum inuiolabilis sit, siquidem incolumi fide extiterūt. Dedisti nobis Eusebium, præterea Tertullianum. Restat ut pari nitore des Iustinum martyrem, Papiam, & Ignatium grę ce excusum. Amabo, per Bibliothecas oberra, uenaturus si quid scripsit Quadratus, si præter epistolam alia Polycarpus, si nonnihil præter Apologeticon Aristides. Dispice, si quæ supersunt Cornelij e tanta bonorum librorum panolethria. Plures sunt Dionysij, scriptores, sed omnes præter unum Areopagiten desyderamus, qui utinam sua quoq; in lingua extaret. Vtinam exorirētur Stromateę Clementis, breuiter quicquid est κρόνιον. Tineæ pascuntur libris, quibus homines pasci debebamus. Situ pereūt autores clariss. quorū opera nos ex maximis dissensionibus æui huius saluari conueniebat. Tu fac Beate, ut te tot egregie actis laboribus, Beatissimum dicamus & beatiorem posteri celebrent. Bea nos Beate, potes enim, ut nemo. Vale, me redama. Erasmone desis, opus em̄ DEI operatur. Exora CHRISTVM, pro acceleranda Synodo, Ne ipso dormitante, modicæ fidei discipuli pereamus. Isiebij. Barptolomęi.

Anno

Anno. M. D. XXXIIII.

I. P. E. S. P.

DABIS VENIAM VIR CLARISS. QVOD ignobilis ad hominem nobiliſſ. ſcribere au deo. Adduxit huc ſuppudeſcentem admiratio tui, uidelicet, qui Eraſmo meo tanti fias, et pertraxit huius tempeſtatis calamitas, quę pectus tuum haud uulgariter quatit. Quæris unde hoc ſciam. Extant epiſtolę tuæ, quę te nobis oſtendunt, ut longiſſime etiam ſemoti te nouerimus, & quidem proxime. Vir DEI es. Ardes unitatem Eccleſiæ. Horres ſchiſmata. Suſpiras, ut omnia à Catholicis Chriſtiane gerantur. Tantus amator noſtrę religionis es, quantus oſor uniuerſæ impietatis atq; iniuſtitiæ. Quo fit, ut nomẽ tuum delicium meũ ſit, utq; pene exultem ad memoriam tui. Hortor uero talis eſſe, ac tale facere, uti pergas, quando Eccleſia talibus uiris nunq̃ magis eguit. Cęterum nihil uetat, cur Irenęo, hoc eſt, pacis amatori tanto, non tranſmittam meas meditationes, quas anno ſuperiore notare uiſum fuit. Eas te rogo lege, primum ut animum iſtum tuũ obfirmes: deinde ut gaudeas de ſeptem milibus DEO relictis: proſtremo ut de his uerum Iudicium facias, adq; tuam amuſſim pleraq; examines. Intelliges opinor me aliquanto melius de CHRISTI religione ſentire, atq; pſeudoionas ille, tã Eccleſiæ q̃ meus hoſtis, qui hanc

fidem meam publice criminari ausus est. Si est quod tu in me ægre feras, si quod nolis, si quod desyderes, fac per literas tuas recognoscam. Morem geram homini sapientissimo & eidem doctiss. Vale in seruatore bono. Islebij, duodecimo Septembris. Anno M. D. XXXIIII.

D. I. C. S. P.

ACCEPI LITERAS TVAS OBSERVANdiss. domine, in quibus me amice mones, et beneuole ab eo reuocas, quod facturus nõ eram. Video enim tempori aliquòusq; seruiendum, & aliquatenus Crux mea mihi baiulanda est, & torcular mihi meum calcandum, quando sic placitũ est patri, qui tñ numeratos habet capillos capitis mei omnes. Nondum plane statui, an Ludum istum retundere uelim, quem neq; uidi neq; legi. Audio esse inaniss. gannitus desperatissimæ sectæ. Hæc decreuit ridere omnia, & si Paulus prædicator rediret. De ficta Remissa peccatorum nonnihil adieci in opere de Eucharistia. Forte paucis pagellis respondebo asseratoribus siculnis Remissæ huius. Secta inualescit indies, inq; horas tota in Germania. Peruagatur quoq; in exteras nationes, dum displicet cleri turpitudo, & placet nouitia libertas. Si Synodo inundatio hęc nõ sistetur, actum dices de Religione. Præstaret rem admitius

mitius temperamentum uocari, q̃ perire. Sapientes tacent, ipsa taciturnitate subindicantes, sibi displicere utramq; partem. Caussa in summo discrimine posita est, & periculo proximi omnium sumus, qui scribimus. Vale optime. Memor meæ tribulationis & certaminis. Islebij, decimotertio Septembris. Anno M. D. XXXIIII.

P. I. H. S. P.

GRATIAM ET PACEM IN CHRISTO domino. Reuerende pater in isto rerũ turbine uix reperiam, qui caussæ meę candide faueant, & si complures sunt, qui & fauorem præ se ferant & ingentia, uel nihil tale postulanti, pollicean tur, quum nec καρτάντυμ re ipsa præstent. De te uero mihi dubium non est, quin sis homo aperto pectore, & erga me syncere adfectus. Scio, quia amas me, quem amorem amator tui æquiparo. Neq; enim nõ in omni uita his in rebus paria facere soleo. In me autem nihil est quod admireris. Facimus pro nostris opibus mœnia.

Scribimus indocti uulgo rudimenta salutis:
Spectantes pacem nobilis Ecclesiæ.

Quantũ debeam Episcopo domino meo benignissimo, hac literarum angustia, exprimere minime possum. Sed cur nunc facere nequeam, quod uir tantus abs me

abs me petit, uariæ cauſſæ ſunt & hæ fortes ac honeſtæ. Comes, Heros, Heruſque meus, ſicuti hactenus intelligo, uix me a ſe diſcedere patietur. Tētauit eum unus atq; alter princeps ob eam rem, nec obtinuit. Accedit licentia Canonicorum, quam attrectari ipſi nolent, & ego non adulor præterea τὸ ἦθος πολυχρόνιον qua parte nec illud emendari ſuſtinebunt, quod ratio etiam humana dictat emendandum, nedum in ſacra ſcriptura lex CHRISTI. Vxorium fortaſſe laturi eſſent, quando hoc tolerabilius, quam publice ſcortari & alienos thoros commaculare. Hęc ciuitas Babylonia quędam mihi eſt & captiuitas. Quot homines uideo, tot hoſtes uideo, omnes iuratos, oīes diros. Domus hæc monaſterium meū eſt, in qua nimirum uitam extraho duriorem fortaſſe, q̄ quidam Monachi. Certamen Eccleſiaſticum nullo die intermittitur. Hic nullæ induciæ, nulla concordiæ ſpes. Rabire dicas iſtos Tenebriones, adeo nihil humanum oſtendunt. Acceſſit dolorum meorum cumulo prę matura mors patruelis Vuernheri, qui quum uiueret Ionathas meus erat, ſocius afflictionum mearum, & patronus cauſſæ, quę non tam mea q̄ Eccleſię eſt. Doleo ſuper te mi frater Ionatha. Sicut mater unicū amat filiū ſuum, ſic ego te diligebam. Tu uale & ora pro me. Videbo aliqn̄ faciē tuā pater mi. Iterq; uale. Iſlebij, decimoſexto Septemb. An. M. D. XXXIIII.

Gratia &

M. I. E. S. P.



RATIA ET PAX A DEO IN CHRISTO. Adfeciſti me ſummo gaudio, quod tandem e tenebris prouolaſti. Eccleſia exultabit in domino, legẽs ſcriptum tuum, uidens ſpiritum ſanctum habitare in pectore, ſeſſitare in ore tuo. Non poſſum iudicare de lucubratione tua aliter, q̃ de ſcripturis Canonicis, quarum germanam ſequeris interpretationem. Verbum iuſtificandi penitius ſcrutabere, & facis te dignum, quod abſtines à maledicendi libidine. Nec tamen tibi apud aduerſarios commodabit manſuetudo. Nam illi, ne conuiciari putẽtur, aſſeuerant nos conuiciari. O prę poſtera omnia, ô homines mente, non moribus tantum corruptiſſimos. Inſurgent in te, ordinabũt contra te ſuas phalanges, excidere te committentur. Tu præpara animum tuum ad tentationes. Obdura ad inſultus cito deſituros. Spumabũt, nihil explicabũt. Eram plura ſcripturus, niſi ita urgeret tabellio. Habeo gratiam de epiſtola Eraſmi, noſtri fratris. Redde me certiorem, ubi ſis futurus, quidue rerum facturus in hac regione, hoc in tempore. Vale in ſeruatore noſtro IESV CHRISTO filio DEI uiui. Iſlebij. Galli. An. M. D. XXXIIII.

M. I. H. S. P.

BINAS A TE LITERAS ACCEPI, NE quid dubites: sed idem utræq; adeo sibi uoluerũt, ut unę esse credi q̃ant. Significas mihi tuam uoluntatẽ: Vis hastam abĳcere, uis harena cedere. Doleo uehementer nõ tam Ecclesiæ, q̃ tuam uicem, si hoc animi tui decretum nõ mutabis. Quid, inquies? Ecclesia Papistica ea est. Bona uerba. Ego si scirem te papistica scripturum, quibuscunq; possim modis, a non bono instituto calamum tuum reuocarem. Nemo me magis odit papistica, hoc est, eam Ecclesiæ partem quæ dedecori est Euangelio, & Christiano nomini, præterea noua quædã dogmata, ueteribus Theologis ignorata & ipsam adeo sophisticen, & totum chaos errorum, superstitionum, fabularum. Si Ecclesia mater nostra fœdata est, id quod neq; negari, neq; dissimulare potest, hoc magis illi dandus erat labor, hæc opera, ut pristino decori restitueretur. Sectę quibus cum Rom. Ecclesia bellum est, in hoc huius ignominiam retegunt atque traducunt, ut funditus eradicent. Ipse uero eam ut diligo, ita colo. Nolim destructum ædificiũ, ruinas sarctas opto. Quod non conuenit, resecetur, CHRISTO pastorum principe prędente. Quod bonũ est, teneat̃, uel nolentibus hæreticis. Iudiciũ esto penes uetustiss. Theologos, qui ante mille annos neq; in dexteram neq; in sinistrã partẽ huius ęui inflectere potuerunt.

Summum

Summum tamen principatum scripturę reseruatum oportuit, citra quam nihil agetur. Episcopos Vuurceburgensis me nuper ascire ad se tentauit per Iodocum Hessum Carthus. Vnde mihi persuadeo, hominem recte sentire de Christianismo. Cur ego uero recusarim oblatum, in præsentia comminisci mihi integrum non est. Tu ad me perscribes, quid tibi cum illo controuersum fuerit, et desines esse Demosthenes Rhipsaspis, ne, dū Mundi pacē sectaris, a pace CHRISTI excidas. Blanda res est pax sæculi huius, & habet multos authores, plures suasores, at tu circūspice, nū ea CHRISTI militem deceat, qui sacramento se obstrinxit, militiam hanc Ecclesiæ exercere super terrā. Tempus contractum est, & fieri potest ut cum tu tibi pacem plurimam promittas in fauore amicorum, cœlitus dicatur: Stulte hac nocte repetēt animam tuam. Patrię honos non est, si tuo silentio periclitetur. Quod uero præsentius periculum, q̄ appropinquare supremo exitio? Merita de te fuerat patria, ut obito munere speculatoris, faceres uoluntatem DEI, cuius uerbū tibi recitabo: Terra cum induxero super eam gladium, & tulerit populus terræ uirum unum de nouissimis suis, & constituerit illum super se speculatorem, & ille uiderit gladium uenientem super terram & cecinerit buccina & adnunciauerit populo: cætera ipse leges. Vocauit te DEVS, ut exaltes si-

cut tuba uocem tuam, & adnuncies populo hæreti-
co errores suos, quibus maxime abundat tua patria.
Accepisti talenta duo, caue defodias. Magno enim
malo tuo id feceris. Bos errans reduci domum suam
debet, etiam si sit inimici (sic enim Moses) quãto ma-
gis reuocandi ab errore homines? Orsus es felicis.
pugnam Christianę iustificationis, & uno repugnan
te cedis? Quid dicent boni homines tui libelli lecto-
res? Gratificaris Sectæ mutus, sed te muto, clamabũt
lapides. Quid eñ uerius in tota Theologia, q̃ quod
tu ædito libello doces? Excitauit dominus coopera-
rium M. qui hac in pugna nemini cedet. Misit ad me
libellum censendum, non censui, at iudicaui, esse bo-
num. Monui tamen scriptorem, ut penitius scrutare
tur Græcorum uocabulorum uim. Hortaris ad te-
xendam historiam Sectæ. Facere hoc cœpi in ædito
Euangelio Luderi. Vtinam alius consumaret. Nam
ego nunc maiora meditor: CHRISTO bonorum da
tori laus. Materiæ ubiq; copia est. Falsarium retege-
rem, nisi deesset liber, cui titulus: Concordantia He-
braica. Hostes furere non desistũt, quia ego uox cla-
mantis esse nõ desino. Non credo, gẽtes q̃ DEVM nõ
cognouerunt, immanius furere posse. Furor cõsistit
in conuicijs satanicis, in mendacijs diabolicis, in risu
Ionico. Ego autem, sicut surdus non audio, & sicut
mutus non aperio os meum. Nuper ædiderunt epi-
stolam

ſtolam ad me Cochlæi, homines audaciſſ. ad omne flagitium natura, & Euangelio nouo renati. Præfixerunt titulum de negato coniugio quum id epiſtola adeo non loquatur ut diuerſum etiam ſubindicet. Conantur multis artibus perſuadere populo, apertum de me mendacium, ut eo pacto deiſciant, quem ueritate deiſci non poſſe ſentiunt. Futiliſſima blateramenta Celij iſtius et Syluanij Heſſi non legi, Imò nec eminus uidi. Alterum audio hæreticam opinionem tueri, alterum ludere in famam meam. Forte reſpondebo prologo Ionæ quẽ ludo illi præfixiſſe dicitur. Contra Remiſſionarios iſtos nonnihil dixi in libro περὶ τῆς εὐχαριστίας. Vale optime. Ora pro me agonizante ut liberer ab hæreticis in Germania. Quæ putes mea intereſſe, uti ſciam, frequenter ſcribe. Nemo me derelictior. Neq; tamen ſolus ſum, Nam pater cœleſtis, dominus meus, & DEVS meus, mecum eſt. Vale iterum. Iſlebij, decimo octauo Octobris. Anno M. D. XXXIIII.

D. C. R. S. P.

MVLTAS ACCEPI LITERAS A TE, SED nullas æque iucundas mihi, ac eę ſunt, quas dediſti proximas. In his eñ audio inuitum Pythagoreum, audio fortaſſe te aliquando proditurum fractis repagulis, audio diras leges continere te,

non uincire, audio te fugam e pugna interpretari, quod alij patientiam, alij prudẽtiam. Sic ō sic mi anime beas me. Exhilaror ego nunc, et attollo animum totus, cum tu scribis talia, ego lego. Erigor in amissam pene spem, & confirmor in incredibili de te fiducia. Mirabar, si sic te perpetuo addixisses silentio, & probaretur tuæ semper sentẽtię illud λάθε βιώσας. Accepisti e diuite DEI manu thesaurum non uulgarem, quem, amens omnis sis, si terra sterili defodias. Præditus es ingenio felici. Adeptus es optimarum literarum talem cognitionem, quæ uel polygrapho sufficiat. Flores usu rerum plurimo, & per ætatem prudentiam singularem assequutus es. Accedit liberale ocium. Prætereo professionem Theologicam, & pectus restaurandæ Religionis antiquæ cupidum. Postremo habes Bibliothecam instructissimam, omni utriusq; linguæ authorum genere uariam, antiquitate præclaram, magnitudine admirandam. Nec quid restat, nisi ut sumpta fiducia calamum paratum arripias, & huius rectitudine primum pascas Christiana corda, deinde repugnes & repugnantibus nobis opem feras aduersus schismaticas cohortes. Quæ ni facies, nunquam læta conscientia & iudicio bonorum hominum, uti par est, frueris. Extimulet te Ioannes Hanerus & Ægranus quod par pulcherrimũ in arenam hanc feliciter descendit. Erit tibi librorum fœtus, libe

tus,liberorum uice,quos quia non habes cęlebs,illis frui,& ex illis nonnullam uoluptatem inter tot moleſtias capere poſſis. Religio catholica tua opera, ſi cuius alterius,magnopere indiget his in rerum fluctibus,& Euripis rapidiſſ. Poterint optimi quiq; non leuiter roborari in propoſito priſcæ ſententiæ,ſi uir tam eruditus ſuum addat ſuffragium. Te ſcriptore tuiq; ſimilibus pudeſcent quidam,quos libẽter Theologos dicerem,ſi poſſem.Ah quæ ſomnia, quanta iſtorum aliqui plauſtra inanium librorum inuehũt, quibus malum non ſedatur, ſed exulceratur, & tali ceu fomento augeſcit incendium. Secta certe pauescit, ubi athleta CHRISTI prodieris, atque ſubieris partes tuas,utpote ad uiri conſpectum, quum alios pro mulieribus ducat.Iactatur em̃ indoctos tantum ſcribere in doctos Lutheranos,hoc eſt, muſcas cum elephantis congredi.Sentio Ariſtotelicæ theologiæ doctores,& eos qui ſine iudicio, quæ erant de Eccleſia authoritate publica tollenda, acriter defendunt, & quæ inſtituenda,repellunt,qui inquam malũt diuinas leges, quam maiorum inſtituta mutari, quum uideant uel ipſum tempus & Neceſſitatem mutationem aliquam ſuadere,quemadmodum ſapientiſſ.de his ad me nuper ſcripſit I. P. Non improbo uoluntatem ſcriptorum qualiumcunq;, quotquot ab Eccleſia ſtant. Imò ualde delectat me illorum Zelus, ſed

probare

probare non possum, quod nihil in totum antiquari patiuntur, & ea etiam sæpe propugnant, quæ ipsi apud animum suũ uere contemnunt, quæue ipsi nec uno attingunt digito. Per hos quando coibit cõcordia Ecclesiæ? Quando sopientur schismata? quando reflorebit in amabili illa pace Ecclesia? Nam minime in controuerso est, Ecclesiam nunq̃ quietam fore, nisi sint prius sublatę sectę. Iam sectę e medio non auferent̃, nisi res componantur, & amice sedent̃ dissidia. Tale uero fieri non põt, nisi alter alteri aliquid concedat. Quod si necessario concedendũ est, quid ergo faciunt isti, q̃bus una cura est, nihil non ceu probatissimum asserere, adeoq; quod ad gehẽnam omnes obstringat. Proinde tu cum scribes, ad ea modo (si me audis) incumbito, ea modo tractanda suscipito, quę sunt certa ac immobilia, & in quæ nullum ius neque habent sectæ, neq; habebunt synodi. Cæterum scribere non audes Aulicus. Nam hoc illud est Pythagoræ silentium. Respondeo: Primum, quid Theologo cum Aula? Sed aula est Episcopalis, Ergo magis erat pro fide scribendum. Eras in hoc alẽdus, ut scriberes, non tantum ut chorum frequentares, qui uocum labor uocalibus illis relinquendus erat. Citius reperiuntur decem qui canant, q̃ unus qui studeat ac scribat. Deinde silentiũ Pythagoricum ad quinquennium durauit, hoc exacto, licebat e mutis piscibus, ranas sono

nas sonoras fieri. At uti nunc tua est cõditio, perpetuo silere debebis. Postremo ut largiar omnem excusationem consistere: illud tantum te nunc moneo, quando te audio inuitum tacere, ut reponas tandem aliquando, ubi erit integrum æditurus, quæ iam reposueris. Hanc meam submonitionem, aut extimulationem uerius, si boni cõsules, & in tuis studijs efficacem esse sines, fueris mihi magnus Apollo. Scio in te latere multa, quæ libens exculpserim in publicam utilitatem. Aliud nihil quæro, uel dispeream. Quod de Cheruſco scribis, me tanq̃ fulgur e uitro terret. Iecis aleã, si cui libet, assideat. Iam bifrontis illius porta aperta est: Bella mihi uideo. Sed CHRISTO gratia, qui semper per nos testacea uasa & cõtemptibilia in hoc mundo triumphat. Hactenus nullus horum me aperto Marte adortus est, nullus in hac acie uoluit mecum manum conserere, & iusto certamine rem aggredi, sed insidijs, calumnijs, mendacijs, arrosionibus & ui gerunt omnia. Non disputant, sed desputant, non argumentantur, sed cõuiciantur furiosi homines. Tentatis omnibus conantur me scelesti hominis odiosiss. nomine premere, utpote qui pernegarim coniugem. Quod si tam esset uerum, quam est falsiss. tota causa caderem, & haberer uniuersis execratior, q̃ cuius libelli legi debeant. Respondeo iam ad calumnias Ionæ, qui homo mihi in satanam pecu

liarem immissus est. Reddet illi DEVS secundum facta sua. Vigilat in exitium mei, deuotus hostis huic capiti. Vale in seruatore CHRISTO uno. Ignosce liturris, primũ enim id autographon est. Islebij, Martini. An. M. D. XXXIIII.

I. P. E. S. P.

HABEO GRATIAM ISTI TVAE ERGA me uoluntati chariss. hominum, & ea me tibi fide nũc deuinctum esse agnosco, quam cui maxime. Declarasti haud obscure epistola diserstiss. coniunctionem mutui amoris nostri, imò uero significationem dedisti hominis pijssimi, quẽ ego antea sapientiss. esse mihi persuaseram. Voluisti ad me perscribere, tuam de Concordia Ecclesiæ, & sententiam, et tuum eadem opera de monstrata Methodo mea iudicium. Vtrunque placuit uirorum ornatissime, Nec quid aliud legere potui, uel quod ad animũ meum quadraret absolutius, uel quod totũ me magis adficeret. Quare nihil præterea reliquum est, nisi ut manibus in cœlum sublatis gratias agam Opt. patri, qui te tuicq; similes uiros pia æquitate, ac prudentia singulari excellentes, suo induerit spiritu: & idem precor, his ut plures addat, si non pares omnino, certe proximos. Nã ijs cognitoribus, talibus arbitris, non paci solum suæ restituetur Ecclesia, sed priscæ

quoq;

quoq; ſyncritati. Cæterum eius pietatis, quam tuæ literæ ſummam præ ſe ferunt, huius ſapientiæ & deniq; eruditionis cũ primis raræ, niſi accedat uſus, periculum fuerit, ne ſterilitatis exprobrationem, & crimen incurras neglecti doni, quod uix alij præclarius contigit. Voluntatem tuam erga Eccleſiæ rem publicam uehementer probo, eandem uehementiſſ. probaturus, ſi ea cum actione aliqua celebriore coniuncta foret, ad quam rem uidelicet, uſque adeo nihil tibi deeſſe intelligo, ut cumulũ facultatis etiam in iſta authoritate atq; dignitate tua uideã. Poteras tu quidem efficere plurimum apud omnes ordines, idque communicato conſilio, ut es in aulis, iam exhortatione, iam caſtigatione, ut uel aliqua tandem ſpes futuræ Concordiæ nobis oſtenderetur. Fieri omnino poterat, ut ij, quorum conſilia te non probare ais (digito monſtras inueteratæ ſuperſtitionis non nimis ſanos defenſores) pudore ſileãt, te nimirũ tuam profectẽte in iudicando authoritatem ac præſtantiã. Nam illi, quod ego iam pridem compertum habeo, neq; firmis nituntur fundamẽtis, neq; ualent tuendi præſidijs: inuidia uero fortunati ſchiſmatis quum laborant ad immenſum, & iudicio nullo ducuntur, omittendi erant. Poſcit ſibi cõcordia illorum hominum ſtudium, qui ueritate & honeſtate omnia, priuata uero utilitate ſimultateq; nihil metiantur. Poteras tu,

inquam, hac in re maxima atq; ampliſſ. ita commo-
dare periclitãtis Eccleſiæ rebus, ut nemo ſcriptorum
magis. Perſuadeo enim mihi te uirum doctiſſ. iuxta
ac magnanimũ neq; inertia tacere, neq; metu. Multi
prudentia tacent, malentes pietatis ſuæ, q̃ famæ face-
re diſpendium, quos ego non magnam gratiam a
CHRISTO domino inituros et credo et affirmo con
ſtanter. Quod ſubmones de ſynaxi, nihil equidẽ con
tenderim. Indulgebam iſti parti propẽſius, ob ſpem
pacis difficulter ſarciendæ. Neq; tamen recedo a ma
ieſtate ſacrarum literarum. Lutheranis uereor grauio-
ra aliquando largienda ſunt, ſi illos adducere, q̃ ab-
ducere malimus. Sed nec illa tamen ultra ſcripturę li
mites. Quod hortaris ad tranquillitatis ſtudium, ſa-
pienter facis, & currentem etiam atq; etiam incitas.
Per contentiones, quoad poſſim, agam nihil. Nulli
enim unquam mihi uoluptati fuit, rixari, maxime cũ
ſectarijs, qui rixis inexplebiles ſunt. Horum quanta
ſit audacia atq; improbitas, tu certe neq; credis, neq;
uti credas adduci, niſi experimẽto potes. Degrauant
me ſummis iniurijs, quę erant tamen uiro forti feren
dæ, ni harum intemperie feruentiſſ. fieret, ut publici-
tus derogaretur meæ quum fidei, tum doctrinę. Vo
ciferatur de uxore negata Ionas plus iuſto philo-
pſeudes, quum id quod uociferatur, nec ipſe uerum
eſſe credat, iuuat tamen ea impudentia, mihi faceſſe-
re nego

re negocium,& istius sceleris prætextu meam existimationem, si quæ est, deformare. Sim dignissimus odio publico,nisi bonam doctrinam defensam,et societatem piorum hominum auctam uolo. Fac olim intelligam hanc meam monitiunculam Ecclesiæ utilitatis aliquid attulisse.Delector ingenio tuo, spiritu recreor. Vale. Redama,& habe me amicitia tua dignum. Islebij.Sexto Nouembris. Anno

M. D. XXXIIII.

CONTRA FVRES ALIENAE EPISTOLAE, ET eosdem Criminatores alienæ Famæ, RESPONSIO ab autore recognita.

M. D. XXXV.

DE RAPTV EPISTOLAE.

CAETERIS SVIS ILLIS VIRTVTIBVS, perfidiam addiderunt ueteratores, noui Euangelistę,e quibus nimirum factis hanc utilitatẽ capimus, ut qui sint ipsi,qd mõstri alant,qd audeant,quid ausuri sint,ex superfluo cõperiamus.

Nolunt nos nescire suam istam probitatem. Gloriari in malitia, pulchrum ducunt: Lætari quum malefecerint, exultare in rebus pess. honestum. Cogunt oculos nostros, adigũt aures nostras, ut uelimus nolimus uidere & audire oporteat sua flagitia, adeo festinant prudentes in sui excidium.

Prodijt Io. Cochlæi ad me epistola priuata, sed qui eam prodiderit, quiue formulis publicis excuderit, maliciose celat nos Vittẽberga. Refugiunt a luce qui male egerunt. In tenebris animose digladiantur, filij noctis, filij sæculi huius, amantes opera tenebrarum, opera carnis. Porro ad conspectũ proditæ epistolæ primum stupui, suspicatus uidelicet, fictam geri rem, sed ubi cœpi legere, ueram esse agnosco. Viso grammatothecam, abest epistola, cæteræ supersunt omnes. Varia cogito demirans pariter ac pauens. Tandem ubi lego de fenestra, cõmonefacit me quidam illo ipso die quo literas istas accepi, cõmessationem actã fuisse in uicina domo ciuis cuiusdam bene Lutherani. Commessatores autẽ homines quosdam notos, plus q̃ Lutheros. Commonefactus recolo commessationẽ. Forte uero domi meæ erant conterranei tres, quibus commessatio illa euangelica insolens & esse nimium noua uidebatur. Porro quandoquidem domus epulonum istorum fere cõtigua huic est, & Angelicæ uociferationes pñssimorum uirorum

rorum inde liquido exaudiuntur, Proruunt in fene/ ſtras conterranei mei, ut Aſotiam & luxurioſe ſtre/ pentia ac tumultuantia omnia ceu miraculi uice pro/ pius audirent. Mihi hic nihil noui, nihil quod mira/ rer, ut qui pene quotidie non ſolum ſplendide epu/ lantes iſtos mundo carniq; crucifixos fratres, uerum etiam cernam egregie bacchantes, idq; adeo ut hos Sybaritas uerius q̃ Euãgeliſtas eſſe deieres. Certe iſti dum uiuunt, uiuunt bene. Iam in æditiore hypocau/ ſto pro feneſtris, in quas illi incubant, epiſtolam iſto ueſperi primum & acceptam & lectam e manib. mo re meo poſueram, non ut illic perpetuo oculis lectu/ rientiũ obuia eſſet, ſed ut poſtridie reponerem. Non timui inſidias ſtrui poſſe literis ad manũ meam dela/ tis, q̃tumlibet ſæpe interceptæ ſunt a Lutheranis re/ rum mearum curioſiſſ. exploratoribus, & nonnunq̃ reſignatæ ad me uenerunt. Tum uero accidit, ut cu/ bito proſpectantis e feneſtra moueretur ſcriptũ nec elapſum, quando nox erat, illi ſentiretur.

Hoc autem pacto æmulis huius copia cõtigit. Vi cina comeſſatorum domus ueſtibulum prælongum habet quod ceu ambulachrum quoddam recta in/ fra feneſtras meas protrahitur. Atq; hoc ipſum exce pit epiſtolam delapſam. Hanc poſtea repererunt pu eri, q̃ ſubinde p̃tereuntes una in crapuloſam cœnam inferebant, atq; ita

Decidit

Decidit in casses præda petita suos.

Ventis nihil imputandum, nempe quietis, præsertim prima face, deinde non poterat papyrus in ambulachrum uidelicet angustum delabi, si uenti extitissent, Postremo nō poterant uenti cōplicatam epistolam longius auehere domo, & si lōgissime, in nullos uicos sed in uicinos auexissent hortulos, & fenestræ in publicos uicos non respiciunt, ut coniectura relinqui possit, ab alio quopiam q̄ a ministris cōmessatorum repertam fuisse. Habes rationem amissę epistolæ, quam ego plus minus horas quatuor, ut meam domi habui. Asseruare omnes soleo, & quidē solicite, nec sine caussa. Hanc unam eram postero die repositurus, Sed anteuortit non commodum sane fraus hostilis.

Hinc uero intelligo, q̄d sibi uoluerit Caspar Guttel quum e cathedra occupata a se, de me nunciaret (uti solet sua noua) repertas esse literas, breui publicandas. Quod cōmemoro, ut istos conscientiæ facti huius uoce sua cōuincam. Nam pudebit eos admissi tandem, & transferent culpam exceptæ ac æditę epistolæ in quosuis alios. Hallēses sectæ Lutheranę deuotissimi fingūt se Papistas rheda huc uectos, ut hac arte & nostræ simplicitati imponant, & alios quos papistas ipsi uocāt, facti turpioris infamēt. Nihil igitur nisi clamores ebriorum euangelistarum prophanissimi in-

nissimi incusandi sunt, ut q̃ in caussa fuerint, cur amit terentur literæ, curq̃ lasciuijs adderentur οἱ ἐπῖκωμοι, talibus scilicet allatis bellarijs.

Habito miser nescio inter homines ne, an inter spelæa ferarum, & is est situs harum ædium, ut qua quauersum prospiciam, metuenda sint multa, cauenda omnia. Captatur in nos, Auscultant, obseruant, rimantur nostra, idq̃ tanta solicitudine, ut si nobis imprudentibus nescio quid humanum excidat, cupide inhiantes glutiant. Si recluduntur fores, uicini inhiant, prætereuntes resistunt & in ædes intro defigunt curiosos oculos. Si aperiuntur fenestræ, uicini inhiascunt, dixeris esuriẽtes lupos apud Plautum. Si domo eximus non dico in publicum, sed in ipsa septa uiciniæ conspicua, protinus iaciuntur in nos oculi, reboat murmur. Vix unquam tecto prorepunt paruuli sine sui læsione.

Si diuertit ad nos hospes, ilico cursitatur & rogatur, q̃d hominis ille sit. Si pulsat fores tabellio quispiam, uicinia prior audit, signum cum dolore aspicit, atq̃ ipso inuido aspectu exoptat aut a foribus abesse nuncios quosuis, aut ingredi malos. Nec intrat ad me nunciorum ullus qui non queratur de contumeliosis responsis ciuium, quos illi obuios & salutatos de habitatiõe mea simpliciter interrogant. Noti nunc ij à plerisq̃ etiam conuicijs prohibentur, ne quid li-

terarum ad me deferant, Nam esse indignum Vuicelium, cui unus scribatur apex. Nonnulli quum neq; prohibere nuncios neq; possent premere literas, si quæ forsan in manus suas occurrerant, industria resignauerunt, & lectas complicauerunt, conniuentibus nunciis, frustra redintegrato sigillo.

Si qui e ciuibus ad me introëunt, dimissi mox rogitantur, ecquid cum hypocrita rerũ egerint. Si æmuli familiares meos cõueniunt, prima uox est: quid facit Vuicelius? Et quando sceleri nunc reuerentia est, multa panduntur expiscantibus, præsertim illis beneuolentiolæ cuiusdam simulatoribus impudentiss.

Profecto nihil magis optẽ, q̃ ut ij quibus res meæ domesticæ aliquo modo cognitæ sunt, uera tantum foras proferant. Nam me neq; factorum neq; dictorum pudet, adeo ut cum illo apud Plutarchum ferre possim domum meam ita esse conspicuam, quo cuncti ciues nedum uicini, qua ratione in ea uiuatur, perspiciant.

Sæpiuscule mittuntur ad nos à uicinia pueri, qui fingãt se intra septa nostra quæsitare aliquid, alij qui utendas corbes, alij aliud mutuentur, hoc est, ut uideant, ut explorent, ut deferant nostram conuersationem. Auscultatur quicquid loquor, quicquid hisco domi, foris, ubiq;. Rapitur in suspitionem malam, quod facio optimum. Cupiditate non mediocri duncuntur,

cuntur, ut resciant, quid noctu somniem etiam, non ea tantum, quę interdiu actito. Dolori est curiosis, q̄ ignorare coguntur, quid ad me scribant docti uiri, quid ego rescribam, & inuidia miserr. torquentur, quod mihi una contingit epistola, quod unus affertur liber, quod mihi hominum infimus tria uerba loquitur.

Finitima huic domus alia est, ad insidias Lutheranas appositissima. Istius parieti poteram admota aure auscultare omnia, quę uicinus hostis suo in cœnaculo, sua inter suauia, suos apud confabulones crebro futit, Et poteram isthuc facere maiore uenia, q̄d constet, me esse materiam plurimam suarum gerrarū & facem sui cachinni, adeoq; petulātia sua insigni sæpe me prouocasse in ultionem uisus est, sed facere rem inhonestam nunq̄ uolui, nec passus sum domesticos tale facere. Quę insidiandi facultas si istis esset, raro uerbum unum domi meæ impune loquerer. Tegeret Corycæos nox, instigaret audacia, armaret impunitas. Tanta nimirum est esuries cognoscendarum rerum alienarum in istis Episcopis, quos rectius cum apo. Petro ἀλλοτρίο επισκόπους uocites, dignissimi ijdem qui a Cheronensi illo de Polypragmosyna, quæ nolint audiant, & cōtra quos μηδὲν ἐργαζομένους ἀλλὰ περιεργαζομένους imperiose scribat Apo. noster.

Credo sic habitare Christianos fratres nostros in

medio Sarracenorum. Sic opinor eueniet olim Christianis, imminente Antichristo. Is ferrum intentabit, Scio, at isti mei utuntur alio ferri genere, illo nocentiore, & idem inuiti pharetram sagittis grauidam gestant, utpote quam inanem malint, & conspicere sagittas in meo corpore q̃ suo in loco magis eligant. Hæc stratagemata nunc istis ex Nazaræis Corycæis præclara esse uidentur. His insidiandi rationib. plantabunt nouam ecclesiam, eradicabunt ueterem. Hęc illa fortia Herculeæ clauæ facta sunt, nimirum insidiari proximo, nocere fratri. Euangelium est, pedibus simplicissimorꝝ quorũcunqꝫ tẽdere retia, iniicere tragulas. Debent nũc Euangelistæ non arcanas literas, sed occulta hominum scrutari, id quod antea solius DEI erat. Pietatis laudẽ mereri potest, qui insidiatur & impietatem in domo iusti quærit, id quod antea, uetãte Salomone, peccatum erat. Licet huic sæculo, extraneis reuelare secretum proximi sui, quod eidem Salomoni iniquitas erat. Olim in ecclesia pulchrum erat, scrutari mandata DEI exẽplo Dauidis, & prędicabatur e Hieremia, ut suas quisqꝫ perscrutaret uias: At hodie pulchrius est, scrutari aliorum uitia, nõ ut corrigantur, sed ut traducantur. Dicuntur Lamię siue Stryges domi carere oculis, foris habere: sic isti propemodum homines cæci ad sua sunt peccata, ad aliena cernunt acutissimum, quibus Lamiaca quoqꝫ muliebri-

muliebritas ineſt, & eadem cruoris ſitis.

Sed tales quõ laudat ſcriptura? Referunt hoc ſeniores in regijs paræmijs, καρδία ἀνόμου ἐκζήτει κάκα. Iniqs uocat uos ſcriptura & a lege DEI alienos, quę diligere proximum, non odiſſe iubet. Dilectionis erat proximi uitia coarguere. Odij, ac iræ inueteratæ eſt, uitia exquirere. Etenim qui aliorum exquirit uitia occulta, in hoc exquirit, ut pudefaciat proximum ſuum. Vobis affuit uoluntas, facultas uoluntatẽ deſtituit, quandoquidem inquiſitores uitę meę hactenus fruſtra omnia expiſcati eſtis, & iniquitatem ueſtram ſic ultus eſt dominus, ut peruerſo ſenſu ueſtro Lutheriſtæ cogeremini de me mala quæ nõ exiſtunt dicere, bona quæ exiſtunt tacere. Ipſe ueſtra non ſcrutor, ſed quæ lippis tonſoribuſq; notiſſima ſunt, quæ mihi his oculis, his auribus hauſta, quæq; mihi neq; curanti neq; ſciſcitãti per occaſionem dicta ſunt, Imõ quæ in hanc uſq; horam ſine conſcientia, ſine pœnitentia peccatis, de uobis ſcripſi. Quod meum factum nemo nõ uidet q̃ lõge a ueſtra uerſutia diuerſum ſit.

Nõ potui hactenus ullius inſtinctu adduci, ut ueſtri facinoris exemplũ in uos autores principes æderem, Nempe ſcrutari nominatim in ueſtras ædes, ſcrinia, cubilia, parentes, ortus, naturas, educationes, ſtudia, caſus & conuerſationem ante ſectam. Multo minus libuit nominatim rimari ueſtra corda, cõſilia, in-

ſtituta. Potui propoſitis nomenclaturis de pleriſque ſectæ Lutheranæ concionatoribus, quæ habeo compertiſſima ſcribere, non feci. Magna eſt ubiq; multitudo in ſecta flagitiorum, priuatorũ errorum, pernicioſarum opinionum, implacabilium diſſenſionum, inconſtantiæ, leuitatis, audaciæ, etiam certorũ hominum: at ego tacui, malẽs a uobis audire de me falſa, q̃ de uobis ac ueſtratibus quæ ſunt ueriſſ. publicare.

Tempus ipſum reuelabit non occulta tantum ueſtra, ſed manifeſta illa atq; confeſſa, prædicata ſenib. cantata pueris, ſordere uulgo faciet, ut diſpliceat malum ueſtrum, q̊d nunc in iſto ueſtro plauſu ac ſucceſſu tẽporario boni ſpecie miſeris Germaniæ hominibus cõfidenter obtruditis, ut inueniatur iniquitas ueſtra ad odium. Tũc primum uos cõtemnent amatores ueſtri, ut impleatur prophetia Hiere. mox ſuſcitabũtur illi contra uos, de quibus iam ſatiatur anima ueſtra, ut impleatur prophetia Ezech. Ea enim rerũ uiciſſitudo futura eſt (poſteaq̃ diuino iudicio reuelata fuerit ſtultitia non modo, ſed & hæreſis ueſtra) ut qui nunc uos ſuſpiciunt, deſpiciant, atq; e ſupremo culmine deturbati, pœnas detis quemadmodũ gloriоſi Satrapæ accuſatores Danielis & impoſtores ſacerdotes Beli. Nã aderit illa dies, in qua uos ueſtraq; in lucernis ſcrutabit̃ diuina ultio, ſicut Zophon. ait.

Cæterum quæ tandem cauſſa eſt, ut in ædibus alienis quæ

enis quæ praua gerantur tãta ſagacitate ſciſcitemini? Eloquar, qñ ad hęc ipſi obmuteſcitis. Sycophantica, quam pergitis gnauiter exercere, hanc rerum extranearum φιλομάθειαν poſtulat. Sentitis infirmitatem ſectæ (neque enim turbæ uis firmitas cenſeri poteſt in cauſſa ſpiritus) Videtis ſcripturæ dilucidam exoriri ueritatem, comperitis Epicuriſmon ueſtrum reꝑhendi, nouitatem conſputari, mutabilitatem probris uexari, dolet. Quid faceretis? Obſiſtẽdum eſt pijs quibuſdam Eccleſiæ conatibus. Schiſma fortiter defendendum. Armis? Nõ licet Euangelij puris profeſſoribus, Vtuntur tamen, uſuri magis, Si, expugnaturi omĩa, ſi, transformaturi orbẽ, ſi, ſacrę ſcripturæ preſi dijs? Eruditus lector intelliget quæ abrumpo Laconικῶς. Licebat, & decebat Thraſoniſmon, ſed ijs ꝑſidijs deſtituti eſtis. Recuperata eĩ e caſtris ueſtris ſcriptura eſt, et ea nunc uerſis uicibus ueſtra ferit capita, ueſtra fodit pectora, nõ firmiſſima, non optima. Teſtimonijs Eccleſiæ magiſtrorum? Licebat, ſed illi a nobis contra uos omni pede, tota ſtant fortitudine.

Hic itaq; ſe ingeſſit Sycophãtica, idonea nouo pugnandi generi. Quid enim magis Lutheranum q̃ calumniari? Quid apud multitudinẽ plauſibilius? Abhorret multitudo, præcipue hæc tali ore ueſtro renata, a ſynceritate Theologiæ ſanctioris, & ueſtris adulationibus credulas aures dat ſeu affigit potius, huius opta

ius optatissima sequacitate freti, uela calumnię libera laxatis, ut hac demum ratione succumbamus ueteris Ecclesię milites, utcp terga uertamus ad strepitum calumniæ, quos instructissima non fugauerit acies. Hactenus ubicp inquisitistis calumniæ materiam, egistis nihil. Nam semper insecuta est, tardius quidem, sed tamen insecuta est ueritas, & conatus perniciem reo allaturos, honeste ac probabiliter dissoluit, euertit, retexit.

Sed non quiescit, minus pudescit calumnia. Poscit sibi ansam ac sedes. Proinde omnibus in irritum tentatis, restabat priuatarū literarum uis Triaria. Proh sancte IESV, q̄ hæc firma istorum præsidia, qui initis Ecclesiæ delendæ consilijs, in sublimi fastigio rerum potiuntur? Corda fenestras non habent (quod ęgre ferebat Momus) sed eæ familiares literæ fere sunt. Has quum nancisci se sperent aduersarij, nocere se posse putant. Nacti sunt, nocent nihil, Nisi forte nocere dicas, quod hæc techna autoribus summam afferet ignominiam apud honestos uiros, & perpetua damnabit infamia.

Dolori hic cum uenia indulgere poteram, quantumlibet is sæpe fide caret, sed uobiscum uiri non boni sobrie expostulare malo. Dicite quid rei uobis cū priuata epistola? Scripto alieno? Emisistis in publicum. Num iussu consensucp autoris? Num utilitatis communis

communis gratia? Visum uobis fuit bellum facinus, secreta proximi nudare. Hoccine docet Euangelion istud ita uestrum, ut CHRISTI esse non queat? Volu it id senatusconsultum uestræ ciuitatis, quæ alijs ius dare, exteris etiam optime constituta Republi. antecellere dicitur? Id ne decuit Academiam, quam lauda re etiam solebant inimici, quam ipsi Athenas facitis, Lutetię prę fertis? Exemplum tale imitabuntur Syneuangeli illi uestri? Vestigia hæc sequentur ciuitates uobis deditæ? Scholæ itē quotquot sunt uestris musis conditæ? Exorietur dogma, priscis inauditum, diuinis iuxta ac humanis legibus inuisum, mortalium omnium sensui aduersum, Nempe licere furari.

Non sumus furati. Equidem Achan & Verres hanc uestrā negationem accipiūt, quippe ipsi pinguiores fures. Sed perspicite mihi naturā facinoris, consyderate læsionem patientis autoris, et cedent uestro huic facto quæcūq; designauit & Achan & Verres. Pecuniam surripere, furtum intolerandum alijs est: At literas secretas surripere, nemo nō iudicabit intolerandum magis. Illud enormius, hoc nocentius furtum, si literæ conspirationes contineant. Cedit huic abigeatus. Quis enim nō malit ouem q̄ arcanam epistolam amittere? Nec peculatu longe est inferior ista uestra rapina. Salomoni non grandis culpa esse uidebatur, si quis furaretur. Nam furari eum, ut esurien-

tem impleret animam. Quid uero homo sapientissimus diceret, noua ista furandi arte inuenta, qua non furantur, ut latrantem sedēt stomachum, sed ut proximum suum, pro quo mortuus est CHRISTVS, opprobrijs opprobrantium omnium exponant?

Furamini literas alienas, ut noceatis non priuatim modo sed etiam publice. Quo maleficio nullum cō sceleratius. Nec de hoc tamen, tantum abest ut sumatur pœna, glorioſum etiam est, narratur cum alacritate audiētium, leuium hominum. Olim, Plutarcho referente, uocabantur, q̄s in furto deprehenderant, furciferi, nimirū a furca, quod plaustri lignum ignominiæ gratia gestare eos per oppida oportebat, qua ceu nota indicabantur, ne quis unq̄ talibus crederet. At uos fraudulenti, iudicijs bonorum notati fures, honorare debet Germania, prędicare furtum, dignū myrto et laurea? Pernegatis furtū. Admodum. Nam maleficium tale uestrū furto deterius est, igitur istud appellatione furti non assequar. Nescio uero qui secus appellem factum furto quidem maius, sed quod ipsum descendat ad furti imaginem. Cicero Marco suo scribit, Alterius incommodo suum augere commodum, magis esse contra naturam, q̄ sit mors, dolor & cętera quæ possunt corpori accidere. Hanc hyperbolam fortasse aspernaremini, nisi scholæ uestræ præsideret adamatus Cicero. Direptiones uulgares

præfert

prę fert ille malo mortis, quid dicturus erat de peculatu famæ alterius?

Commodum sectæ uestræ nostri nominis incommodo augere, et gloriam ex nostra ignominia referre statueratis, sed in diuersum cessit. Fit enim ut nos cõpilati apud bonos bene audiamus, uos cõpilatores uituperemini, ut inhonesti, malæ fidei, nulla grauitate homines. Dicemini Iudæ à furto non solũ, uerũetiam a proditione. Audietis Achareni apud posterius sæculum, atq; hoc nõ modo a facto Acharis, sed & nominis etymologia, Nemo enim funestius turbauit cõfuditq; omnia. Accedit scripturæ in uos sententia apud prophetam Zacchari. & apost. Paulum. Concupiſtis rem alienam contra legem decalogi, et eandem furati estis, abiecto metu DEI, contempto pudore humano.

Sectarum patriarcha Lutherus audebat incusare furti principẽ Saxoniæ, propter epistolam typis publicatam. Atqui furtum istud esse non potuit, quandoquidem epistola illa nõ uni solum cui scripta erat, sed alijs quoq; lecta ante fuerat quã uulgaretur, ut fere communis ex æquo omnibus esse uideretur. Præterea continebat, quod omnes Germaniæ principes scire retulit, nẽpe seditionis studium. Nam quale cõsilium alit hæc uere εὐαγγελικότατον optatio: ut absq; misericordia perdantur? Certe epistola Io. Cochlæi,

ut mihi uni scripta, ita uni lecta fuit, & continebat nihil seditiosum, aut quod pertineret ad ullam Reipu. turbationem. Epistolam ille suam esse negauit, quæ tam est sua q̃ est ipse Lutherus. Quæ negatio impudentior ne sit, an furti iniusta accusatio, nondum iudicare potui. Reo seruire oportuit Hieronymi scrinium, quum nihil longius discrepet.

Vos uero epistolam alienam e fenestra notæ domus fortuito cadentem suffurati estis, id quod perinde est apud omnem conscientiam iudicem, ac si e domo ipsa compilassetis eam. An ne furtũ manifestum fuerit, Si quis marsypium fenestra proximi ex improuiso lapsum, reperiat, repertũ humo tollat, sublatum exquirat, exquisitum sibi suisq; seruet usib. ac totum uti suum usurpet? Talis quoq; non inquiet, furatus sum, sed reperi marsypium. Verum hoc, at reddere debuit, quod alienũ reperit. Norat domũ e qua deciderat pecunia, in hãc afferri pecuniã oportuit, si reptor uoluisset furis trifurciferi notã effugere.

Mecum non alio modo per omnia agitur. Scientes, prudentes seruarũt isti sibi repertam epistolam. Si erant boni uiri (quorum laudem sibiipsi præ uniuersis sine fronte attribuunt) a pueris repertam schedam nõ accipere, non legere, minime omnium euulgare debuerunt, sed inspecta superscriptione iubere potius, ut illi restitueretur, ad quem fuerat scripta.

Hoc decu-

Hoc decuit uiros non ſolum bonos uerum & Euangelicos, quibus cordi ſit adagium, quo dicitur, Alterius literas & abacum non inſpiciendum eſſe. Decidit epiſtola in ambulachrum uicini mei, quod propylæi inſtar adeo a nobis mundum ſeruant, ut rubigine eo cadente offendantur, at epiſtola eo delapſa offenſus eſt nemo. Alioqui ſi duo nucis putamina in iſtud pauimentum incidiſſent, læſæ uiciniæ acti eſſemus, & fuiſſet nobis coram iudice rubendum.

Inimici ſunt uicini. Veriſſ. hoc (tametſi horum ego amicitiam eccleſiæ proditione non redimam.) Igitur ne mea re fraudandus eram? Docuerunt gentes, hoſti eſſe ſeruandam fidem. Quæ fides ueſtra ubi eſt? Fides publica ueſtro exemplo quæ erit? priuata erit in uniuerſum nulla. Promiſi, non ſeruabo. Dixi, negabo me dixiſſe, ſiquidem tales ſunt homines. Negaui, affirmabo in poſterum. Confingam de hominibus mihi inuiſis, quęlibet, & candidum in nigra uertam. Inueni hoc, meum eſto. Accepi, non reddam. Sed fidem fallere nephas alijs, uobis euangeliſtæ phas eſt. Epijces, id eſt bonum æquumq; etiam, non tantum ἀκριβοδίκαιον apud uos occidit, apud uos inquam, quorum nullum tam infimæ ſortis reperias, qui nõ optimus uideri alijs uelit & ſibi eſſe uideatur.

Moſes in Exodo præcipit, ut occurrentẽ bouem inimici, aut aſinum odientis errantem ſuam reducas

domum. Qua lege sanctissima uos uicini inimici, male mihi cogitantes, uigilantes in mei exitium, onerari nūc sentitis, si quid sentitis. Nam quanto magis erat domo lapsa epistola, domum remittenda, & inimico gratificandum hoc officio Christianæ charitatis? Poterat ille prunis beneficioli huius super se coäceruatis agnoscere sese, & uos pro uestro officio amore prosequi. Bos aut asinus inimici errās sæpe nescitur, quem habeat dominum. At epistola nomen domini sui præ se ferebat, ne qua excusationi rima pateat.

Sed excusabitis opinor ebriam commessationem, in qua statutū fuit ut æderetur epistola, proxime domum meam reperta (adeoque pene parieti meo hærens adhuc ac domino suo restitui anhelans) furtim ablata, furtim custodita. Nō excusat ebrietas admissum flagitium, maxime ebrietas Euangelistarum. Rabies erat potius, quam cōgeminauit potio. Nisi mentitur Plinius, uinū nascitur in Arcadia quod potanti rabiem importat. De illius genimine uos semper bibitis, sat rabientes etiam, si aquam biberetis, non Lyncestin, quæ cum sit aqua, uini modo temulentos facere dicitur.

Fortasse uolupe erat, inimici uerenda uidere, tenere clandestina. At quid uobis foret uoluptatis, si quæ uos uere conspiratis, coniuratis, decernitis in apertum prosiliant? O secreta ignoranda omnibus, & ipsi

& ipsi DEO iudici, uestros intra parietes. Voluptas hæc magno uobis empta dedecore, nõ diu durabit, sed eueniet uobis, q̃d quidam philosophus in Gellianis noctibus ueriss. censuit, uidelicet uoluptatem turpitudine accersitam, præterituram: turpitudinem uero ceu mercedem mansuram.

Ad ultimum in animo erat, ea æditione efficere, ne quis posthac ad me literas mitteret. Nostis literarum uicissitudine delectari amicos, uel ex Hierony. ad Niciam. Qua delectatione quoq; me priuare uolebatis, ne quid mihi in hac uita iucundum amplius relinqueretur. Sed uix ullus terrebitur ista audacia uestra. Mittent aliqui frequẽtius solito, & tanto scribent copiosius, quo magis uestra in me accrescit tyrannis. Neq; enim hunc ignem, diuinitus accensum restinxeritis. Oleum magis camino, ut dici solet, addetis. Non efficietis ulla arte ut rarius ad me, sed ut melius ut fortius scribatur. Audacia uestra, improbitas uestra, scelus uestrum faciet, ut scripturi ad me sibi certos nuncios prospiciant, utq; ipse inter uicinos tales cautius agam omnia. Sed o uicinos præ quorũ rapacitate nec literæ tutæ sunt, quæ à latronibus, pyratis, scurris, lixis, tutæ mihi sunt. Vos fraude mihi iniuriam feciſtis uulpes, ui facietis leones, ubi licebit. Licebit autem, ubi uolet dominus, cuius sum, siue uiuo, siue morior.

Hactenus

Hactenus de furto. Sed turpe factū decorare co-
nantur, hoc nunc obiter refellam. De turpitudine si-
bi cōscij sunt inhonesti homines, ob id epistolam pu
blice nō reddunt, quēadmodum eam priuatim ade-
oque furtim acceperunt. Reddunt enim non solum
uiolētiss. ac probrosiss. scholijs suis conspurcatam, ue
rumetiam paginis aliquot circūuolutam, plenis scur
rilium dicteriorum. Quo ausu fecerunt quoq; titu-
lum libello non modo mendaciss̄imum, sed a re acta
etiam alieniss. Neq; em̄ in recessu inuenire est, quod
in fronte promissum legi uoluerunt.

Arguit pinguiss. mendacium & hæc mea cōuersa
tio, & ipsa quoq; epistola rapta. Priore scripto aper-
te agit, posteriore obliq; idem artifex, & agit rē ean-
dem. Ea uero est aliud nihil q̄ furiose conuitiari, de-
inde ultra omnē modum uituperare, postremo glo-
riosiss̄ime mentiri, Hęc cum agunt, sua agunt isti pro
phetæ. Et agunt duplici de caussa, seu ut bilem suam
euomant, seu ut alios homines torqueant. Nimirum
hoc est malefaciendo respirare & maledicendo uolu
ptatem capere.

Porrò scriptorē dedecorosæ æditiunculæ e stylo
ut leonem ex ungue haud difficulter cognosco. Alit
Vuittēberga cornupetam quēdam, uocant Ionam,
Bionem alterum. Hunc, quando cæteris conuitian-
do præpollet, obijcit, quoties ab inimico aliquo, er-
roris ex-

roris expugnatore, sibi ea metuit, Callet latine Bion ille, sed ad diffamãdos homines. Habet paratos dentes, aculeos, ungues, quibus laceret, figat, fœdet proximum suum. A q̃ instituti gñe cum alij saniores abhorreant, ipse sibi in hoc excellere præclarum ducit.

Ego equidem neq; angor neq; discrutior, quòd Lutherus ad uigilias meas nihil respondet. Tu cum hoc dicis, uehementer fallere. Nam mihi nulla uoluptas est rixari, præsertim de confessa ac solida ueritate, cuius ego patrocinium suscepi in domino. Deinde uesanus sim, si usq; adeo desyderem responsiones uestras, ut quæ maledictiones esse & blasphemiæ solent. Quid enim respondetis aliud, multis etiam partium uestrarum testibus? Postremo non licebat per typographiam alijs alias responsiones arcere, nec sinebat temporis angustia, nec fortasse ipsa ualetudo.

Vos autem misere angi, quod alij in uos scribũt, uerisimil est. Loquitur hoc tota ista intemperies, totaq; rabies proprio quæ uos armauit lambo. Non tacet angores atq; cruciatus uestros, quicquid & dicitis & facitis. Sunt uero ij tanto acerbiores, quanto prælustrior redit e latebris priscæ Ecclesiæ ueritas. Est meo quoq; cordi cruciatus assiduus, non uestræ responsionis gratia, sed domus DEI, cuius me Zelus adedit. Is demum est luctus, qui Christianos decet, pro quo mundo isti: qui est uestra Ecclesia: blandi-

tur Terpſichore, iam olim Lutheranis initiata ſacris.

Laborat enixe homo inquietus, dū occaſione undeuis arrepta rationem ſcite reddit, cur non reſpondeant aduerſarijs Vitebergenſes. Eſt hæc autem illa ratio: Aduerſarij ſunt non homines, ſed nihili homines, hypocritę, ſordidæ feces, quiſquilię, nugaciſſ. nugatores, plebei & pueriles literatorculi, rudes & inſulſi trūci, theologaſtri, indigni propter inſignem malitiam, uanitatem ingeniorū et manifeſtam amentiam, quibus cum olitor in uia tria uerba patienter commutet, ſtultitiæ & impudentiæ mōſtra, uix mentis compotes, infantes, ſtupidi, hebetes, ſtolidi, aſini, ſtipites, per oīa inepti, fatui, uani, ſtulti, nouum in modum ridiculi, ſycophantæ, uappę, caudices, mali, indocti, audaces, nepharij, paraſiti, nebulones ſceleſti, ueteratores: deſino numerare conuitia, quæ tam anguſto libelli ſpacio diſerte proijcit Ionas conuiciator citra controuerſiam maximus. Altera rationis pars: Ipſi curāt magis neceſſaria & grauiora, q̄ ut aduerſarijs, non hominibus illis, reſpondere integrum ſit. Videte Germani qui cito adfici, ſero ſapere ſoletis, quo colore utantur in cauſſa mala prophetæ ueſtri. Vocate hanc ad æquilibrium excuſationem. Diſpicite quale hoc ſit perfugiū. Quid eſt facilius q̄ Antagoniſtę dicere: Caudex es, igitur nihil reſpondebo tuis diſputationibus? Prius uidendum erat, num ſit caudex

Vocant hoc vulgo / Laudes cānere.

caudex Antagonista. Alioqui suspicabuntur, si qui coram audiunt obtrectationem, te nolle, quia non possis, disputare, & caussæ infirmiori diffidere.

Nec paulo procliuius est, negocioſas occupatiões prætexere. Et quæ sunt illa grauiora et necessaria magis, quibus insistere uos oporteat? Vtinam illis negocijs, Ecclesię simul & Germaniæ pernicioſis aliquando intermissis, ea quæ DEI sunt, fide quali fieri debet, curaretis. Non latent nos uestra negocia, nec quenq̃ nostrum fugiunt artes quas exercetis uiri uestra sententia incomparabiles. Quod si maxime laterent studia uestra, abunde ipsi studiorum prouentus declarare poterant, q̃ non optimum sit, quod tam immodica cum arrogantia uos agere buccinatis. Vtinã utiliora Imperio Rom. ex intimis fontibus sapientię uestræ profluant.

Illud mirari subit tantummodo, unde nam compertum habeas tales esse aduersarios, quales tuo more pinxisti, siquidem bonas horas legendis horũ scriptis collocare piget. Quo tu iure quæso pronuncias de hominibus quos nõ nosti? Ais te mea nõ legisse, Lutherus scribit se ne uidisse quidem, Nec hoc fortasse mentimini: Qua igitur cognitione non damnare solum, uerumetiam ex hominum natura eijcere, et ex homine non pecus (quod te aliquanto clementior Circe fecit) sed insulsum trũcum, sed sordidam fe-

 cem, sed

cem,ſed uappam facere me audes? Tantidem tibi uita moreſq; mei cogniti ſunt, neq; tamen ſceleſtũ me nebulonem,nepharium,ueteratorem &c. publicare dubitas?

Vbi lex DEI, Non accipies rumorem mendacij ſiue uanitatis? Vbi hæc, Non mentiemini, Non facies calumniam proximo tuo? Quando auditur Nicodemus, cuius optimam ſententiam Ioannes Euangeliſta non dedignatus eſt ſcribere, Num lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo & cognouerit quid faciat?

Omnes eruditi & tui uiri boni, quos tu ſane fraudulenter, nec unq̃ in loco appellare ſoles, ſi ſunt eruditi & boni, adhibebunt cauſſæ huic iudiciũ ſuũ atq; ſententiã ferent, nũ ſic tractari hõ ab homine debeat, uel in media Barbarie, num ſit officiũ Chriſtiani, uſqueadeo omnis pietatis atq; uerecundiæ obliuiſci.

Non ego auderem de Lutheriſmo & huius ſectæ dogmatibus uerbum unum publicitus ſcribere, niſi mihi eſſent omnia cognitiſſ. niſiq; me aduerſarijs cõfirmare, quæ ſcripſi, poſſe confiderẽ. Iactitant ſe nolle reſpondere ulli noſtrum, & hoc, quod nolint, glorioſum ſibi eſſe exiſtimant, quum interim iaculentur codicillos famoſos in capita honeſtorũ hominum, ac pro cathedris ſuis priſcæ Eccleſiæ amatores quotidie non dicendis cõuitijs inceſſant, & id uſqadeo, ut niſi

ut nisi ipsi facerent, nemo crederet mortales sic posse facere. Ipse profecto non credidissem, humanam naturam eō iniquitatis posse ferri, nisi Ionas in me nūc quinquies fuisset crudeliter inuectus.

Opprobrat mihi nō semel gloriæ cupiditatē, præterea opum ac dignitatum: atq; ijs commodis meis gloriam DEI & utilitatem proximi posthabere me, Imo omnem religionem contemnere clamitat. Quæ incusatio si in me hæret, merito condemnar, ac, quēadmodum secta Lutherana de me inq; me et dicit et scribit, ab uniuersitate Christianorū esse existimer. Addo maius, si ita facio, si est iniquitas hæc in manibus meis, conculcet inimicus in terra uitā meam. Audeo atrocius loquī, si uerum est cuius hostes Lutherani me condemnant, delear de libro uiuentium & cum iustis non scribar. Iam olim disco cuius nomini debeatur gloria, quibus contra ignominia. Nec dubito meam fidem, studium atque uoluntatem apud omnem conscientiam testari, q̄ cupiam & suspirem omnia in omnibus ita administrari, ut hinc glorificet atq; sanctificetur nomen DEI Opt. Max.

Debebat ergo inimica secta, si uirtute ulla niteretur, probationes euidentes afferre in medium, quib. incertum certum faceret, me uidelicet gloriæ esse cupidum. Nam si is est gloriæ cupidus qui concionat, quiue scribit, ipsi Lutherani etiam atq; etiam gloriæ

cupidi sint oportet. Iam excutiatur, quod ego, quod ipsi ædiderunt, & primo statim intuitu liquebit, me modeste, illos omnia ambitiosiss. scripsisse. Videor ego mihi, multo plura nescire q̃ scire, et uix posse unquã assequi, cur doctus esse iudicer. Quales sibi contra uideantur Lutherani proceres, quę sit illorum arrogantia, quæ superbia, iam diu totus orbis perspectissimum habet.

Quid illi obsecro nescire se putant? Quibus se nõ præferunt? Quos præ se non contemnunt? Vbi frequentius auditur iactantia? Vbi gloriationes copiosiores? Quæ omnia profecto inani gloriæ seruiunt, cuius ipsi cupidinem mihi tribuunt. An non hoc omnibus uitium est Lutherismi propugnatoribus, quod sunt inobedientes, contẽtiosi, nouatores, pertinaces. Est hoc quidem adeo certum, ut muti de eo propemodum loquantur, & tam conspicuum, ut fere cæci uideant. At huiusmodi qui sunt, utrum prę se ferunt animum Christianæ modestiæ, an gloriæ populari deditum?

Quid sibi uult aliud, tota Lutherana fabula, nisi gloriam? Quid tot & tam uarijs modis ibi quęritur, nisi gloria? Quemadmodum em̃ Babylon propter affectationem nominis exædificari cœpit, ita ex ambitione omnes oriuntur hæreses, quarum hæc uox est: Faciamus nobis nomen. Pręterea quid resipiscentiam ab

tiam ab errore, & Orthodoxiæ confessionem remo ratur, nisi gloria? Nam multi redirent ad sanam men tem, si uellent dispendiũ glorię facere, & subire igno miniæ periculum. Etenim ut hæreticos parit gloria, ita eosdem reddit obstinatos.

Equidem hãc ego gloriam cum illis communem habere potui, si libuisset esse, quod ipsi nũc sunt. Po tui ascẽdere in cacuminis Lutherani partẽ aliquam, & glorioſus ipse quoq; e sublimi despicere cæteros homines, inuidere bonorum uoluptatib̃us, impedi re pias operas, & iam gloriarũ honorumq; ad sum mum satur alijs, qui pro sua uirili studerent Rempu blicam iuuare, obijcere gloriæ cupidinem, quemad modum isti nunc faciunt, si maluissem conscientiam meam uulnerare & fratribus meis exitij esse author. Nunc autem Catholico mihi, CHRISTO gratia, dece dit gloria mundi huius & plausus & acclamationes & præconia, & amores & laudes uulgi, precium ni mirum sectæ. Neq; tamen non sunt, qui immerito non ultimum honorem habeant, quorum fortassis uni placuisse præstat, quàm trecentis sectarijs. Non sequor titulos, sed tituli me sequuntur, et illi aliquan do ampliores q̃ par erat meo modulo.

Quibus uero indicijs colligunt, me dignitates ue nari, opes sectari, uẽtri indulgere, esse parasitum etc? An quia Lutheranus esse desij? Igitur qui Lutherani non

non sunt, eiusmodi faciunt. Qui sunt Lutherani, ab ijs rebus puriputi uolant? Certe quando adhuc pars eram, nemo uel suspicabatur me auarũ esse, Imò omnium testimonio prædicabar hostis auaritiæ. Nunc uero partis exors, qui fit, ut traducar probrosis nominibus, si non odio resipiscentiæ? Precor Opt. Max. CHRISTVM, ut accusatores mei auariores non sint, atq; ego. Res manifestiss. est, ut pluribus haudquaq; opus sit. De dignitatibus & præbendis (loquor aliorum more) satis mirari nequeo, quid sibi uelint isti uitiligatores. Quis unquam audiuit Vuiceliũ aucupari præbendas? Displicuit mihi ista præbendarum uenatio olim etiam, quando illorum mererem stipẽdia, homini uidelicet, cui sine labore, de labore alieno uiuere, nunq; uisum est honestos decere uiros. Non ierim inficias, posse mihi nunc bonas felicitates contingere, si cupiam, aut etiam si postulem, sed præsentibus contentus esse didici, & onerare conscientiam, magnum malum existimo.

Vobis Lutherana capita nemo exprobrat præbendas. Et has tamen, ut multum, cupitis, has captatis, & funditis sæpe supplicationes impudenter adulatrices ad deos, ut has ceu auctaria uestris opulentiss. cẽsibus propitij adijciant. Impetratis. Sunt enim uobis benigni dij, possidetis, fruimini. Si non existerent papisticæ præbendæ, algerent ex uestratibus & esurirent

esurirent multi. Nec haberent quidam nobiles, unde suum sustineant sumptum et feroces illos spūs alant, nisi essent præpositurae, abbatiæ & id genus odiosa uocabula, res charæ. Dissimulantur eleemosynæ tales, inditur rei aliud nomen, ut est penes uos quidlibet definiendi potestas, & interim mendici mendicis præbendarum alijs pungitis hulcera.

Mirum in modum acerba animi uestri ægritudo est, quod a uobis retecta, reiecta, protrita Beneficia sacerdotum, ut uocant, habere alij debent, uos non item. Illis fortunis si utantur alij, impietas est, At si eę uestræ cupiditati contingant, nihil hic nisi pijss. Atqꝫ ita nomine Euangelistę, re uero papistæ libēter estis, Nā, ut ille inquit, oportet habere. Sed illi, dices, opimo censu abusi sunt turpiter, nos secus. Equidē mihi nondum constat, utrum illi, an uero uos turpius de sudore alieno uiuatis. De illis nota omnia sunt, et tamen extiterunt non pauci, quos suo censu abusos esse, nemo bonorum dixerit: Vos affluēte Mammona & congestis undiqꝫ saccis ad euersionem rectioris doctrinę, adqꝫ nouę istius uestræ firmandā arcem expugnabilem confidēter utimini. Hoc ne abuti est?

Ventris negocium me qui curare quiqꝫ traducit consectari τὰ βιωτικὰ, & sic amplecti rem, ut huius causa homo pessimus gloriæ DEI obsistam & charitatē extinguam proximi, eum aut pietate omni aut com-

muni sensu carere necesse est. Sed profert nunc hæc ætas homines, aduersus quorum iniquiss. iudicia frustra tueare innocentiam, q̃tumuis conspicuam, quib. inquam, si suo corripiantur morbo, uel ipsi Fabritij & Catones omnes esse non possint, id quod magna cum laude fuerunt, sed hoc eos esse oporteat, quod tales homines pro suo affectu uolunt. Magnopere adnituntur Lutherani, nõ omnes, sed pauci quidam nomini meo peculiariter infensi, Coryphæi in suo regno, ut persuadeant etiam repugnãtibus tam impudens mendacium. Nam quod obijciant aliud, non inueniunt miserandi, & hoc ipsum tamen quod inuidiose finxerũt, falso obijciunt. Quo nisu, tot nunc libellis suis sibi lucrifecerunt appellationem uanissimorum hominum.

Adparet opinor, egone, an ipsi uentri seruiant, q̃rum uidelicet plusculis in solo, ut ait Satyricus, uiuendi caussa palato est, quod scomma ille a Socrate accepit, Nam is solebat dicere, multos uiuere ut edant, se uero edere ut uiuat. Extãt signa minime fallẽtia, quibus conuincantur. Fatentur de ueritate obesi uẽtres, rubentes ac tumentes bucculæ, nitor cuticulæ, & tota ista muliebritas, tota mollicies: sola lingua negat. Præterea non obscure admodum indicant DEI uentris negocium murmura illorum & quærelæ, quæ semper in concionibus suis exaudiuntur. Quotidie

culpatur

culpatur liberalitas & profusio Ciuium pristina in Monachos, in Altaria, in Imagines: & iuxta expro-bratur eorundem tenacitas erga Lutheranos. Quo peculiari mendicandi genere quicquid uolunt fere extorquẽt, uiolẽti nimirũ mẽdici, ne dicã exactores.

Coguntur ciuitates dare suis concionatoribus, q̃-tum illi cõcupiscunt. Id quod si recusent, uerbo DEI, si dijs placet, ita fulminãt, & minis euangelicis ita ter-rent, ut exactores quoslibet clementiores esse prę his deieres. Pristinam profusionem non eo carpunt, ut contrahatur, sed ut in sese illa redundet, quemadmo dũ antea in monachos & sacerdotes. Hinc est quòd ita desyderant canonicatus, quod ita diripiunt alie-nos thesauros, quod ita raptãt monasteria, quod ita esuriunt horum latifundia, ꝙ ita sitiunt horũ lacus, ꝙ ita auent horum hortos, syluas, uillas, prædia &c̃. neꝙ tñ auari sunt. In alios uero toti incandescunt, q̃-ties inuidentia sua stimulantur, Alij sunt auari, om̃ia habentes, uentri seruiẽtes, Epicuri, In alios acuuntur conciones, In alios contorquetur Bibliorum transla tio: Vsque adeo non possunt illi homines suam suis in oculis uidere trabem & hanc indolatam.

Nec dissimulat forũ, egregie uẽtricolas esse euan-gelistas. Nihil enim ibi tam magno uenditur, quod Apostoli illi non abliguriant. Non quæritur, quan-ti ueneant lautissima quæqꝫ, sed an ueneant, atqꝫ hoc

non sine indignatione ditiorum.

De mũdi seruitute clamat uestitus luxuriosus, cui abundantię si quid addetur, nõ apostolos, sed Troiugenas Centuriones procedente tempore habebimus, & ex Apostolissis nescio quæ agalmata. Hęc et huiusmodi omnium oculis patent, & nihilo minus paucis contenti, de nullo soliciti, egeni, frugales, alieni à dijs Ventre & Mammona uideri uolunt.

Pulchrum sane, quibus trecẽti amplius aurei obueniunt, quibus tot dona, tot adminicula, tot immunitates adduntur, illi mihi nunc obijciunt hoc quale cumq; salarium, quod neq; precibus extorsi, neque blandicijs emerui, neq; improbitate mendicaui, sed ultro oblatum est ab Heroë inimicis etiam laudato. Obijciunt mihi pecunię studium homines pecuniosi, homines qui fragmẽta argenti reponunt, qui coâceruant Cyathos argenteos, quorũ mulieres et istud gynæcion apostolicum torques argenteos, & anulos aureos & monilia gemmea, et phrygianas holosericasq; uestes gestat: Et mihi obijciunt, qui usqueadeo non nummos contemplor in arca, ut mihi omino iam celebre illud Petri uerbum ad claudum competat. Ære paruo (si ad pontificalia euangelistarum conferatur, mihi tamen uidetur esse non paruum) uictito, & illud, unde uictito, magna ex parte cõmune mecum egeni habent: CHRISTO laus: ut de hac uoratrice

uoratrice ciuitate nihil memorem. Nec mihi animus est, diteſcere. Quin abhorreo etiã a poſſeſſione opũ, & quærere pecunias huic pectori diſplicet, Quas diſpergere q̃ colligere, non ſolum præclarius duxi, uerumetiam ſemper malui, & hac hora necꝫ ſentio neque afficior aliter, quantumlibet amicis diſſuadentibus. Nam illi imprudentem me dicunt, quando ad rem minus ſum auidus. Quod adeſt ſobrie ac frugaliter utenti, boni conſulo, Et de uictu ueſtituꝫ moderato, quæ eſt Chriſtiana ſufficientia, quotidie ago gratias cœleſti patri, Et uideor mihi ſæpe Cræſus aliquis, quum ſuppetit neceſſitati meæ, in quantum ſitis atꝫ fames & frigora poſcunt.

Illud oppido q̃ iniurioſum, ꝙ me paraſitum καὶ ἄλφιτα rogitare criminantur. Sic gaudent exquiſitis criminationibus innocuos inſectari. Teſtabuntur prꝫter amicos, omnes noti mei, nihil alienius eſſe a meis moribus q̃ paroſitico quæſtu rem parare, Nec aliud minus cõgruere ingenio meo, q̃ adſentari omnia, ultro adridere cuiuis. Deierare poſſim, me mihi nulli⁹ uitꝫ minus eſſe cõſcium, atꝫ aſſentationis. Et ob eam cauſſam rarius menſa aliena accipior, imo fere nunq̃, nec idoneus habeor, qui inuiter ad ulla collo⁹ quia ciuium, quiꝫ roger primorũ intereſſe gaudꝫs, quãdo uidelicet illis genio ſuo indulgere certum eſt. Auſteritas in paraſitum nõ cadit, præſertim alꝫs ex⁹

hilaratis. At ego multis Cato quidam sum, & corrugata frõte melancholicus, ad Threnodiam q̃ ad Musicam aptior.

Viderint autẽ Criminatores, ne ipsi parasiti merito suo appellentur. Certe multum affinitatis habent cum illo Terentiano, Et is quęstus nunc in nouo populo est longe uberrimus. Et sunt, qui nihil pulchrius existiment, q̃ aliena uiuere quadra, & tales nimirũ ad splendida diuitum conuiuia oblectationis gratia frequentius uocantur. Tales commessatores et Lurcones quid uetet parasitos dicere?

Noui, qui Gnatonicen adeo exerceãt, ut ipso Polycrate feliciores sibi esse uideantur, dum uelut porci Anthonij epulatum obambulant, & alieno cibo saginantur, neqꝫ minus tamen sancti Euãgelistæ sunt. Non dicã parasitos eos, qui se ultro insinuant in amicitias Satraparum, & ut diuitum fauores emereant, faciunt omnia?

Ego plane κατοικίδιος fumoso de lardo esitans, probrum fero, illi alienum cibum opipare gurgitantes, laudem merentur? hæc illa est tenebrarum potestas. Mundus quod suum est diligit.

Sed quid mihi toties famem, cuius gratia debeam ad Ecclesiam redijsse, opprobrat Sycophanta? O inuidiam plus q̃ Cainicam. Dolent me isti uiuere: igitur inuident ꝙ edo. Non debeo aura frui, ideo nec

pane.

pane. Contuli me ad seruitium Ecclesiæ publicum, non sine uocatione. Hanc si opus fuerit, bonis uiris probabo. Tale uero quia feci, patior calumniam.

Sed dolum malũ cur non retego? Hostes DEI Lutherani adeo oderunt ueterem Ecclesiam, ut quotqt ad hanc e Secta sese recipiant, opprobrijs amarissimis insectari decreuerint, ut ea improbitate coherceãt multitudinem. Me certe non ita persequerentur, nisi implacabili odio odissent Ecclesiam, ob quam ego male audio inter hęreticos. Norunt uitiosum esse etiam apud gentes, si quis lucri causa male faciat, Quare statuerunt illo nos infamare nomine, siquidem malefactũ ipsis est, si quis ex schismatico fiat Ecclesiasticus. Quanta callidítas ueteris anguis.

Iuxta eãdem artem, si libeat malos imitari, possim ego quoq; disputare: Qui ab ecclesia ad sectam deficiunt, faciunt istud propter famem, nõ facturi, si suppeteret uictus. Et probabilius hoc foret, quando quidem in secta uberior annona est, Etenim qui hic uix quadraginta aureos in annum acceperat, is apud Lutheristas centum dari audiens, repente deserta Ecclesia ad sectam transfugit. Quid illum transfugam in in sectam traxit? Quid, nisi amor habendi? Leguntur quidam hæretici suis presbyteris indulsisse facultatem congerendi diuitias, quo nimirum fauerent magis recepto dogmati & diutius durarent. Nihil dissimile

mile agunt nunc isti nostri, sparsuri in plebem nummos argenteos, ut reliquam illectarent, si desydera tas haberent gazas. Sed illud quod habent, prodigi ose diſperit, quamuis diligenter corradant omnia su per faciē terræ, & præterea in cor terræ fodiant ad hibitis ariolis, si forte queant Antichristum anteuer tere. Exemplorum copia ubiq; ingens est.

Multos noui, qui quum fuerint sordidi opifices, urgente fame concionatores mox facti sunt, & tales sunt sine crimine, quia Lutheranæ partis. Ego certe si amauissem opes, a uobis Germaniæ parum germa ni Apostoli non discessissem. Poteram em̄ apud uos multū habere, uestro q̄ppe spiritu indutus, & Euan gelij quæstu parta pecunia uel census condere, sicut aliqui Euangelistæ faciunt, uel magnificas domus, ui neas & hortos emere, sicut multi euangelistæ faciūt, quorum nonnulli ante suum Euangelion omnibus Codris et Iris pauperiores, om̄ibus Vatinijs & Me uijs despectiores quum fuerint, nunc ita res suas ad ministrant, ut ipsis desit nihil uel pecuniæ uel glorię. Sed quemadmodum in secta ditescere nolui, ita nec in Ecclesia, ne quo modo fiat, ut cum alijs prædica rim ipse reprobus efficiar.

Porro si calumniam aliqua honestatis specie com mendatam uolebatis, primum attinuit euincere, me nihil sensisse de ecclesia, usq; dum huc uenissem. Hoc si obtinere

si obtinere poteritis, non pellam probrum. Digniss. enim eo sim, si antea Lutheranus, id est persequutor Ecclesiæ, tum primum contra Lutheri sectam senti re cœpi, ubi res contigit. Ad quem modum multi le uiss. uiri ad uos desciuerunt, nempe ad odorem bo næ fortunæ, quum illi nudiustertius infestiss. uobis fuerint. At ego toto ante biennio uobis ualedixerã, & operam Ecclesię catholicæ impenderam, cuius rei fidissimi testes libelli sunt, ante nimirum mihi scripti, q̃ huc commigrarem. Quando uero expectaui uo cantem dñm Messis, euenit ipso uolente, ut hoc pu blicum munus susciperem, urgente cõscientia. Nam seruire Ecclesiæ debeo, quocunq; tempore: maxime uero tempestate hac grauissima: & quacunq; fortu na. Debeo officium proximo meo, siue abundẽ, siue penuriam patiar. Tum egui aliorum, quis nescit? At alij mei quoq; eguerunt. Si ego spiritualia alijs com munico, magnum ne est, quod carnalia unius homi nis meto, citra grauamen aliorũ, qui meo dono fru untur? Et ne illius quidem carnalia accepturus sim, si meis possem stipendijs militare, adeo libenter gra tuitum efficerem Euangelium CHRISTI.

An non dignus sum mercede, siue, ut Matth. ait, cibo meo, operarius in Euangelio DEI? An non ha beo potestatem accipiendi ad necessitatem, sicut uos accipitis ad luxuriem? Quod si ego propter farinas

Euangelium adnuncio: quod confirmare nulli poteritis: quam ob rem obsecro uos concionamini? Nihil hic respondebitis, q̃d refutare non facilime queam, quando constat, omnem fere culpam, quam in alios conferre soletis, in uestras ceruices recidere. Palam est, uos ea quærere, quæ sectæ & domus uestræ sunt. Palam est, ecclesiastas uestros inexplebiles esse, semper in suggestis de uictu conqueri, uictum rogare, poscere, exigere, pro uictu cõtendere, ob uictum communiones grauare. Palam est, uos de crastino q̃ solicitiss. esse, capaces, si quid datur, tenaces si quid dari debet, thesaurizare, timere futurã inopiam, & hac de caussa denicq; publice adulari principibus uiris, & priuatim assentari diuitibus, cuiusmodi multa docet fames, non huius uestri temporis, sed sequẽtis, quod forsan auguramini.

Hæc & id genus alia quæso nihil ad farinas? Hæc ipse quando facio? Certe alius nõ forem, q̃ qui sum, nec scriberem aliud, q̃ quod scribo, etiam si huc uenissem nunq̃. Neq; enim (testis est DEVS & conscientia mea) ad hominum ullorum uel preces uel minas calamum muto. Nec corruptionis suspicio ulla esse potest, quoniamquidem hactenus nihil munerum à quoquã accepi, Et mihi ita est constitutus animus ut corrumpi muneribus, si quæ posthac mittantur, minus possim q̃ plagis uinci. Certum est mori potius q̃

CHRISTVM

CHRISTVM & Ecclesiã prodere, siue addas siue adimas. Vos si potestis de me iudicatote iniqus, ut estis iudices iniquiss. Nam mihi in posterũ nihil molestũ est, quicquid affectib. arbitris inimici iudicaueritis.

Sed cœptum prosequar. Declarat farinę studium uestra crapulatio, cui uidelicet seruiunt istæ querelæ cathedrales, & rogationes et extorsiones. Vestrę cœnæ Apostoli, si quando ardiusculæ & sine transmarinis cõdimentis sineq; uino sunt (eiusmodi enim opinor noua esse ieiunia in nouo Christianismo) si tñ unq̃ tales sunt, longo interuallo præcellunt meas sacerdotales. Et Melitæi uestri non commutarint suas micas ac bolos, male unctis paruulorum meorũ offulis. Sępenumero titillatis Adamum meum et prouocatis ad desyderium adq; æmulationem exempli uestri, adeo est deorum, ut dici solet, uita, quam uiuitis, & cuius munimen concio uestra est. Nec tamẽ id uobis putatis uitio uerti posse, sed suffarcinati argento, & Persico apparatu saginati, CHRISTVM paupe rem ac ieiunantem sequi, & alijs paupertatem expro brare statuistis.

Me certe nõ pudet paupertatis, utpote quæ professioni Christianæ congruit, & sapientiam præ opulentia sortitur. Conuicium Iscariotis alibi purgaui. Graues uiros huiusmodi uanitas minime decet, quã illi nunc toties tanta intẽperantia repetunt. Fortassis

experientur Germani,in quorum nimiũ bibulas au/ res ueſtra uomitis,ego ne, an uos triginta argenteos illos uenemini.Idoneus uobis ſum.ſ.cui perpetuo il/ ludatis.Patiar & hanc contumeliam, quando ita uo luntas DEI eſt.

Profecto ſi minus oſtenderent cæteræ de perfido Iuda ſcripturæ,nemini obſcurum eſſe queat ex cente ſimo octauo Pſal.qui nam Iſcariotę ſint. Notat illos ſine diſſimulatiõe propheta, quũ ſuo penicillo Pro/ ditorem illum expingit. Nec perinde aliud quadrat in Lutheranos,quorum ingenium uitaque ad Iudæ imaginem accedit. Sed quemadmodum de Iuda ſcri pturæ ante non intelligebantur,quam ueniſſet hora reuelationis ipſius: ita noſtri,in q̃s anima Iudæ pro/ rupto corpore euulſa immigrauit, tum primum no/ ti orbi erunt, recepta mercede iniquitatis, q̃n perfe/ cerint,quod faciunt. Interea Iudas agebat apoſtolũ, qua exiſtimatione illi quoq; noſtri nunc, cæcato ni/ mirum orbe,ſuauiſſime fruuntur.Inſpiciatur Pſalm. Nam ut os impiũ atq; doloſi Iudæ ſuper unctum do mini apertũ fuit, ſic in me(ut de tot alijs ſileam) ape/ ritur os ſectæ huius.An non loquũtur de me lingua mendacij & uerbis odij circundant me, & pugnant contra me gratis,ſicut ſcriptum eſt de Iuda? An non pro dilectione mea exoſum me habent et pro bonis mala contra me ponunt, ſicut ſcriptum eſt de Iuda? An non

An non persequuntur me egenum & pauperem, atq; adeo captant in me, ut compunctum corde interficiant, sicut scriptum est de Iuda? An non diligũt maledictionem, malentes maledicere hominibus, & maledici a DEO, q̃ benedicere & benedici, sicut scriptum est de Iuda? Nonne loquuntur malũ super animam meam, quotidie confingentes & diffamantes? Nonne factus sum eis opprobrium, contra quem uidentes mouent capita sua? Nolim iam cætera persequi, Nam hic nihil coactum. Ipsa facta suos Iscariotastros e uerbis propheticis sine difficultate indicant atq; proditores produnt.

Pari uerecundia scribit author dedecorosi libelli, Io. Cochlæum & me agitare inter nos consilia, sentiens nos in occulto colludere. CHRISTVS cordium cognitor testis est, me cum nullo homine neq; per literas neq; per sermonem quicq̃ clãdestinum aut aliquo dolo agere. Hic nulla est uersutia. Animus uero mihi est ut libertatis, ita lucis amator. Negocium Ecclesiæ, in quo uersor, non indiget clandestinis consilijs, & omnes prorsus respuit insidias. Cor meũ aperire nemini possum, at chartophylacium possum, e quo depromere literas quum meas tum aliorum & legere priuata omnia cuiuis liceat.

Nec præ se fert Cochlæi a Lutheranis perfide uulgata epistola, quod iste calumniatur. Quid enim illa

nisi familiaria continet, qualia amicus amico pro ratione temporis solet scribere? Sed ex suis ingenijs alios libenter iudicant Lutherani.

Vide uero, quicunq; hæc legis, q̃ uolupe sit aduersarijs meis cretizin. Librum suum contra Ecclesiam adeo mendacijs farserat pius Ionas, ut non potuerit capere uniuersa quæ supererant quantumuis sinuosus liber. Quare nũc unum ex reliquis grande profert, & usqueadeo illustre ut totum efferre pudeat, uidelicet de p. meo. Non sat habet meam conspurcasse bonam famam, nisi et meorum detraheret opinioni. Amens es Iona, si istis diffamationibus doctrinam meam restingui putes. Nam nemo est tam stupidus, qui hanc technam nõ deprehendat. P. meum iuuit alea iuuenem, & is solitus fuit cum æqualib. talos in pyrgum mittere. Tale calumniator ita defert, quasi alea ceu quæstuoso artificio panem quæsierit. Qua malignitate cupit uirum laudata grauitate & ciuilis iustitiæ tenacem, ad hæc ciuitatulæ suæ præsidium nõ minimum, infinito mei odio dehonestare, ut ignoti Pollionem quendam aut Nomentanum nepotem hunc potius q̃ consulem fuisse suspicentur.

Porrò si lusores reprehendendi sunt, ut fateor maxime, nemo magis repræhendi debet, atq; uos euangelistæ, quibus sine alea non est gaudium, quibus inquam, simul atq; mensa sublata est, ad casum tabulę,

ad char

ad chartas minime ſteriles, propendet animus. Inſuper conſentitis aleatoribus, & a peccato factum aſſeritis. Teſtis Ionas, qui in Beltziana inquiſitione contra me defendere non dubitauit, quòd liceat euangeliſtis aleam ludere, & probauit iſtam doctrinam pijs conſcientijs cõſolatoriam exemplo Leonardi Keſer martyris, quia is dum uixit luſit. Sed ſi ita commodet cauſſæ publicæ, poſſim ego p. Lutheri tui homicidam dicere, Poſſim tibi Iona degulatum patrimonium obijcere &c. ſed nolim imitari tuam in diffamando inhoneſtiſſ. conſuetudinem. Inſtitutum meum eſt, pro ueritate catholica diſputare, non proximos meos conſputare.

Cæterũ illud pro delectamẽto ſuo habet, hoſtes, ſuos papiſtas mihi quoq; eſſe iniquos. Iõ Bacche. Tale ſæpe, ut omĩa, repetit, exiſtimans ſeſe afflictionem addere exilio meo, quum mirum in modum, ut alibi deſipiat. Papiſtas ego ueſtros neſcio, Catholici, id eſt ij quibus cordi eſt ſana doctrina & priſcæ Eccleſiæ ſanctimonia, me certe odiſſe non poſſunt, quandoquidem dicuntur auide ac ſpe nonnulla diſcendi legere uigilias meas, quãtumlibet aſpernandas. Et horum magna pars agit mihi gratias (quas ego CHRISTO authori refero) q; ipſis inter iſtos uariarum opinionum anfractus ſolidam ueritatem mea qualicunque opera audire contingit. Quod ſi alij fortaſſe in-

auſpi-

auſpicatiores exiſtunt, quorum palato non facio ſatis, præceptori CHRISTO committo præſtandum. Quibus antiquiſſ. Orthodoxorum literę diſplicent, illis ego placere non cupio. Sed & tales non ſolum, uerumetiam ſaniores Catholici uobis iniquiſſ. ſunt, neq; propterea tamen uidemini uobis errare. Nec eſt inter omnes homo, quocunq; modo eccleſiaſticus, qui ueſtra probet.

Verum illorum ſententiam ut non ignoratis, ita non magni æſtimatis. At quid dabitis iſs, qui quum ſint Lutherani, de placitis tamen ueſtris & de cõuerſatione ueſtra nihilo melius prędicant. Sim uaniſſ. ni ſi talium magna eſt ubiq; multitudo. Omnes ueſtra de turba uos tacite atq; reuerẽter quidem audiunt, ſed non omnes ſibi penitus perſuaſerunt, ueſtra placita CHRISTI eſſe Euangelion. Atq; ad eam dubitationem adducit illos, dogmatum anniuerſaria uarietas, & uita ueſtra carnaliſſ. Vides calumniator me quoq; mihi poſſe plaudere, tuo exẽplo, ſi liberet delyrare, tuo exemplo.

Poſtremo de uentis Lutheranis non potui facere quin duo triaue uerba apponerẽ. Equidẽ ad amuſſim congruit, ſi confiteare uentos Lutheranos eſſe, quos nimirum Lutherani paſcitis, et quibus egregie inflamini. Certe habetis undiquaq; plurimum affinitatis cum uentis, quibus ut nihil eſt leuius inconſtantiuſq;, ita

tiusq;,ita nihil turbulẽtius.Liquet uero nemini non, quantum uos a leuitate,ab inconstantia,à turbulentia absitis. Verum si uẽti Lutherani sunt, periculum est,ne imbres Cæsariani fiant.

Sed est agendum mitius,Fauet uobis indubie à Iunone exoratus Æolus, sed frustra ille uim incutit. Nam Ilione pereũte necesse priscam excitari Romã, nõ solum Iunone uestra, sed inuito etiam inferorum rege Plutone. Inuidiosus Æneas per tot discrimina rerũ seruabitur.Nulla potẽtia excindet inuictum uirum.Ruant uẽti Lutherani, perflent turbine terras, quod faciunt,Incumbant mari Eurus Nothusq; uester,uoluant uastos ad littora fluctus, non impeditur consilium DEI.Non mergetur adeo nostra quãuis quassa nauis,in qua filius DEI sedet. Audient uero aliquando Lutherani uenti,non à Neptuno,sed ab ipso CHRISTO:

Tanta ne uos generis tenuit fiducia uestri?
Iam cœlum terramq; meo sine numine uenti
Miscere,& tantas audetis tollere moles.
Quos ego. Sed motos p̃stat cõponere fluctus.
Post mihi non simili pœna commissa luetis.
Maturate fugam.

Q; de uentis uestris non eo dixerim,ut adstruam de ueris uentis fictionem uestram,& illorum in me uiolentiam incusem, sed quia sic libuit occasione cõmo-

a da uestras

da ueſtras aures uellicare. Non me uenti ulli lęſerũt, ſed lædere conatur ueſtra audacia, ſi ullo modo queat. Quo compellunt uos uentoſa dogmata, e uentoſis atq; etiam uentrioſis ſpiritibus ſua uidelicet origine pullulantia.

Nec plenæ rimarum meæ feneſtræ ſunt, ſed uos pleni eſtis fictione, fraude & iniquitate, idq; adeo ut ubertim exundetis, non tantum hac atq; illac perfluatis. Quid enim non fingitis, quoties aliquid in aduerſarios molimini, poſteaq̃ ora ueſtra ueritas deſeruit? Fraus uero an non eſt: ut iam de alijs ſileam: iſta alienæ epiſtolæ publicatio, ignorante non ſolum eo qui ſcripſit, uerumetiam nolente? Deniq; an non eſt iniquitas, et eadem ſumma, quicquid per omnia mecum agitis? Quando ulla uel ſpecie æquitatis eſtis erga me uſi? Debuit a uobis impetrare mea innocẽtia, & exculpere tanta obteſtatio, & obtinere ciuilitas, ut ęquiſſimi erga me et tales ſitis, quales erga uos alĳ ſunt: At hac pręmẽte neceſſitate, illud dũtaxat optarim infelix, ut iuſti erga me ſitis, & quidem iuſtitia ſiue rigore magis Manliano, ſi libet. Attamen ſi iniquitas ſola eſt, cuius habere laudẽ ambitis, agite, meditamini iniquitatem in cubili ueſtro, prodeat hæc quaſi ex adipe a uobis, ſeminate hanc, ut metatis huius fructum, in ueſtros olim uertices deſcenſurum, flante nimirum DEO & ſpiritu iræ eius.

Sane

Sane q̃d cõsuluit mihi doctor ille, nulli opinor homini sapienti improbabit̃, maxime in his dissensionũ undis. Nulla profecto parte publicę honestati p̃iudicauit, Nec uti facerem instigauit, quod aduersarij uirulentissimi me feciſſe impudentissime uociferantur. Ego non arbitror uirum illum in ea usqueadeo esse sententia, ut si quid certius ac rectius in Christiana synodo scripturæ atq; priscorum Patrum authoritate de talibus articulis doceatur, nõ sit recepturus, cũq; eo, quotquot CHRISTO in catholica unitate placere studemus. Damnari igitur hoc consilium, uti nũc ferunt tempora, a nemine posse puto, nisi forte ab ijs qui soli aliena damnare, sua laudare solent, præsertim quum hoc quod illi petulantiss. uerbis inuadũt, plane non habeat.

Imo Sycologi illi damnandi fuerant propterea quod scriptum alienum malicioſissima interpretatione fœdarunt fingentes & mentientes omnia. Eadẽ uirulentia totam epistolam infecerũt. Potuerat hæc legi, ut est simpliciter scripta, sine cuiusq; offendiculo, & ab animo authoris recte intelligi: at nuc fœdato margine ita est a malis hominibus exhibita, ut lectorem bonum in ea nihil non funestet, maxime si quis interpretes istos nondum norit. Huc detorserunt omnia, ut intelligamus authorem nõ aliam ob causſam apud me seorsim conqueri, nisi propter au-

a ij ri desyderi

ri desyderium, id quod quam sit calumnioſum, facile uident boni homines. Nec mirum si illi uiro auaritiam præter æquum impingunt, qui illi tot uitia impegerunt hactenus. Confingũt gemitus esse pro Mammona, eius qui labore sedentario atteritur, quiq; suis de impensis Rempub. iuuare nititur. Confingunt nuncios inanes pecunia redijsse, quos ille literis uacuos redijsse sentit.

Eodem candore interpretantur quod ille non inepte de margaritis scripsit. Ad hæc quod de prolixa responsione pro Ecclesia dicit, hoc illi trahunt in suspitionem mendaciorum et conuiciorum, quum ipsi suos libros nullis fere alijs ornẽt rebus, ut nullibi indignius perdantur bonæ chartæ. Iam ubi ille testatur, se cõtra ueritatẽ nihil scienter scribere, de omissa ueritate isti calumniãtur, & eo torquent, quasi idem sit, contra ueritatem & contra Lutherum scribere. Vbi Erasmi modicam facit mentionem, clamant illi a Cochlæo deuoratum Erasmum, Nam tali diritate impense gaudent. Fingunt pœnã nostri ex Augusto. si dijs placet, ut cunctis persuadeant, ita sese habere: Nec meminerunt hic sua ipsis diaboli iacula, quæ libenter ceu Crucis particulam aliquam iactant, obijci posse. Nil me uexat Veritas, utpote quam mihi assistricem, fidam, adeoque unicum omnis miseriæ remedium habeo: sectæ uero tortuositas & iniquorum ho-

rum hominum duricies mihi grauis esse solet. Sed ipsa semet defendit epistola.

CONTRA SCVRRILEM LVdum Sylu. Hessi.

FERTVR NOMEN AVTHORIS FICTVM esse, quemadmodum ficta sunt & mendacijs turpiss. contexta omnia, quę impudens nebulo toto libello oggannit, dignior nimirum, qui in Syluis Hessiæ de quercu pendeat, q̃ qui in Saxonia uenenum per orbẽ impune diffundat, qui sumpta persona probatam aliorũ uitam criminetur, qui contumelioſis atq; maledicis libellis famam proximi sui lædat, qui ecclesiasticos & sy ncerioris Christianismi studioſos blasphemet, irrideat, iritet, rodat, qui effictis mendacijs fratres opprimat, qui iniurijs innocentes degrauet, qui bene meritos omnibus ornamẽtis spoliet, denicq; qui ueri Israëlitici nominis amatores (ut cum scriptura loquar) illudens affligat, & horum uitam inuidens ad amaritudinem perducat, qui inquam cor iusti mẽdaciter mœrere faciat, quem DEVS non contristauit. Atq; huc omnia, ut confortet manus impiæ sectæ. Profecto si esset bonus uir anonymus ille, & quæreret regnum CHRISTI, non fabulis, sed ueris narrationibus, nõ ludo, sed uerbo, non ironia, sed energia, nõ facetijs, sed scripturis, nõ

ſcurrilitate,ſed grauitate rem tractaret. Si prudens, perpenderet ſecum animo, num deceat ſummos ſpiritus qui uideri ipſi geſtiunt,eò deuolare leuitatis,& in primis conſyderaret, quomodo poſteriori ſæculo placitura ſint,quę nugatur, non ſpectaret tantum huius tempeſtatis applauſus. Gratificatus eſt deluſor ei multitudini, quæ niſi aleret iſtiuſmodi lenocinijs, actutū recideret a ſchiſmate. Nam in eam aſſuetudinem abijt multitudo, ut aut crebris conuitijs in Eccleſiam,in ſynodos,in patres,in ceremonias ſuſtinenda ſit,aut confirmanda immanibus mendacijs,aut reficienda nouis rumoribus, aut delectāda ſcurrilibus facetijs, aut demulcenda faſtuoſis glorijs. Illuc libellos uaniſſ. deſudant,nec aliò ſpectant cunctæ concio nes adeo futiles,adeo eædem ſemper, adeo ſine potentię neruis,adeo ſine ędificationis fructu,adeo mobiles & ſibi ipſis contrariæ, adeo uacuę ſpiritu bono (ſed contra in maledicendo acres, in aſſeuerando audaces,& in refutando infirmæ, quas quidem ipſe audiui legiq́)ut ſatis mirari nunq̄ poſſim, quo eas animo,qua patiētia, q̄ pudore audire ſuſtineant literati atq́ honeſti ciues. Deme turgidā loquentiam (quæ ipſis eſt eloquētia uiſa) præterea rem eādem ſubinde nouis reſperſam uocabulis, poſtremo comminationes,gloriationes,affectatos riſus(taceo mō de maledicentia quæ eſt ſectæ proprium,item de querela uictus quæ

ctus quæ est tecta exactio & euangelicæ auaritię spe cies, prætereo sua dogmata) & proram puppimq;, ut dicitur, concionum Lutheranarum demeris. Sæ pe scripturas iactant & nominant nomen CHRISTI, at hæc illa esca est, qua irretiuntur parum cauti. Sed pergat Syluanus, Pan ille siue bicornis Faunus suo in Lycæo sylueſtrem Musam, hoc est sibi congruen tem Theologiam meditari, si libet, usq; dum sylue scat omne lycæum & fiat luporum quadrupedū re cubitus, ubi iā lupi bipedes habitant. Mihi satis con stat, hominem, quisquis est, uirum neq; bonum neq; sapientem esse, qui in proximum suum, & de ipso ni hil commeritum tanta impudentia tamq; confiden ter ludere ausus fuerit.

Porro ludi consiliū non fuisse nō oportuit: Nem pe, reprimendus est calamus aduersarij. Verum id se rio fieri nolumus, ne uideamur Hectores cū uda mu sca, cum mustela, cum puluisculo (sic enim uobis ap pellor) congredi. Maiores enim sumus & meliores, q̄ qui hoc faciamus, præsertim quando monstrū ho minis per nos nobilitari cupit. Accedit uarius belli euētus, Nam uinci a nouissimo uirorum, turpiss. sit. Igitur homuncionem ad extremum spernemus atq; consputabimus, sicut CHRISTVS spretus fuit ab He rode & consputatus a Pilati militibus. Attamen ne prorsus etiā tacere uideamur, propter uarie suspica ces ho

ces homines, astute resistemus aduersario. Ædemus Comœdiam priscæ similimam. Fingemus falsa quæ mordeant, & ea imprudenti lectori pro ueris obtrudemus, ut credat mendacio atque exclamet: Talis ne est homo ille? Talis? Dij deæq; omnes illum perdãt, Non est phas eum uiuere & intueri lucem amplius.

Cæterum libellum exitiosum nostræq; uirulentię totius catarticum, ludum inscribemus, ut si Cordatiores petulantia nostra plus æquo petulca offendantur, excusare eam possimus, & affirmare, lusisse nos, & pleraq; ioco scripsisse. Qua lubricitate in morem anguillarũ elabemur. Nec uerebimur si quis ex Prouerb. Salo. illud obijciat: Vir qui fraudulenter nocet proximo suo, quum fuerit deprehensus dicit, Ludens feci. Contemnemus tergiuersatoris & uitiligatoris probrum. Interim uero portentum istud omni dicacitatis genere sic exagitabimus, sic in eum totum ridendi artificium congeremus, ut ne Cicero quidẽ, cui in irridendo modum defuisse credunt, queat copiosius. Erimus uenusti, urbani, faceti, salsi in traducendo Vuicelio, idq; adeo, ut nihil supra, Excitabit hæc res plausus, et conciliabit nobis gratię plurimũ, tam apud magnates q̃ plebeios. Nihil extimescemus exprobrationem mimi aut scurræ. Surdas aures obuertemus paræneſi Paulinæ, Ne nominet̃ inter uos stultiloquium aut urbanitas, quæ non conueniunt.

Et de ocio-

Et de ocioso uerbo interminationem apud Matthæum ad nos pertinere negabimus. Possumus enim simul esse & Euangelistæ & Moriones gelotopæi. Prosunt uel noxij ioci euangelij negocio. Præterea laudabimur: Omnium horarū homines. Dicemur: Omne punctum ferre, quod misceamus utile dulci. Quæ dulcedo tum denicp dulcior nobis est, quum catholice Christianis amarior amaritudo fuerit.

Sed ij quid de uobis prædicabūt? Quid obsecro, nisi quod sacræ literæ de uiris illusoribus pronunciant, nimirum futuris in extremo tēpore et iuxta desyderia sua impia ambulaturis, ut est apud Iudā? Hoc in uos quadrare, uita uestra omnis arguit. Rex Salomon cum irrisoribus acre certamen gerit, cuiusmodi uestræ glossæ aliò declinant, q̄ sensit rex. Damnare ideo illusores quum ille non uereatur, uos damnari existimate, quibus uidelicet mos illudendi adeo multus est, ut ad ludum nati adcp contumeliam sculpti esse uideamini.

Profecto magnam uitæ portionem consumitis ludendo, iam taxillis, iam contumelijs, ut uos quoque Apostolus ex Mose feriat, ubi de populo aut epulante, aut ludente Corinthijs non sine impiorum terrore scribit. Qui uos comparant Ismaēlitis, ij uel hoc nomine minime aberrant, cp tanta uobis cum Ismaēle ludēte affinitas est. At tales Agareni, non tantum

Achareni, exhæreditantur a patre cœlesti, & audiũt à CHRISTO domino: Væ qui ridetis, quia flebitis. Audiũt a Dauide: Qui habitat in cælis irridebit eos. Audiunt: Ego quoq; in interitu uestro ridebo. Ad ista oracula DEI tremere bonos omnes scio, soli Lutherani non trement sed ludũt, ut compleant iniquitates suas & accelerent in sese ultionem iusti iudicij.

Ego baiulãs mihi crucem meam, uestra ludibria, opprobria, insectationes, horã illam expecto, in qua ueluti ex mortuis reuiuiscẽs illud ex Esaia dicam: Super quem lusistis? Super quẽ dilatastis os, & eiecistis linguã? Nunqd non uos filij sceleti, semen mendax?

Dico uobis, Corruet cathedra uestra, cathedra quippe delusorum. Nam, scriptura teste, abominatio est coram DEO, quicunq; est delusor. Alioqui si uos misisset pater cœlestis, lugeretis potius laborioſi q̃ luderetis ociosi in ecclesiæ uinea, & aliorum cessationes non ridendo, sed monendo prosequeremini.

Ais: Sunt quidam adeo ridiculi, adeo ad omnem monitionem adq; obsecrationem stupidi, ut non rideri ac exhilarari non possint. Donarim hoc, ni desit modus, ni naribus indulgeatur potius, q̃ decoro seruiatur, ni offendendi magis q̃ emendandi studio, ni deniq; ob id rideas modo, ut te oblectes, & uoluptate tui similes adficias. Id quod uos quũ feceritis, qua specie excusabitis impium risum?

Quibus

Quibus exemplis ueterum Theologorum tuum iſtud hypocriticum Mimicumq; comparabis? Num S. Cyprianus hiſtrio talis erat, qui hiſtrionem Theatricum in eccleſiam ut reciperet recuſaſſe legitur? An uero eſt eccleſia ueſtra theatrum, in quo facies peccatorum ſumere, fabulas agere, ludere, lædere, iocari, cachinnari, plaudere conueniat? Apoſtoli eccleſiæ talis Neuius et Pacuuius, pro Petro et Paulo. Doctores uero Eupolis atq; Cratinus Ariſtophaneſq; poëtæ, pro Ambroſio & Auguſtino. Verũ ut maxime iocandum in alios ſit, quid ipſe ioco dignum nunc facio, quid ridiculum ſcribo, poſteaq; ad eccleſiæ catholicæ matris meę ſinum latiſſ. me recepi? Alieniſſimus ſum ab eo hominum gñe, quod arripere ſoletis, atq; adeo cui delendo ſuſcitati pleriſq; putamini.

Quod ſi uerbum regni meretur iocos, nec me horum quicq; puduerit. Scriptura quidem non diſſimulat, Verbum DEI rideri ſolere ab ijs, quorum cordibus uelatum adhuc Euangelium eſt. Sed hæc audiatur: Mittebat DEVS ad illos per manum nunciorum ſuorum, de nocte conſurgens & quotidie commonens, eo exparceret & populo habitaculo ſuo, at illi ſubſannabant nuncios DEI & paruipendebant ſermones eius, illudebantq; prophetis: donec aſcenderet furor domini in populum eius, & eſſet nulla curatio. Quæ periodus miſeriarum mearũ remedium

unice præsens est. Neq; enim ego maior Prophetis sum, qui insigniter uituperati, & effusissimo risu explosi sunt, atq; hoc a cõtribulibus, eo q; nunciarent pœnitentiam. Præter hæc alibi quoq; commemoratur, irrisas esse pias monitiones. Mittebat enim DEI suasu cursores Ezechias rex, qui scripta religiosa deferrent ad Israëlem, sed & illi nuncij fideles irridebantur ac subsannabant, ut in Paralipomenis traditur.

Minimus fratrum meorum, adolescens contemptus cum Dauide, puer inscius cum Hieremia & ineloquens cum Mose quidem sum, sed tamen utcũq; perfero mandatum summi Regis ad populum, qui in occulto Israël esse debebat, ut tradant manus suas domino & ueniant ad sanctuarium Hierosolymitanum, quæ est ecclesia catholica, ibi seruituri domino DEO patrum suorum. Quo in negocio maximopere gaudendum erat mihi, ut qui dignus habear, pro nomine DEI & sanctuarij eius, ueteris Ecclesiæ, illudi ac conspui. Hæc est patiẽtia nostra. Aut miseri maledicimur, aut ridemur. Sed libenter sinimus in nobis compleri Psalmum: Multum repleta est anima nostra opprobrio & despectione.

Habemur pro ijs, qui non sumus. Qui simus, noluisse nolunt, ne cogantur uirtutem DEI in nobis honorare, quam iam tota die blasphemant. Non nos, qui nec tantillum nostræ secundum carnem adroga

mus uir-

mus uirtuti, sed eum habent despicatum, qui cum illorum plastes sit, seruator etiam futurus erat, nisi noluissent. Dicent, nos merito nostro mala pati, nec esse, ut de his putemus gratiam hanc nos apud DEVM habere. Certe nemini nocuimus, imo nemini nō pro nostra uirili profuimus, cupientes, iuxta Apostolū, proximo nostro placere in bonum ad ædificationē. Et in ministerio uerbi salutis ea synceritate uersati sumus, ut maiore nequeamus.

Hæc mihi pie tacenda non erant, qualicunq; tandem animo accipiāt, in tot religiones diuisi lectores. Verum rogabit aliquis, uti respondeam ludo: Faciam id alio ludo? Non me decet, qui Theologię, non Morologiæ operam do, & Epangeliæ non Eutrapeliæ hunc addixi animum. Nam hęc postrema cur nolim, epistola Ephesiorum in caussa est. Faciam serio? Non congruit, ut iocanti serio respondeam. Et ita res tota habet, ut si cum illo lusore manum conseram, cum larua uidear dimicare. Nam nullus uspiam adparet. Sed exigis improbe ut respōdeam. Faciam hoc tribus uerbis: Portentosa mendacia & inhumanas diffamationes scripsit & ædidit in me uir malus.

Habes responsionem exactam, q̄tumuis Laconicam. Iam qñ mendacia mera scripsit, idq; sciens, & lectores æqui machinamenta sectæ facile persentiscūt, importunus sim, si unū amplius uerbū rñdeam.

FINIS.

PIIS LECTORIBVS S.

HANC EPISTOLAM EXPOSTVLATORIam, quam Anno M. D. XXXII. ab Erphurdia Ionæ illi scriptam misi, extorquet a me sectæ Lutheranę horribiliter increscens rabies, ut eam ædi necesse sit. Versat suam mentem secta etiamnum ad omne calumniæ genus, dum ex innocentis sanguine suam palmam habeat. Odit me gratis. Eijcit nomen meum tãquam malum, quia malui Catholice q̃ Schismatice credere. CHRISTO gratia in omne ęuum.

AMEN.

EXPOSTVLATIO DE GRAVISSIma iniuria hostis Ionæ.

QVOVSQVE TANDEM IONA IMMERItum me afflictare pergis? Ita ne tecum egregie actũ putabis, si totus dispeream? Quid in te inq̃ tuos designaui unq̃? Quo te uel uerbulo lę si, quo opusculo in omni uita? Id quod si maxime fecissem, tuę tamen pietatis erat facile ignoscere, & simplicita

plicitatis talionem neſcire aũt certe eam temperare. Colui te ab annis aliquot uel hoc ſtudioſius, quod ita prędicatum legerẽ Hollandi illius epiſtola. Neqꝫ enim non plurimum de eo homine ſentiendũ exiſtimaui, cuius tanta eſſet laus ad poſteros quoqꝫ, pmanatura. Præterea perſpexi in te animũ iuuandis reb. deditum, ut iam de eruditione nihil memorem: placuit candor & generoſitas illa, quæ etiam in uultu ipſo relucebat, nec non comitas iſta tua. Quo magis miror, quomodo in talem uirum ea cadant, cuiuſmodi infelix ego nunc experior. Nam quis tale fel in ea colũba ineſſe ſuſpicatus fuiſſet, ne dicam cætera, quæ nec Theologũ decent, neqꝫ bonũ uirum? Si ĩs ſubia cetis adhuc affectib. Theoſophi, quæ ſpes de plebe? Dic igitur Iona, quæ te inuaſerat libido, ut nuper cũ hic eſſes me tam atrociter arriperes? Feciſſe enim te iſtuc, opinor, non diffiteris: Nec ſi diffiteare, uanum eſt, Atqꝫ utinam uanum eſſet, non tam tui q̃ mei gratia. Paſſim uolitant peramica uerba, quæ non de me ſolum uerumetiam in me impotẽter ædidiſti, ſed malim amiciora. Quæ cauſſa, quod ſeminarium tam ſubiti odĩ Iona? An non amoris cuiuſdam & commiſerationis tuę non uulgaris erga me exemplum erat, quod M. Phaccho dixeras pauculis ante diebus quã iſtinc excederem, Indignius ac inimicius actum fuiſſe adeoqꝫ prẽter mandatũ, in animaduerſione Beltziana, &c.

na. &c. Intelligis quid mihi uelim. Sed significationē animi tui in me uniuersa Erphurdia citra dissimulationē perstrepit, non sine summa læsione mei nominis. Si uos usqueadeo male urit (ut interim ignescentis istius iræ tuæ fomitem eloquar) quod dissentire a placitis quibusdam scholæ uestræ audeam, meminerítis alios quoq; nō titillari, quod uos dissentire a doctrina Ecclesiastica ausi fueritis. Si cruciat uos, quod relicta parte, ad totum me contulerim, reputetis uelim, quanto uehementius crucientur alij, quod uos relicto toto, partem selegeritis. Ob id ne necesse fuit, in famam meam uirus respergere? Non potui uel debui amplius contempta conscientia, sub uestris militare signis, aduersus Orthodoxiā. An ideo tu debuisti in caput meum ita ludere? Cur in me unum sęuis, quum tot milia ubiq; sapere incipiant, & Ecclesiam, quæ ipsos sacro lauacro donauit regenuitq;, tempestiue repetant? Nec desunt ex his uiri docti, et ij quos nemo queat sine pudore incessere. Attraxit me primum in partē uestram plausus ille orbis maximus, pellexit præproperus eruditorum assensus, incitauit nouitas: ut plericq; natura huius cupidine ducimur: perpulit ecclesię fœda facies, potiss. inuitauit spes magna, omnia fore purius Christiana. Calcar ad id ingens erant Erasmi uigiliæ, quas qui legerat, is nō potuit non fauere cœptis istis, quantumcūq; reclamante una

te una portione orbis. Cæterũm quid facerem, re in dies magis ac magis in deterius prolabente? quid inquam facerem, pro Christianismo sensim appetente paganismo? Pro medicina Ecclesiæ allata cicuta, pro restauratione destructio imminebat, non utique per nos (quis enim hoc prudens ac sciẽs moliretur?) sed occasione nostri negocij. Omi certe tempore, quod in parte uestra triui, impiger ac solicitus fui, ut purgaretur, nõ subuerteretur Christianismus, Sunt huius abunde testes, quibus in illa præfui, Sunt testes libelli, quos uobis iudicandos simplici animo transmisi. Iuui quidem partem uestram magnopere, fateor, ut eam nimirum quæ sola esset Ecclesia. Oppugnaui ecclesiam catholicam, ut eam quæ esset Synagoga Satanæ, sed utrumq; errore feci. Inductus ab alijs feci, q̃d modo infectum mallem. Nec usq; adeo mirum, si iuuenis ad istiusmodi obeũda induci potui, Magis mirum, quod senes eò seduci potuerunt. Minore culpa peccaui, qui antiquorum Theologorũ sacris monumẽtis ne uisis quidem unq̃, istud feci, atq; ij, qui à lectis illis & iam altum imbibitis, animũ ad peregrina quædam auerterunt. Nec erat tum mihi quicq̃ iudicij aut consilij, præter istud plebeium, quo omnes egregie pollebamus. In initio tantum plausibili acquieuimus, de exitu parũ soliciti. Sed de ratione audaciæ atq; temeritatis huius nostræ alias. Abdicaui

uero partẽ ueſtram non repente, nec inconſulto, ſed diu id mecũ egi, & non ſine cõſilio. Nec uos latuit, q̃ refragarer quibuſdam ſentimentis, q̃ diſpliceret cauſæ ueſtræ confuſio, q̃ improbarem plurima eius incommoda, q̃ denicꝫ mihi uobiſcum in omnibus minime conueniret, idcꝫ pridem. Verum utcuncꝫ eſt, nihil ad uos ꝓtinet mei animi matura mutatio, Imo indeſinenter ago gratias ſummo DEO, cuius beneficio reſipiſcere contigit & redire e tot Labyrinthis. Comprecor ut ipſi quoque redeatis, poſita pertinacia, qua uos ueſtroſcꝫ ac omnem regionem in incredibile diſcrimen adduxiſtis. Qui per uos errant non tam periculoſe errant, uti uos, qui uobis ſolis autoribus erratis, nec habetis in quos erroris culpam reñciatis. Iam quando ueſtra nihil intereſt, quid quis credat, cuiue ſeſe dedat Religioni, cur quæſo tam inimica corda in me geritis? An nõ licet mihi per uos meæ conſulere ſaluti? Ire ad uos licet, redire a uobis non licet? Gratulamini ſi quis deſciſcat ad partem ab Eccleſia, ad dogmata a doctrina, ad ritus nouos a ueterib. & nõ potius gratulamini, ſi q̃s a præciſione iſta ictus ſapiat, ſobrius rem ad æquilibrium uocet, diutino conſilio retractet, adcꝫ ueritatem Eccleſiæ animum appellat. Quod ſi maxime nunc demum ad errorem (loquor ex ueſtro iudicio) memet transferrem, nec iſthuc tamen ueſtra tantulũ referret. Nam ut dñ mei

non eſtis,

nõ estis,ita nec domini. Imperium uestrum posthac non agnosco,quale utinam uobis ipsi non adrogassetis. Agnosco dominam potestatem, cui debeo nihil nõ,& hanc honorare semper decreui. Vobis me meamq; salutem ad quinquennium credidi,ut magistris,non ut satrapis, nunc re penitissime cognita,retrahor,ut alijs nempe certioribus solidioribus.& fideliorib magistris in posterum utar, qui magistri licet non coram appareant, reliquerunt tamen nobis pietatis suæ nobilia scripta. Proinde me Satrapia uestra rogo ne prematis, quem discipulum habuistis, nõ habetis. Iudicio uestro albus sim an ater,nõ equidem laboro:Illud obtestor, ne cogatis eũ uobis credere,qui Orthodoxiam amplexus est, renunciatis simul sectarum quarumcũq; regnantium opinionib. Vos ego nõ cogam,idem mihi præstate. Si quid potero,uerbis consulã,idem ipsi,si libet. Vtriq; stemus aut cadamus communi DEO nostro. Malui laudem meam minuere, q̃ salutem meam prorsus deserere. Hisce paucis attigi unam causam, cur tanta ira uestra in me miserum exardescat, & q̃ id iniuria: Estq; cur tu Iona tam atram bilem in absentẽ euomeres apud Syllitur gos tuos,& me ita deliniares,ut mihi uix hominis uocabulum reliqueris. Hoc num Theologo dignum sit,tu uideris. Iram tuam æque fero, iræ fructus,hoc est, maledicentiam execrationemq; equius

etiam fero. Actionem iniuriarum, quam impotentior iam ac inualescentior iracundia tibi peperit, necesse mihi est retundere. Sed quę nam altera caussa commeriti odij? Scriptam mihi lucubratiunculam de bonis operibus, euulgauit Ioan. Crotus Theologię doctor, hinc illæ lachrymæ. Igitur ne ô bone ita tumultuamini? Ad uestras ęditiones totum orbem gaudio exilire cupitis, ad aliorum uero æditiones non item. Vestra legi debent, lecta laudari, laudata uorari, defendi, asseruari ceu e certa Tripode: Si quę alius scribit, ea uultis tegi, uetatis distrahi, iubetis erjci, ceu indigna luce. Et ubi uox illa, qua dicere solebatis, Æquum esse ut cuiusuis sententia audiretur? Quid adeo uestra & hęc sola admiramini, calcantes et quę scripsere mortui & quæ uiui? Vos ne uestri iudices, & non potius alij? An putatis alios eadem assentatione uestra legere, qua uos ea legitis? An creditis ipsi solis uobis? Creditis etiã nunc Ecclesiam carere CHRISTO, fide, uerbo, cognitione, salute? Heu miserandos homines, cęco amore sui ad summum ebrios. Libellus æditus est in publica commoda. Et hunc uiris pijs cum gaudio exceptum uehemẽter probari audio in ista rerum tristissima tempestate. Plurimos audio cum magno fructu eum legisse: Nec quĕri aliquos, nisi quod omnium deprauatissime mutilatus magis q̃ excusus est. Quod si uestro palato non sapit, utimini iure

ni iure ſcriptorum: Repellite librum libro, non gladio, id quod ueſtris hactenus fieri uoluiſtis. Vna & ea non admodum inſtructa irruptio uos pauefacit, quid futurũ, ubi iuſtus ingruerit exercitus? Iraſci uultis, ſi quis Orthodoxiam edoceat, quum merito alij iraſcantur, quod ipſi aduerſus hanc ueſtra efferatis, & obſtinate pergatis animas in Auerni lacum agminatim mittere. Sed te Iona conuenire operęprecium eſt. Quis iſtud tibi ſpiritus in mentem dedit, ut uel meæ reuerſionis ad Eccleſiã, uel publicati libelli gratia, præcones Erphurdienſes tam inhumanis modis in me concitares? Num ſat erat tibi, me in Saxonia affixiſſe, niſi me in Thuringia quoq; affligeres? Non neſciebas me diuerſari in Agno aureo, quur igit̃ me non accerſiuiſti, aut ad me introĩſti, ſi quid cõtra me habebas? Domus Langij hoſpitis tui huic noſtrę cõtigua fere eſt, Miluitij uero quãtulum ab hac diſtat? Sed extinxerat rationem iracundia. Ferebatur equis auriga ſuis. Porro toleranda fuiſſet moderata maledicentia, nam iam pridem futurum pręuideram, ut a uobis, ueſtro ſcilicet iure ad extremum uſq; maledicerer, palam diſſentiens, at ea nunc exĩt in immenſum. Cum enim nihil haberes, quod in me odio ſtimulante effutires, porrupiſti in nephariam atq; ſceleratam uocem, Nempe me eſſe Arianum, negando filij deitatem, & Macedonianum, negando ſpiritum

ſanctum & c̃. atque eiuſmodi hauſiſſe ex Campano. Exclamandi hic locus eſt, ſed præ doloris magnitudine non uideo qua uoce potiſſimum exclamem. Iona heu nimium, Heu nimium Iona. Quæ tibi mens, quæ frons, quæ cõſcientia Iona Iona? Hoccine Euangelium? Hęccine charitas proximi? Eſt ne illud exemplum principis euangeliſtę, quod uidelicet cęteri imitentur? Eſt hęc progenies eius doctrinæ, quę ſola ex DEO eſt, ſola Chriſtiana? O diem infandum, quo tu hoc rubetæ uenenũ in aures inq; animos hominum emiſiſti. O audaciam intolerabilem theologi euangelici. Campus mihi latiſſimus hic pateret, in tuam uirulentiſſ. linguam inuehendi, ſed mihi temperabo, relicto pr̃s omnibus de te iudicio. Declaraſti plus ſatis uel iſto unico facto, quid de te ſentiri uelis, ne quid iã immoderatius dicã. Certo ſcis, teſte animo tuo, te id uerbi per odium expuiſſe, & eſſe tam falſum q̃ uerum eſſe uelles. Heus Iona ubi grauitas tua eſt? Si me uolebas atro carbone notare, ut citius uitarer (eę em̃ technæ ueſtræ) cur non me Mammolucũ magis aut Mahometiſtam aut Iudæum faciebas? eadem enim opera, eodem animo, eodem ore hoc quiuiſſes. Bella ſcilicet ars eſt, qua es uſus. Videbas ex mea reuerſione nonnihil commoditatis rediturum ad Catholicos, & fore, qui me a uobis ad Eccleſiam ſequerẽtur, Propterea uiſum eſt cõgruere, ut deterrima blaſphemia me

mia me insignires, qua audita, abominatio cunctis mortalibus fierem. Callidum consilium quidem, sed impium, & diaboli artificio suggestum, nam ille sibi a me, etsi nihil sum, misere timet. Sed non est consilium contra DEVM. Blasphemia tua qua me degraua re uoluisti, in autorem recidet, & iniuria iniuste mihi irrogata, tua sempiterna erit infamia. Innocẽtia mea te pudefaciet, quem cõscientia iam diu reum agit uio latæ legis naturalis, nedum diuinæ humanæue. Scis scis inquam ex apologijs meis & ex confessione Beltziana mihi nihil rei esse cũ Campano, quem ignotũ hospitem quondam excepi, sed emoriar, si mihi uel unicum iota sua de fide aperuerit. Iam diu id testor, nec mihi creditis, aut si creditis (ut uerisimile est, nisi saxei sitis) qua fronte iterum audetis mihi hoc impingere, quod scitis uanissimum esse? An non satis est, si constanter & ex animo negem, me cũ Campano sentire? Quid amplius faciam? Num cor exectum etiam oculis uestris subijciam? Inquirite apud Nymeciam, examinate conciones quas illic peregi, explorate scripta, ipsa denique priuata colloquia excutite, num quid Campiani illic resideat. Illud iam millies testificor, si in uita mea uel sensi uel dixi scripsique secus de CHRISTI IESV deitate q̃ hactenus Catholica ecclesia credidit, non renitar, quo minus uiuus exurar, & anathema proclamer per uniuersum orbem. Sed uix credibile est

bile est uos uere sentire, ꝙ Campanizem, nisi quod huius inuidia cogitatis me ubiꝙ opprimere in ultionem reuersionis, quam forte defectionem interpretamini. Hoc uel inde liquet, quod Lutherus ipse, cui secundum hominem bene uolo, discedentem me rogauit, ut suppetias ferrem contra sectas, maxime Campani. Et idem lectis excusatricibus literis meis ad ducem Saxon. illustriss. satisfactionem accepit, præsertim quum uerbis quoꝙ sacrilegum errorem coram ipso a me detergerem. Præterea si serio credidissetis me Arianismo Campani fauere, non triennium fere post in parœtia toleraſſetis. Qz si uere sciuistis me Arianum, male uobis, qui tam diu parœtium Arianizantem toleraſtis. Imo ego cupiam neminem ea ex hæresi uiuere, neꝙ in hoc neꝙ in futuro sæculo, adeo faueo isti ter execrando nugamento. Vides iniuriam Iona qua me tam impie affeciſti, & e qua plures in hac ciuitate populosiſſ. seminaſti, quippe meritus, qui ad palinodiam iure publico cogaris, ut ego ore tuo honester, per quod tam blaſpheme dehonestatus sum. Sed non satis erat tibi intra parietes mihi detractã rectí opinionẽ, nisi apud Cõsules quosdam quoꝙ mihi noceres. Sylliturgos instruxeras contra me & Cathedras tuæ partis armaueras, restabat, ut senatores etiam & ipsam curiam in me accenderes, Quod ni feciſſes, mortuus credo esſes. O synceros

præ uniuer

præ uniuersis sub sole. Dic quis est libellus famosus quem scripsi, & quẽ tu supplicaras ædicto senatorio premendum? Denique quis est ille turbator qui Erphurdiam irrepsit? Egon' ille turbator? Libellus ne, qui in manus piorum exijt, famosus? Nisi me pietas modestiæ admoneret, audires nimirum qui sint turbatores, & qui libelli famosi. Adeo uos nullius uanitatis pudet, ut satis mirari nequeam. Turbo ego ciuitatem, in qua neq; concionor, neq; profiteor, qui in nullius ædes pẽnetro, sed uel in Agno aureo uel in bibliothecis monachorum uersor, nemini plane obstrepens? Vestra pars a me nihil præpeditur, per me licet illi quid libet. Reddent sua de caussa rationem, nõ mihi. Libellus in genere scriptus est, alicubi mordet, sed cum fructu. Nullius famã traducit, at tu meam famam hic traduxisti, Atq; hoc non solũ, uerum etiam uitam hanc periculo obiecisti. Appello ad animum tuum, si tale est uiri boni officium. Saxonia testis perpetua est, q̃ euangelice me in ea tractaueritis, hominem bene de populo meritum, cuius rei elogium istic nunq̃ obliterabitis: Sic me seruet CHRISTVS filius DEI uiui. Hactenus q̃ breuiss. de iniuria, Nunc audi ut hęc alias super alias pepererit. Prẽcones mandati tui probe memores, rem gnauiter executi sunt. Nam simul atque tu hinc discederes, infixo aculeo in me nescientem cœperunt: Bone CHRISTE q̃ impo-

tenter:totas horas in quendam uociferari, qui nuper huc commeasset &c̄. Deinde floſculis ſuis illum ſuperuentitium conueſtierunt, atq; hoc tam tragice tamq; furialiter,ut ſi me populus e tēplo aliquo exiens obuium uidiſſet, dentibus pariter & unguib.dilaceraſſet, inflammatus ſcilicet Euangelio IESV miſſimi. Faciunt hoc ad hunc uſq; diem, ut uix tutum ſit,aut præterire iſtorum templa,aut exeuntes habere obuios. Miſera plebs credula eſt in uitium.Præcones fide dignos ducit,& ita me iudicat,ut audit.Cæterum ſic habere documentorum plus ſatis ſuppetit. Ciues aliqui inſolētibus iſtis inuectiuis commoti, ex præconibus priuatim didicerunt,me illum tenebrionem eſſe,in me conuerti ferrum. Quo fit,ut nūc ululæ inſtar foras prodeam.Oculos ueſtræ partis in me defixos ſuſtineo,pręterea catholicorum, ſed diſparibus animis. Nolo hic cætera perſequi,ad rei ſummā accingar.Poſteaq; ſenſerunt præcones euangelici,ſe natum cunctantem in me pellendo(nam id ſibi perſuaſerant fore ex tuis accuſatiunculis)habitis ultroq; conciliȷs, acceſſerunt ipſi quoq; in curiam, & me de re nulla admonitum nihilq; minus ſuſpicantem,graiter accuſauerunt. Atq; hic quoq; audieram Arianus,negator filȷ̄ DEI impȷ̄ſſimus,Et addiderunt,talem me eſſe,qui potis eſſem nocere Euangelio. Erat nimirū hoc pus,quod diſſimulanter preſſerant. Ma-

giſtratu

giſtratu hærente quid de me ſtatueret, commodum fuit aduocatus protographeus, & in conſilium adhibitus. Is cauſſam omnem dominis ſuis accenſuit, et fucum calumnioſiſſimæ accuſationis retexit. Quib. auditis permoti ſunt domini in mei miſerationẽ, & ſtomachabundi dixerunt, ſe poſthac tales Sycophantas non ita facile audituros. Horum unus addidit, ſe aliud nõ poſſe ex tam hoſtili delatione diuinare, quàm ipſos uereri, ne, me ſaluo, labefactaretur fabula. Tandem urgente ſummate alio, ne res negligeretur, deuoluta eſt in doctores Academię, ut illi a me accepta ſanctæ ac ter adorandæ Triadas ſolida confeſſione, litem componant. En hanc tu nobis Tragœdiam Iona exorſus es Erphurdiæ, quæ quem finem ſit habitura, prorſus ambigo. Vnum ſcio, me habere fautores in ſenatu, præterea naſutos omnes facile ſubodorari, rem odio geri. Age temet iudicẽ conſtituo. Prę cones a te ſubornati fortaſſe, expellere me hinc conantur, partim ob æditum libellum Orthodoxum, partim ob relicta caſtra partis. Iam ui expellere phas non eſt, & pudore ac metu retrahuntur, ne mihi manus afferant. Nulla igit̃ uia illis propior uiſa eſt, quã ut authoritate Magiſtratus expellar. Porro Magiſtratum norunt neminem expellere ſolere, niſi ſontem. Quare aggreſſis ſontem facere inſontem, illud oportune ſuccurrit: Euge cauſabimur hominem eſſe

Arianum. Quod crimen nulli ferent. Atqui homo il le Arianus non est, neq; fuit, neq; erit, seruante CHRI STO. Reclamant falsiſſ. delationi, delati hominis con scientia, os, factum, calamus, tot habitæ Homilię, Ca techeses, disputationes, Saxonicæ defensiones, con fessiones, auditorum cõsensus, puerorũ etiam octen nium balbuties, ipsi denique de pariete lapides, & li gna de iuncturis phanorum. Fer nunc sentẽtiam. Co geris Iona, nisi odio mei plane excæcatus es, uerũ ui dere. Sed quæso si tu Vuicelius esses, cui huiusmodi præter meritum acciderent, nunquid grauari etiam tam intolerabili iniuria te quereréris? Aut iudicas es se leuem iniuriam, Catholicum nephariæ hæreseos per inuidiã accusare, & in hoc accusare, ut de eo ceu reo pœna sumatur. Adulterij, aut furti, aut latroci nij, aut proditionis insimulatio, quanto obsecro to lerabilior est? Nota hæreseos, ut est cæteris flagitijs inuisior, ita acerbior ei est, cui contra ius contraque DEVM infligitur. Nescio profecto, quo nomine fœ dius commaculare, & quod abominabilius paradi gma me facere potuissent. Vici: CHRISTI præsidio: hactenus sectarum iam uigentium falsissimas suspiti ones. Exemit me ueritas ex tot mendacijs, nec adhuc extitit, qui non sit pudefactus in conuincendo. Qui bus eram cata Monetariũ spiritarius, ij uisa epistola parenetica, quam in illum scripsi, sibi ipsis displicent, ob tam

ob tã falsam suspicionẽ. Quibus dicebar cata Zuinglium sacramentarius, ij me ipso audito, facile conquieuerunt. Qui me clamabant esse cata Balthasarũ, aquarium, ijs satisfecerunt & epistolæ nonnullæ & digladiationes, quas Facchæ hyeme proxima cũ Rinchio ac suis sectatoribus exercui, petente a me isthuc Præfecto. Supereſt Campanus, qui si coram adstaret, in faciem illi expuerẽ (si uera sunt quæ de portento isto narrantur) adeo odi quotquot sunt hæreses aduersus sacrosanctam Trinitatem. Quæ scribo, ecce coram DEO, non mentior. Dominus condonet, qđ tu in me designasti Iona. Degrauasti me, ut sub onere tot hostiũ (quos tibi acceptos magna ex parte fero) propemodũ succumbam. Insidijs oñia agunt, nihil, uel emoriar, aperto Marte. Pungũt ut scorpij, mordent ut serpentes, quemadmodum scite ait Basilius. Consurrant, conspirant, decernunt, & mouẽt omnem petram, ut captent in animam meam, & sanguinem innocentẽ condẽnent. Sępe cõtestatus sum, q̃ gestiam aduersarijs uel respondere in Curia uel in Academia, sed mihi nihil horum profuit. VIGERITVR RES. Quem ueritate non potuerunt, mẽdacijs glorioſiſſ. opprimunt. Quo magis in sinu meo gaudeo & exulto in DEO salutari meo. Solatio innocentiæ fruor & iudicio bonorum uirorum. Ero interea noctua, non lucifuga, sed idonea, in quam oẽs aues

 grocitent

grocitent ac garriant, Sed memini uolatum noctuæ priſcis Athenienſib. uictoriæ ſymbolũ exiſtimatum fuiſſe. Viderint quibus nunc peripſema ſum, qui legem DEI ſui uiolant, at non impune. In fine oro, ut in poſterũ ab iſta nocendi arte tibi temperes. In conſiliũ adhibe Euangeliſtæ agnomen. Cogita eſſe præter honeſtatem, hominem odio autore diffamare, & ita diffamare, ut in corpus quoque eius cupias animaduerſum. Obi munus Euãgeliſtæ. Arripe me uerbi confeſſa ueritate, Manum contine, Ne inſtiga potentes in bonorum capita, ne uerſis uicibus aliquando eadẽ experiare, quæ alijs machinatus fueras. Noſti puerorum cantilenam apud Gell. Malum conſilium, conſultori peſſimum. Noſti ex Daniele, Mutari tẽpora & regna, Poterit fieri, ut fortunæ quoq; tuæ uertantur. Eadem Luthero dicta uelim, pro quo libens ad DEVM oro. Opto uobis bonum, & cauſſæ felicem exitum. Amicus tuus proximus certe, & caro tua ſum, uelis nolis. Vale in CHRISTO ſeruatore, qui tranquillet motus huius tempeſtatis. Amen. Data Erphurdiæ, poſtridie Ioannis Bapt.

Anno M. D. XXXII.

Benedictus

M. I. H. Bene agere.

BENEDICTVS DEVS ET BENEDICTVM nomen maiestatis suæ, qui prouidentia incogitabili, sapiẽtia inenarrabili et inexhausta misericordia, sibi suæq; Ecclesiæ quantũlibet paucas animas, partim a contagio meridiani mali incolumes seruarit, partim e media huius colluuie præter omnem spem mature reuocarit, ut laudaretur gloria gratiæ suæ, & consumaretur corpus filij dilectionis suæ, quæ est sanctorum numerosa cõcio in omni terrarum orbe. Qui sint aliorum amores, quæ delitiæ, quæ uota nescio: de me illud libere confiteri ausim, nihil uspiam esse, cuius accessione hic meus animus uel uerius capiatur oblecteturue, uel alacrius in his intimis subsiliat præ incredibili gaudio, atq; si inaudiam hoc æuo superstites esse homines, qui non tam CHRISTI amore abundent, q̃ Ecclesiæ exornandæ desyderio flagrent, qñ quidem hanc, quod uehementius cupiam, suo loco restitutam inuidia publici hostis diaboli corã intueri ac admirari (ô nostram Venerem) nõdum omnino datur. Es tu uero unus Hanere, aliquot e Cẽturijs, cui pectus est, quale habere sueuerunt, quibus initio constitutæ atq; propagatæ familiæ DEI, cum CHRISTO semper arcta necessitudo fuit. Haudquaq̃ enim muta est ignis tui istius nec stulta prædicatrix epistola tua, etsi ipse de te nihil p̃dicas. Non

cas. Nõ latere amplius te sinit uirtus DEI, promi inq; commoda publica altum exeri cupida. Euocaris in aciem, miles domini Zebaoth, neq; iners neq; trepidus. Ciet te, quem non legendo solum et audiendo, sed ferendo atq; experiundo consumatius didicisti. Animus iste tuus, ita enim mihi persuasi, tibi minime pendet, sed immobili æternæ ueritatis petra nixus, tota plerephoria (quam hac tempestate quidam ridiculę glorioſi Thrasones plus nimio uenditant, & sibi unis uniuersis ereptam sine fronte uendicant) regni cœlorum imbutus, minime ignorat ubi conquiescat tot in controuersijs huius sæculi in immensum fluctuantis. Nequaq̃ uero ego nunc præter rem faciam, si animum tuum Hanere, cuius odorem tantum et specimen usq; adeo illustre digiti tui hocce scripto ad me miserũt, eadem opera illò cohorter, quò ipse epistola paracletica, me homuncionem nihili, singulari studio inhortatus es: Imo quid horter currẽtem iam & eum pugilem, cui uix alius præstet, Nam operam tuam Reipub. Christianæ citra stimulum hominis, neq; tamen sine secretiore instinctu eius, cui curę est Ecclesia, ingenue polliceris. Porro molem laudũ quibus & me, quippe a tam rara existimatione alienum, & eos oneras quorum pectora aliena felicitas adedit, uellem in alio quopiam tempestiuius ueriusque locasses. Non potui non pudescere, quum primum lege

mum legerem tantum calceum paruo pedi induci, & e Nano Atlantem quempiam fieri. Noui Horatianam notam in eos qui ceu utres crescunt tumidis inflati sermonibus. Sed contra eam insolentiã, quam laudatio parere poterat, utor præsenti antidoto. Fecisti, opinor, ut deliniares, non qualis sim, sed qualis esse debeam, qui laudũ finis apud sapientes semper fuit. Sed heus Hanere, sapientiss. DEVS, cui studio est prouidere & moderari, laudes quibus tu ad officium anhelanti mihi calcar uoluisti addere, uituperijs diluit, atq; adeo aceto perfudit. Dicimus em̃ DEVM facere, quæ dispensatione sua bonorum author fieri permittat. Ecquid istud sit rogas? Audies, sed perue lim tranquilliore animo. Cur enim te perturbet abs me audientem, quod me, cui totũ seritur ac metitur, ne μὺ quidem a statu mẽtis sereno dimouerit? Abiere sex dies, quod incidi in libellum Lutheri in caput Erasmi scriptum, in quo per occasionem quæsitam, non oblatam, aculeo suo humilitatem nominis mei hostiliter figit. Equidem expectare a Luthero & suis gregalibus aliud non potui, q̃ quo me uehemẽter læsum iri ipse arbitraretur. Bolum e suis ereptũ fauci bus ijs modis insectãtur uiri boni, uiri pij, ut qui desperent, stultum repetiturum, unde se pauculis ante annis DEI omnipotentis dextera erui siuerit. Dolorem suum ira mixtũ hoc pacto ulcisci potest, si alio,

e abijce-

abijceret calamum Propheta sanguinarius: Quod non conuitij sed admonitionis loco dixerim. Forte uoluit homo prudens in me exemplum ædere, quo reprimantur a se redituri. Et nisi animo impotēti, nisi amator sui magnus, nisi aliorum odio exoculatus, nisi pudoris cōtemptor, nisi posteritatis esset irrisor, haudquaq̄ illum tanto dedecore infamatum prosti tueret, quem antea nō uno nomine nec maligne lau dauit, Ni fortassis antea simulanter laudatum, nunc uti dignus eram, uituperat. Qui enim fieri possit, ut quis e uiro docto repente in Grammatellum trans formetur? Rideo ego quoq; uobiscum iam Luthera ni grammatellum & uocabularium istum uestrum, modo æqui patiamini, ut per hunc grammatellum li terarum uere sacrarum inuiolabilis autoritas sponta neæ cæcitati uestræ ingeratur, & per hunc uocabula rium uoces audiatis, quæ exponant toti mundo ue stri ingenij uestrorumq; morum bonitatem scilicet. Nam ad eū modum quæret aquilā scarabeus. Quin ridere uobiscum pergo tale de Vuicelio iudicium a tali Pythagora profectum, maxime elegantiam ser monis καὶ τὸ πρέπον Theologicum, Scholica gramma ta uocesq; uos, in ista uestra celsitudine, puer pulue rulentus & scabello proximus, uestro cum pudore doceo. A literis enim & uocabulis res pendet, unde completa ira DEI, pudefietis, qui nihil nescire uobis ipsi ui

ipſi uidemini. Sunt, qui iudex ſupra captum inte-
ger Lutherus cor[illegible]mptos licet pro re nata imitatur,
quibus Hieronymus unà cũ alijs pure latinis iſthac
contumelioſa appellatione nigretur. Nec uſq; adeo
diu eſt, q; Philippus, alter cardo ſectę, a quodam ea-
dem ſanna, ut qui a Theologia cognominaretur pa-
rum dignus, mundo publicatus fuit. Sunt conuitio-
la hæc perq; tolerabilia, & ob quæ pax nulla diſijci-
tur. Quod ſi liberet iuſta talione referire, nõ deeſſet,
unde magnos iſtos ſectæ proceres pari contumelia
ſtringere queam, adeoq; iubere aliquos poſſim, ut e
cathedris ad ſubſellia alphabetariorum deſcenderẽt.
Sed facete deriſo ingenio: de quo non glorior, nec
eſt ut glorier: rapit hominem libido, ut me totũ con
demnet. Non recedit a ſolitis hyperbolis, Vt adfici-
tur, ita ſubito pronunciat, dominatur illi appetitus,
quo præceps fertur, ſubito curſat ſurſum prorſum.
Melius, peius, ꝑſit, obſit, nihil uidet, niſi q̃d libet &
ira ſuggerit. Indignum me clamitat, qui cum bonus
uir quicq; aut agat aut loquatur. Pręterea perdite in-
uidum & maleuolum hypocritam, mordẽt hæc, ſed
ſibi ita conſciũ. Me obarmat recti conſcientia & con
tegit teſtimonium externum, ut irritos morſus mini-
me ſentiſcam. Bonos uiros intelligit Lutheranos, cu
ius rei ſignaculum habent & Endixes ſpiritus. Tali-
bus indignus ego iudicor, ut hoc prætextu abſtine-

e ij atàre-

at à reſpondendo. Bellum ſane effugium. Debebat ſententiã de iuſtificatione Eccleſiæ a me propoſitam probabiliter refutare, & crudũ dogma ſolidius confirmare, ſed quando utrunq; præſtare formidat, & gregales operam eius tanta in re præſtolantur, conuertit ſe ad ſuam calumniam adq; Lindij ſacra. Non ego abs te Luthere peto ut mecum agas aut loquaris, ut qui norim imperium & ſublimitatem pontificiam tuam e Monachica humilitate. Atqui a te non petitur ſed flagitatur undiquaq;, ut Catholiciſmon Eccleſiæ tuæ, unam fidei neceſſitatem, & bonorum operum uel inanitatem uel indifferentiam uindices. Si ſilentio reſpõdes, periclitabitur ſecta. Quod ſi me releges ad Auguſtanam confeſſionem, nõ conſiſtit. Miror autem, cur toties & tam impudenter ad Comitia illa prouocent, quaſi nos Acta fugiant. Superſunt epiſtolæ eorum non impreſſæ typis, quæ aliquando euolabunt in teſtimonium illis, ut palam fiant ſolidamenta glorioſiſſ. Suffenorum. Hypocritæ conuitium uulgare eſt apud iſtos ſuæ doctrinæ figulos. Hypocriſis eſt, quicquid non Lutheranum eſt: ut ne priſci quidem Eccleſiæ patriarchæ ab hac aſpergine tuti futuri ſint, ſi reuerſi τὰ μαθήματα nouæ Theologiæ impugnent. Contra, ſpiritus eſt, q̃quid iſti deſignant. Cognoſcẽt de cauſſa tota poſteri, quibus oculi erunt, orbi nimirum luce reddita. Ego nũc de hoc

de hoc frustra moneam, quando omnes declinauerunt, & quicquid uni tãtum fraterculo arridet, prædefinito loquuntur. Inuidiam & maleuolentiam me am uel in se uel in assectis nunq̃ expertus est, iudex ille & damnator. Ego contra istius gregis inuidiã maleuolentiamq; iam diu sustineo. Inuident mihi misere, quod a CHRISTO seruus accepi, ut inuidiosum magis q̃ inuidum possis dicere. Neq; tñ non agnosco, me affectu malo non esse uacuum. Certe in secta ista uix reperias, cui inuidere aliquis possit. Omnia uero ita propemodũ habent sese, ut indolere illi magis q̃ inuidere cõueniat. Nam cur ijs inuideam, quos errare, mihi persuasum est? Nec ulli horum male uolo, quibus suam mentem precor. Signa suæ erga me maleuolentiæ & tyrannidis multa illi & satis cõperta dederunt. Si fauor est, si beneuolentia, cuiusmodi illi hac in ciuitate in me exercent, nimium uellem meliora. Oculis suis occidi me uotum est, quando manibus non licet, & maximopere animis ringuntur, q̃d hac hora solẽ in uiuis intueor. Sed hæc concoquam. Ait me sibi notum intus & in cute. Hoc si uerũ esset, me, quod scio, non damnaret. Intus & in cute CHRISTI seruatoris & magistri mei amator, Ecclesiæ Catholicæ bonum quæro. Tale ex abundantia cordis quotidie declaro. Id si in me non animaduertit Lutherus, nondum illi notus sum. Quod si conscius est

uitæ meæ, quam in Saxonia sexēnium degi, sciat plures ibi & me quoq; mihi eius esse conscium, adeo, ut ab auditione mala non timeam. Nomen meum reticet ceu nefastum, quēadmodum templi Ephesij incensoris & stupratoris Lucretiæ olim. Alibi uocat scurram, sicuti præter cæteros, Regem Angliæ. Lutheranus adhuc, eram illi uenerabilis. Alibi criminatur os mendax, sed ipsum necessario facit: neq; enim allaturum erat pseudeuangelio utilitatem ullam, si me os uerax dixisset. Quanquam me in nullo mendacio deprehendit, & uerax non est, ni me mendacij conuincat uel minimi. Hactenus peccatorem modo me fecit, quicquid alij, impium nondum. Contemnit ingenium, conuitiatur moribus, Quare non est, ut hic multus immorer. Nunc ab Amsdorffio audiam furta mea. Omnia sua, inquit ille, furatus est ex Erasmo. Quid ais syncere, bone, pie uir? forsan is tibi uidere qui ab insimulatione mendacij immunis sis, ut estis fumi uenditores, in oculis uestris meri dij. Prodierunt hoc anno, sic CHRISTO curante, libri humilitatis meæ septem. Hos tune compilatos ex Erasmo dicis? Ostende pagellam Erasmi, quæ ad plenum doceat, qualia ego tracto. Imo affer uersum unū, quem ego inde meis inseruerim. Hoc ni feceris, Cretensem te dixero, Nam me furatum esse ex Erasmo scribis, non imitatum Erasmum. Longe uero diuersum esse furari

furari & imitari uel pueri norunt. Apostolicus Clemens e concionibus apostoli Petri ad uerbum totas paginas in epistolas suas transmouet, quemadmodū Beda presb. & Prosper ex D. Augustino, et e Chrysostomo Theophylactus, nec tamen illorū ullus audiuit fur. Cuiusmōi ego si fecissem, nihil mirarer conuitiū. Maro fur Homeri, Hesiodi, Theocriti, a Mastige uocitabatur, Num fuerit, doctorum esto iudicium. Ipse certe Mastiga suum salsissimo responso retudit: Sis tu quoq; inquiens, talis fur. Quoties uero furatus, siue, ut mollius dicam, mutuatus est e ueteribus aliena Lutherus? Et fecit hoc dissimulāter, pressis nominibus, Batylum quippe Vergiliū furē recta sequutus. Quis hūc omnium furem alienæ inuentionis inclamare audet? Sed hæc, quum possim sine reprehensione traducere, iam missa facio. Erasmi lectorem sicut Hieronymi quoq; aut Cypriani me esse neutiq̄ dissimularim: imitatorem uero, alīj iudicarint. Illud fateri ingenue potero, mihi nunquam studio fuisse, ut huius aut ullius, seu neotericos seu palęotericos æque numeres, peculiari imitatione stylum exprimerem. Opiniones orthodoxas & institutiones bonas tam in hoc q̄ in cæteris Ecclesiæ magistris sobrie assector. Quod si phrasim magni uiri nugæ meæ alicubi, quantumuis tenuiter nec digne satis redolent, lectionis assuetudini magis q̄ imitationis industriæ

duſtriæ tribui uelim. Qua in re uelim Longolianor& Tullij filiorum ronchos nihil moror. Verum Amſdorffi donabo interim, te non mẽtiri, Furor ex Eraſmo, diuitis heri cuiuſdam penu ſentio. E quo obſecro tu tua furaris? Nolo dicere, quando alij dixerũt. Qui ſunt illi elegantes, qui gibbum Platonis et Ariſtotelis balbutiem dedita opera exprimunt? O imitatores eximie ſeruum pecus. Quis neſcit uos imitatores, taceo fures, non Pauli, non Ioannis, non Hilarij, non Eraſmi, ſed Lutheri? Et unius, contra Fabij pr&ceptum? Atq; utinam uobis, omiſſo aliquãtiſper patre illo ueſtro, alios legere & imitari libeat, non tam ueſtri q̃ communis ſalutis cauſſa. Do fidem uobis, Prophetas, Apoſtolos & Scriptores eccleſiæ noſtr& reliquos ſine ſtomacho furta ueſtra, nedum imitationem paſſuros. Amabimini CHRISTO ipſi tales fures & pro ſuſpendio cœleſtem aulam reportabitis. Nobis colemini propterea, tãtummodo citra pudorem confitemini profectum candidæ imitationis. Si fruſtra iterum moneo, fatebere Amſdorffi, me monuiſſe. De Eraſmo tam miſeris modis lapidato, non eſt quod ad te Hanere in præſentia ſcribam. Vnum illud dolet, uirum mei nominis importunitate lacerari debere. Sed hoc rurſum leuationi mihi eſt, in Luthero atrum odium diu iſthuc parturijſſe, quod iam undiquaque uenans occaſionem infeliciter peperit.

Vrit homi

Vrit hominẽ gloria Roterodamici nominis, et exco quit amplitudo Polyhistoris. Hoc qui non odorat, is nullas nares habet. Sentit Erasmum releuare de pressum caput. Sentit se suamq; factionem paulatim eiici. Hinc illæ lachrumæ sunt, Socerum depellere re gno, decretum est genero, partiri non potes orbem, solus habere potes. Dicas Lucanũ acu rem tetigisse, quamuis neutrum cognorit. Expectamus Erasmi se nis quidem, sed tñ non edentuli nec lippientis Apo logeticon. Non indiget mea defensione, quem uel nihil respondentem satis defendit aduersus irroga tas blasphemias, partim uictrix ac augusta ueritas, partim inuidia aduersarij blasphematrix. Nihil in ui rum expuit ructans archeuangelista, quod non con futabile ualde sit, cuiusue non bona pars in expuen tem recidat. Promeruit Erasmus ut eum honorẽ sci licet ipsi habeat Vuittemberga. Eandem fere gratitu dinem retulit Socrates ab Athenienſibus. Hoc pro fecto est bene merito bouem cum Pyrrhia non im molasse, sed bene meritum interfeciſſe. Hostibus tela porrexit uere bonus uir, quibus conficiatur. Scripsi longius q̃ putarem, dum te incito ad stadium & me arrepta ansa strictim purgo. Saluta in dño Christo phorum Fuerer & Albertum Ledser amicos. Vale. Confortare & esto robustus. Pone faciem tuam ut silicem. Vale iterum & tertio. Eislebij in Vig. Palm.

P. I. H. S. P.

REVERENDE PATER, SENTENTIAM TVam una cum literis accepi. De sententia in præsentiarum nihil pronuncio, nisi quod isthæc non solus, nec primus sentias. Quę ego hac in caussa disserere queam, cupis tu quidem certior reddi, sed ut queo tanta de re multa, nec fortasse inutilia dicere, ita non uacat mihi per grauiores occupationes, quæ habeo literis mandare. Epistola tua sanior non paulo est, & præ se fert ea animum tuum ita esse constitutum, ut si sit libera cuique sententia, Christianius de proposita quæstione iudicare & loqui possis. Ais enim tibi probari Paphnutij consilium prę neotericis. Ais te nescire quid pronuncies de Gregorio sept. moris quippe huius ecclesiastici abrogatore. Nosti plura absq; dubio q̃ ex antiquitate proferre possis, si uelis esse liberior, & in consilium adhibere, horum temporum necessitatẽ, & ter quaterq; pudendi cœlibatus plus mille & ea grauiss. incommoda. Nec, si uoluisses, sacræ literę te deserebãt, quibus nullus sol illustrior est. Scio multos pigere, non dicã pudere, præproperi certaminis in ista quæstione, ijs si in consilio fuisset maior DEI q̃ hominum metus, multa a suis scriptis recidissent. Hæc hactenus. Eram plura scripturus ad te uirum bonum & mei (quis uero ego sum?) sedulo studiosum, ni eodẽ die plu

die plures epistolæ scribendæ essent, & eæ ad uiros celeberr. Vale, me ama. Islebij. Sexto Nouembris. Anno M. D. XXXIIII.

I. VV. S. P.



IRVM NI cupias ad te mea carmina mitti,
Qñ colis studiũ tu quoq; Apollineum.
Quod colis, arridet, sed ego non carmina possum
Scribere, quæ doctis perplaceant oculis.
Non mihi cum Musis unq̃ res ulla secundis:
Nec fuit ingenio dexter Apollo meo.
Non mihi Castalij libata est guttula fontis:
Parnasi rupes nescio Phœbe tui:
Non lyra Flacce tua est usquam mihi uisa: nec unq̃
Vsus sum docto Tytere te socio:
Sed prægustaui summis utcunq; labellis,
Dux elegõn clarus quæ bene Naso canit.
Semper enim placuit lugens Elegia mœsto,
Talibus in numeris ludere sæpe iuuat:
Aut nugor potius q̃ ludo, si tamen ulla
Temnitur in paruis uenula pauperior.
Quodcunq; est, olim didici doctore poëta:
Illius Aönio pectora fonte fluunt.
Viuit adhuc etenim, potuit quem mergere Rhenus,
Sed delere nequit. Nam bona fama uiget.
Hessus erat nomen, noto qui splendor ab Hesso

Alter erat gentis maximus Hessiacæ:
Is monstrauit iter, facili ratione reperta,
Difficiles possim, qua cito nosse modos.
Mox numeris cœpi nudum connectere certis
Sermonem incp̃s suos cogere uerba pedes.
Ergo humiles si tu cupias nunc uisere uersus,
Hanc chartam a nobis accipe chare puer.
Illi si studio quantum par erat tribuissem
Temporis, hæc essent carmina digna legi.
Sed, nosti, rapuit totum me maxima cura,
Et nostræ semper Religionis amor.
Amplecti CHRISTVS pro Musis debuit unus,
Procp̃ helicone Zyon mons adeundus erat.
Præterea rerum discrimina multa retardant:
Atcp̃ meis illuc casibus huccp̃ feror,
Vt bene tornatos nequeam tibi pangere soleis
Versiculos, quales tu cupis esse meos.
Sum sacer excelso, uetulæ non Mysta Thaliæ:
Iure meas partes uendicat ille sibi.
Vellicat hic aurem dicens: Meus es, mihi serui,
Nil tibi cum Musis, Linque prophana sacer.
Sed eapropter ne existima Ioannes, poëticam Christianos dedecere. Quod ut censeam, non adeo insanio. Ecclesia ab initio sui semp̃ habuit uiros amplissimi ingenij, qui cum Theologia copulauerunt scientiam eius philosophiæ partis, q̃ Poësin, Rhetoricen atque Dialecticen

Dialecticen complectitur. Et diuus Basil. ad Nepo-
ſuum nõ tam eleganter, q̃ copioſe aſſeuerat iſtud ſtu
diorum genus CHRISTI profeſſores haudquaq̃ de-
decere. Vt de epiſtola Hieronymi ad Orato. quen-
dam Rom. taceam, in qua inuidis criminatoribus os
obturat, qui uociferabantur non decere eccleſiaſti-
cos, ut ſacris gentilium literas admiſcerent. Ibi pro-
fert nobis apoſto. Paulũ, in cuius ſacris literis locum
etiam habet Epimenides, Aratus & Menãder. Pro-
fert Apoſtolicos uiros, noſtrę religionis fortiſſimos
defenſores contra philoſophiam. Profert Tertullia-
num, Lactan. Cypria. inter Latinos: Græcorum ma
gna eſt multitudo: qui omnes optimi Theologi, &
ſanctiſſ. uiri, nihil non e media oratorũ atq; poëtarũ
ſchola, pro aſſertione ueritatis deſumpſerunt. Vnus
Tertulliani Apologeticus omnem fere ſæculi diſci-
plinam obtinet. Sed de Rhetorica & Dialectica con
trouerſia nulla eſt. Poëticam modo artem a Chriſti-
anis arcẽdam eſſe putant Barbari, nulla de cauſſa niſi
forte quod ea arte poëtæ gentiles ad deſcribendos
amores & ſermones obſcœnos adq; fingendas fabu
las abuſi ſunt. Ad hæc, quod eius uſus fuit in Thea-
tris, quodq; ad uoluptatem aurium adhibita ſit, ue-
lut in Comœdijs & Tragœdijs, item ad inuerecun-
das ſaltationes ut Choriambi, & ad maledicendum
ut Iambi, cũq; his Satyrarum morſus. Poëſis naturæ

donũ excellens(quod uero naturæ,an non DEI eſt, à quo totum Ens:)ſeruiuit paganis ad immũditiam: ſeruiat eadem Chriſtianis ad mũditiam.Pagani hanc ſcribendi formam retulerunt ad Idololatriam ſuam: Chriſtiani ad Theolatriam. Illi cecinerunt Heroïco cothurno arma mundanæ militiæ: noſtri canant eccleſiaſticam militiam.Illi pulcherrimis poëmatis celebrarunt laudes uirorum illuſtrium: noſtri ĩſdem,ſi quidem illis eſt facultas,prædicent laudes DEI & diuorum Eccleſię,uirorum quippe adeo illuſtrium,ut ad hos collati ethnici mera caligo ſint. Ad eum modum poterimus ſpolio prophaniſſimæ Ægypti in Euangelicum uſum uertere,& captam e gẽtibus mulierculam,nobis adamatam,proſelytam facere. Tale ꝑter alios ex noſtris fecit Hildephonſus epiſcopus, Damaſus pontifex,Auſonius Burdegalenſis,Proba mulier,Proſper Reginenſis,Paulinus,Sedulius,Prudentius,Nonnus,Iuuẽcus,Sidonius epiſcopus,Theodulus presbyter, Arator, Zmaragdus, Beda &c̃. Quos ſi quis imitetur, non uideo cur culpandus ſit. Eccleſiæ poëtæ caſta modo ludant, & quicquid ſæuerioris argumenti meditantur, ad Chriſtianæ philoſophiæ ornamentum referant. Noſtra religio omnino digna eſt, ut hac quoque arte tam apud exteros, quàm inter nos ornetur. Magis adficit & habet neſcio quid auguſtius ſpecioſiuſq;, et longius durat quod

rat quod carmine, q̃ quod oratione libera describit. Inquies: Tu uero cur fingis te uellicari, ne cum Musis commertium habeas, si a Christiana cultura alienum non est, poëtari? Admodum. Non debeo animum ita appellere ad id studiũ, ut eo totus sim, utq; inde laudem poëtæ uener. Nam totum sibi Theologia uendicat, cui iuuandæ in sacro lauacro renatus sum, et cuius laus non ex hominibus, sed ex DEO est. Cæterũ sicut Christiani abhorrere debemus ab istis uocabulis: dij, numina, superi, per Iouẽ, me Hercle, Pol &c. & tamen piaculum non est, si sobrie legerimus de istis portentis apud disertos authores, modo spectemus ad scopũ nostrũ, qui est CHRISTVS, & impias descriptiones ad pietatem reflectamus: Ita possumus procul ablegare figmenta Musarum, Camœnarũ, Heliconis, Cytheronis, Caballini, nec minus tamen uersus scribere, uel animi gratia, uel propter eos, qui nos uersu lacessunt. Et quum norimus nos a Minerua & Cynthio illo nihil doceri, impij simus atq; etiam ridiculi, si istorum nomina serio uspiam usurpemus. Loquor de Christianis. At tales esse multi non curant, malentes esse quod sunt, nempe Ethnici ingenio, studijs, moribus.

Nil mihi cum Musis, nec enim stultissima credo
Numina Pieridon. Enthea tota nego.
Nil flatum curo, ridetur & Impetus ille:

Verba

Verba tamen metris necto soluta suis:
Non rerum scriptor, sed qui priuata sodali
Acta queam calamo tradere nostra leui.
Principio lætor te corpore uiuere firmum:
Vt ualeas opto mente precorq; Nepos.
Maxima tu nobis peperisti gaudia amicis,
Ingenuas cupidus quod modo quæris opes.
Ostendit mihi crede bonam spem litera de te,
Quæ nunc ad promptas uenit amica manus.
Perge uia, quam carpsisti, uirtute sequente,
Polliceor patriæ te fore præsidium.
Si queras quid agam, Valeo bene, Cætera nosti.
Viuitur in magno quippe labore diu.
Hostes mitescunt nihil in feritate sua, sed
Increscit crebris auctibus hocce malum.
Vnus in hac hominum turba: miserabile uisu:
Quot maledicentum millia sustineo?
Vsque adeo uideas hos insanire feroces,
Hunc ut me dubites uiuere posse diem.
Sic Cyclops, sic ipse Phyax, sic dira Medusa,
Mortales suerunt in miseros furere.
Nil ego commerui, uiuo sine crimine: possit
Vt de me nemo, quod scio, iure queri.
Diuini uerbi sector pia dogmata constans:
Stat mea de CHRISTO sana tenaxq; fides.
Fœdatæ sponsæ maculas tristissimus odi:
Heu quibus

Heu quibus est uitijs contaminata domus.
Illius absumor caussa cruciatibus imis,
Non alius certe me dolor ullus habet.
Talis ab hæretico damnor grege pessimus unus,
Sicq; meam CHRISTI cum cruce porto crucem.
Tuq; uale felix nobis chariſſime fili:
Sit tibi cum primis, cura salutis, habes.

B. VV. S. P.

CHARISS. BERNARDE. FRAVDANTVR eæ nūdinæ mercimonia chartacea quidem illa, & in speciem uili, sed tamen nemini bonorum hominū fortassis futura inutili. Ita enim meam in eo opusculo purgaui existimationem, ut eque rem catholicam iuuisse aliqua ex parte me, & huius hostes optimo iure esse ultum, eruditissimi quiq; iudicaturi sint. Hostes nunc uero illi de silentio intempestiuo gaudebunt, atq; adeo de ignauia nostra triumphabunt, quom pensum tamen nostrum exoluerimus qualescūq;, sed emergere hoc in hominum lucem, quo minus quiuerit, per me, fortassis nec p operam uestram stetit. Ego talibus curis conficior. Nam isti ingenij fœtus labore mihi non usqueadeo mediocri constiterunt. Parentem tuum, uirum mihi uel ob dignitatis suæ insignia colendum, qñ tot eum occupant domestica negocia, nolui iam literis meis in-

terturbare. De eius singulari in me beneuolentia nihil dubito. Vale, disciplinam ama. Islebij. Duodecimo Nouembris. Anno M. D. XXXIIII.

D. C. C. S. P.

SCRIBITVR AD ME, TE CATHEDRAM deserere uelle. Quo nuncio non possum dicere, q̃ fuerim perculsus. Oro itaq; te, per sacra omnia, ne tm̃ facinus committas, ne usqueadeo pecces in DEVM & proximum tuum, ne tam graui pondere animam tuam subruas. Quid enim mali fecit tibi Ecclesia, ut illi subtrahas Verbum? Ais: homines quidem a Clero aq; Canone cognominati sua impœnitẽtia, sua inordinatione, sua tortuositate me facere officium nõ sinunt. Ergone ualedicturus eras toti cœtui, in quo multi boni sunt? Nolentibus non concionaris, sed uolentibus. Nolentes audire et obedire trade DEO uindici, & tuam animam libera. Hęc uti monerem, me solicitudo Ecclesiæ communis, & meus erga te amor suasit. Quod Christiane feceris, si boni ac æqui consulueris. Vale. Me certantem in certamine haudquaq̃ uulgari, precatione tua indefessa menter adiuua. Islebij, uigesimoquarto Ianuarij. Anno M. D. XXXV.

D. C. R. S. P.

Proxima

PROXIMA EPISTOLA, ANIMI TVI sensa, imo etiam ægritudines omneis in sinum meum familiarissime effudisti. De his me Harpocratem, nõ obliuiosum, sed mutum fore, nil est, quod dubites. Commouit me certe in commiseratione tui, honorãdi quippe senis, tam iusta querela. At mederi consilijs sorti tuo indignæ nomine quĩ possum? Rogas me semel & iterum, Audin' inquiẽs, Georgi quæ dico? Audio mi amice, et quidem ita, ut nemo liquidius. Adeoq; plus intelligo, q̃ audio, nec miror magnopere tuam istam Tragicam ecphonesim. O tẽpora, o mores: quodq; Satyrico uersu tam impotẽter abuteris: Vltra Sauromatas etc. Sed tñ iubeo æquiore animo ut sortem feras, culpãdam licet, donec aliquando contingat eam cõmutari alia, quæ tuam & deceat Professionem, & senili dignitati congruat. Vtcunque habet, adhortor ut soleo ad calamum. Quem legisti, in hoc seq̃re Iuuenalem, et apud temetipsum indignãter ructato: Semper ego lector tantum, nunq̃ ne reponam? Scribe & repone, forsan olim erit tempus optatum, quo in utilitatem nostrorum hominum scriptum publicetur. Nõ periturum est in tenebris omnino, quidquid Theologus tãtus in tuo conclaui lucubrabis. Memento te Theologũ esse, non equitem, neq; Choraulem. Rex Angliæ in Lutherum transformatus est. Sequuntur eum mul-

tæ regiones, propter grauissimũ iugũ papismi. Hoc est, cõmutant charybdi Scyllam. Nisi erit Synodus, aliæ quoq; regiones accedent in opinionem persuasionis huius. De seducta Pomerania in eandem hęresim forte nosti. Aiunt comitẽ Dessauicũ illuc quoq; inclinari. Lunburgum una cũ Meckelburgo in eadem pithanologia radices altum agit. Prussia & con terminis Liuonia in eodem ceno hærere gaudet. Vę somno speculatorum nostrorum, curant illi interim sua, imò non sua, id est, uere Ecclesiastica, sed plane & ualde mundana. Vale Islebij. Dorotheæ. Anno M. D. XXXV.

D. I. C. S. P.

NON EST DVBIVM, QVIN GVALTHE rus noster tibi legendas literas dederit, in quibus apud illum non sine stomacho de amissa epistola, quum primum fuisset ędita, questus sum. Ea narratione, opinor, tibi satis fieri poterat. Neq; tñ non grauiss. iniuriam inique tulisse putandus es. Cæterum priuatim purgasse me casum fortassis sufficiebat apud nonnullos, sed uolui ego eam rem publicitus agere, partim quia isti negocio par eram, partim quia ita decuit me, atq; adeo oportuit istud minime negligere. Interim uero quidã purgationi isti obtrectarunt, quum fauere debuissent, si cuperẽt reflorescere rectum ac uerum. Sed quæcũq; fuit mo

fuit mora, excuditur iam libellus, tuæ forsan opinioni plus commodaturus, q̃ meæ. Io. Haneri exiliũ ob Euangelium ueteris ecclesiæ susceptum, eo moderatius fero, quo magis scio, illum bonum esse uirum. Quod is a me petit p̃ literas, lubens faciã. Tuæ erit pietatis curare, uir optime, ut talem ecclesiastam Lipsia nanciscatur, ceu unguem in ulcere uicini hæresiarchæ. Verum cur ego Re. episcopi Vvurceburg. precib. non acquieui, plures caussæ sunt. Scripsi haec aliquot Iodoco Hesso, cui erat istud demandatũ negocium. Consilium tuũ in hoc, mihi magnopere arridet. Vbicunq; locorum ero, sine cruce nõ ero. Quare hanc in hoc pristino portare decretum est, usque dum uolet bonus DEVS. Scribere plura, sed præ dolore capitis non possum. Vale, pro me ora. Islebij. Dorotheæ. Anno M. D. XXXV.

M. I. H. S. P.

SIMVL ATQVE TVAE MIHI LITERAE redditæ sunt, gestij ad parandam responsionem. Ita enim tu tumultuaris, non aliter ac si iamiam in Caluaria de cruce penderes. Patere patere, frater: Hæc est uictoria nostra, quæ diabolũ & angelos eius latet. Nõ es seruus maior domino tuo. Scriptum est: Eijcient nomen uestrum tanq̃ malum. Sed pro summo gaudio nos eas procellas, hos turbi

nes,hæc tentamenta ducimus.Profligauit te N. ciui-
tas regis magni Hieroſolyma te excipiet. Expulit pa
tria terreſtris, patria cœleſtis expulſum colliget. Tu
modo caue,ne malis cedas,at uero contra audentior
ito. Audi eloquium dñi apud Prophetam: Nūquid
tota die arabit arans ut ſerat, Proſcindet & ſariet hu
mum ſuam? Nonne quum adæquauerit faciem eius,
ſeret gith et ciminum ſparget? Id eſt,Piorum afflictio
breuis erit. Conſolare in uerbis iſtis. Cauſſam exilij
non ſatis omnem intelligo. Scio te pati, ut Chriſtia-
num, ideo a te conſulor, ſed aueo cognoſcere, num
alia plura contra te ſchiſmatici habeant, q̃ tu com-
memoras. Vix enim credam,iſtos uſqueadeo in rabi
em actos fuiſſe propter unicam æditiunculam. Nam
quid obſecro probabilis cauſſæ ineſt in iſta accuſati-
one? Niſi forte longe alij ſunt proceres urbis illius, q̃
uel fert fama,uel de ipſis opinio. Si ſtat ejciẽdos eſſe
orthodoxos, fortaſſe plures illinc ejciẽdi erant. Vi-
de uero ne hoc malũ tuo capiti aſſuant theologi Al-
bani. Diuinas quos ſentiã. Illi certe non ferunt quoſ-
cunq; diſſentientes,niſi ejciendi nõ ſit poteſtas. Ex-
periris tu nunc quoq; tyrannidẽ Euãgelicam, quam
ego pridem expertus ſum. Sed uirtus in infirmitate
perficitur. Palus iſte ſuper carnem tuam poſitus do-
cebit te multam ſcientiam. Nunc eris magiſter Theo
logiæ, cuius ante crucem eras candidatus duntaxat.

Habe

Habe respectū remunerationis, & noli deficere. Est hæc tibi pressura non ad mortē. Virga mō est amantis patris, cui libenter spiritu seruis. Quod abs me etiam atq; etiam flagitas, non potui non præstare. Cur enim dubitem tanto ac tali fratri opem ferre? Videbis in ista excusatione tui, quo animi cādore meipm pro redēptione tui periculis obnciam: Ego omnem culpam à te propulso, & in me transfero, ut meo beneficio amicum iuuem: Vtq; meo damno resarciam factum, quod tu sæpe uocas imprudentiam, Ego uero prudentiam interpretor, & pietatis tuæ igniculū. Num mulieres sumus? Num putamus mundū DEO maiorem esse? Heu oligopistian & puerilem timiditatem. Qui epistolam non audet ædere exiguam, in commoda publica, quomodo is ædet uolumen coercēdæ sectæ necessarium? Bono ac æquo animo sis. Tibi nunc non necessitate, sed uoluntate seruio. Deprehendes hoc officio, q te sicut meipsum diligam, nō uerbo ac lingua, sed opere et ueritate. Mi homo, suffer tentationem, memor uestigiorum domini & sanctorum eius: me agonizātem, & in periculis inq; falsis fratribus agentem precibus tuis apud patrē misericordiæ adiuua. Vale in CHRISTO, cuius te paracletus & consoletur contra aduersa, & ad labores pios cohortetur. Islebij. Cinerz. An. M. D. XXXV.

I. H. S. P.

Interrogas

INTERROGAS AMICE FRATER, NVM Lutheri libros iudicem legendos esse, nec ne. Quod ipsum si tentandi fratris adeoq; illaqueandi gratia rogas, nulla te responsione dignũ iudico. Neq; enim impie tacet, qui ad quæsita subdola tacet. Sed iubet charitas abesse suspicionẽ, & perrumpit sine metu bona conscientia. Quid hominis sit Lutherus, & quod eius sit molimen, si tu adhuc nescis, haud equidem suasero, istius uti legas libros. Nã plericq; ostendunt ouillam uestem, posthæc prodit lupus. Si uero illum nosti, demiror, quamobrẽ malueris quærere de legendis libris, quam a uisis etiam procul fugere. Legi possunt, sed prudenti, atq; ei homini, cuius præmunitum est pectus doctrinæ sanioris plena certitudine. Insidiatur suauiloquentia simpliciorib. animis, rapit grandistrepẽs stylus, & propellit eò Ecclesiæ ruina sæpe etiam bonos. Si qd scripsit ille pĩj, mallem tale apud ueteres Ecclesię theologos legere, q̃ in libris mellito ueneno tinctis. Aliud est, si quis inquirendi studio legat, aliud si discẽdi. Legere ego sine periculo possum non Lutheri mõ, uerumetiam disputationes Manichæorũ & Arianorum apud August. nostrum: Sed cuiuis ut legat istiusmodi, non temere consuluero. Hamum inijciunt multa, quæ dicuntur probabilia, & crebra CHRISTI nominatio speciem pietatis habet, at hæresis suspitionem parit.

nem parit. Photinus, Cypriano teſte, enarrauit Symbolum Apoſtolorꝝ ſatis quidem docte, ſed quia ſimpliciter dicta ad argumẽtum ſui dogmatis trahebat, deuitandus erat huius liber, ne omnia probans, & quod bonum eſt ſeligere uolẽs lector, quod malum eſt imprudens glutiret. Diuus Auguſt. quidem libꝝ Ticonij Donatiſtæ a ſtudioſis legendum eſſe exiſtimat. Nam eum plurimũ adiuuare ad ſcripturas intelligendas, his enim uerbis utitur, Sed idem mox prænonendos putat ſtudioſos, ne incauti inter legendũ decipiantur. Sic enim ait: Caute ſane legẽdus eſt, nõ ſolum propter quędam, in quibus ut homo errauit, ſed maxime propter illa, quæ ſicut Donatiſta hæreticus loquitur. Qui legẽdi deſyderio tenetur, ei ego orthodoxos patres eſſe legendos iudico, ſi ſit animus, pręter ſacras literas, hominum etiam commentarios cognoſcere. Habes meum iudicium, nullo malo affectu corruptũ, cuius hæc, ſi uis, ſumma eſto: Lege ſeu potius deguſta omnia, ſed ſapientiſſimus. Vale. Iſlebij. Trigeſimo Aprilis. An. M. D. XX XV.

D. I. C. S. P.

RESPONDONES MIHI VIR OPT. QVOD ſerius reſpondeo. Heri primum extricaui me ex negocio aliquo, unde non parũ utilitatis ad lectores Catholicos reditũ iri ſpero. Cupio h prodeſſe

prodesse hominibus, dum hæc fugacissima uita manet. Qui uero illi, & quales sint labores, ab æditione cognosces. Sed epistolæ tuæ respondeam. Equidem bene sentio de inuocatione diuorũ, sed quatenus ad intercedendum, non etiam ad opitulandum isthuc fiat: Nec credo te mi homo, aut quotquot sunt priscæ Ecclesiæ doctrinæ studiosi sectatores, sentire aliter. Verba mea quæ quidam arrodunt, sic habent: In periculis inuocare sanctos, inuentum est superstitiosorum. Vereor ne hoc cedat in opprobrium neglecti DEI &c̃. Qua periodo istos taxo, qui DEI immemores, protinus clamant in naufragijs: S. Nicolaë adiua nos. Et in incendijs: Sancte Florentine adiua nos. Et in puerperijs: S. Margareta adiuua nos, &c̃. Certe in Litanijs Ecclesiæ tale non audiẽ. Ita uero: Pater de cœlis, miserere nobis, adiuua nos, libera nos, exaudi nos, propitius esto &c̃. Cæterum de sanctis nihil nisi hoc canitur: Orate pro nobis. Eam litaniam, Lutheranis ualde inuisam, ego quum sequor, cur isti superbi me calumniantur? Veneror & ipse diuos, canens eorum laudes, defendens eos contra sectam, optans ut pro me DEVM interpellant, cupiẽs ut cum illis in sinu Abrahæ collæter, satagens ut conformis illis fiam in imitatione fidei & cõuersationis, admirans dona DEI et uim spiritus sancti, in illorum corporibus exertam &c̃. Quid faciam aliud? Ostendis Nazianzenum & Augustũ, quippe qui secus sen-

tiant. Gaudeo, q̃ me admones. Laudo, q̃ me uocas ad orthodoxos ueteres. Sed testis est libellus meus de intercessione diuorũ, me Theologos illos antea consuluisse. Nazianzenus inuocat S. Athanasium et Cypri. ĩsdem fere uerbis. Quę quidem uerba si quis eò trahat ut putet Nazianzenum diuos DEI loco supplitiose imploraſſe, is simul in DEVM grauiter, & in Nazianzenũ peccet. Implorauit uero, non ut ipsi adiuuarent sua potentia, sed ut precibus impetrarent à DEO hæc, quæ Ecclesiæ pascendæ forent utilia. Tale te quoq̃ mi uir sentire, nihil equidem dubito. In ciuitate Augustini (libro & cap. a te indicato) multa pariter ac uaria lego, sed nusquã inuenio eiusmodi, cuius ego contemptor irreligiosus ab uno atq̃ altero homine iudicor. Augustinus asserit fidem resurrectionis & ascensionis in carne, cumq̃ carne. Cui persuasioni necessaria erat miraculorum narratio, maxime apud paganos. Sed qualia narrat? Recensebo singula, ut liqueat nihil horum mecum pugnare. Cæcus illuminatus est Mediolani apud corpora Protasij & Geruasij. Locus diuorũ memoratur, operatio diuorum non item. Innocentius Carthaginensis sanatur domi suæ, non pharmaco sed oratione tã sua, q̃ præsentium Fratrũ. Innocentia item apud eandem Carthaginẽ efficacia baptismi. Eadẽ sacramenti efficacia curatus est mendicus ille podagricus. Eadẽ Curubi-

tanus paralyticus hernosusque. Hesperij tribunitij domus oratione presbyteri in sacrificio corporis CHRISTI tranquillitati pristinæ redditur. In loco orationum, ubi erat infossa terra sancta de Ierosolymis allata, orat paralyticus rusticanus, & sanus abscedit. In uilla Victoriana liberatur a malo dæmonio adolescens, ad memoriam Martyrum, Christianis uespertinos hymnos cantantibus atque orantibus. Idem illæsæ sanitati restituitur oratione eorum, qui aderant, inter quos unus: Potens est DEVS, inquit, sanctorū orationibus qui fugauit dæmonem, lumen ei reddere. Hipponensis uirgo oratione et lachrymis presbyteri sanat. Orat epūs pro adolescente alio, & ilico caret dæmone. Florentius orauit apd martyres ut uestiretur, et uestitus est. Mirum uero, si martyres seniculum illū uestiuerunt, & nō potius cælestis pater, fortasse supplicatione martyrū. Ad Tibilitanas aquas, præsenti corpore S. Stephani uisum recepit cæca mulier. Lucillus epūs portat sanctas reliquias eiusdem protomartyris, & tactu sanatur eius fistula. Eucharius Chalamēsis per memoriā eiusdem protomartyris calculi morbo liberat. Idem alio morbo postea laborans ad mortē usq; opitulatione memorati martyris, tunica ipsius presbyteri super corpus suum missa, suscitatur. En hic opitulationē. Video. At cur isthuc additur? Ne uidelicet tanti miraculi gloria

li gloria impoſitæ tunicæ tribueretur. Igitur opitulationi martyris attribuitur? Neſcio. Quod ſi attribuit καταχρηστικῶς attribuitur. Sin uere attribuitur. i. abſq; tropo, Stephanus CHRISTI cultor, CHRISTVS erit, et in poſterum duos adorabimus Chriſtos. Sed ipſe miraculorum narrator Auguſt. ſua uerba ſuo ſenſu nobis explicet. Lib. eodem cap. ix. negat Martyres operari miracula, ſed tm̃ oratione impetrare. Quõ ergo opitulantur, ſi nõ operantur? Hic adigimur uel nolentes, ut a diuis nihil niſi interceſſiones ſupplicatorias expectemus. Pergam exempla perſequi. Martialis ethnicus homo, orante ſuo genero ad memoriam (id eſt in Baſilica S. Stephani) & neſcio quid florum inde de altari ad caput ægrotantis anima & corpore apponente, Chriſtianæ fidei donum electũ accipere meretur. Quo loco iterum ſubmoneo, ut conſyderetur, quid orarit gener ille, & apud quem orarit. Nam ſic habet contextus: Et illic pro eo quãtum poſſet oraret, ut DEVS illi (Martiali) daret mentem bonã, qua credere non differret in CHRISTVM. Præterea per eundem martyra tres podagrici, & alij nõnulli ſanantur. Hic quoq; obſtaret ſcopulus, ni aliun de affulgeret lux, qua obſcuriora aut etiã minus conſyderate dicta dilucidantur. Theologiæ ueteris regula eſt, oportere ſecũdum plura intelligi pauciora. Proprium uero hæreſeon eſt, pauca aduerſus plura

defendere, & posteriora aduersus priora suscipere. In Auduro reuiuiscit puer mortuus ad memoriã S. Stephani. Item sanctimonialis quędam. In Hippone orat Bassus pro ægrotante filia ad memoriã S. Stephani, et iam mortuam, uitę reddităm uidet. Hirenęi filius, eiusdem martyris oleo perunctus a morte excitatur. Vtinã docear integre de oleo, de ueste, de floribus illis: Adeo non obluctarer Christiano doctori, ut mihi etiam ipsi sim gratulaturus, si ueritatẽ discere contingat qualicunq; modo. Vltimo nõ prætermittam & illa: Eleusini infantulus mortuus, sup memoriam martyrum positus, orante cum multis lachrymis pr̃e, uitę restituitur. Talia miracula sępe uisa sunt. Chalamæ, ubi & ipsa est memoria. Præterea Vzali, Petronia clariss. fęmina, desperata medicis impetrante martyre, sanata est. Exempla cũ Augustino finio. Paulo superius, ubi de datis libellis & in populo recitatis scribit, hæc uerba loquitur: Fiunt ergo etiam nunc multa miracula, eodem DEO faciente, per quos uult, & quemadmodũ uult &c̃. Porro laudatio uociferantis populi uisis miraculis, in DEVM translata semper est. Nam ita inquit Augustin. Quis ergo intuentium se tenuit a laudibus DEI? Mox infra appellat miracula diuinæ misericordiæ facta. Capiti huic longiss. hunc imponit scopum: Quid erat in cordib. exultantium, nisi fides CHRISTI, pro quo Stephani sanguis

sanguis effusus est. Rursum cap. ix. palam dicit: Pro ista fide mortui sunt, qui hęc a dño impetrare possunt. Nihil profecto hactenus totis his capitibus occurrit, quod ego uspiã aut calamo negarim aut ore. Omnia penitiss. inspiciantur, & nemo de me siniſtre suspicabitur. De te nõ dubito quin orthodoxe cum tanto uiro credas, quare satisfactum iam diu tibi est. Imo tribus uerbis satisfieri potuit, homini tibi quippe, cui hęc pleraq; pridẽ cognitiss. erant, & uir tãtus Augustinus, ut nemo, familiaris. Morosis disceptatoribus nonnunq; in loco & tempore pluribus est respondendum, ut ipsi rem primũ intelligant, & postea disputent. Reinherum comitem a Vuesterburg non audeo interturbare importunius. Fauores magnatũ sustinere possum, sed ambire nõ possum pro mea uerecũdia. Attñ si occasio daretur, obtemperarem consilio tuo. De Postilla (quã uocant) nihil certi promittere ulli possum. Hoygerus, princeps meus, ante sesquiannũ fortuito sermone uellicauit mihi aurem de conficiendo Homiliario. Ego onus immensum corã detrectaui. Hyeme transacta suasit eò Gualtherus noster, atq; id non suo tantum nomine. Visum præterea fuit Georgio duci Saxo, illustrissimo, non ita multo post Re. D. Epo Mersburgeñ. Fortasse futurum est, ut audeam facinus egregium, si per infirmam, & uigilijs quamlibet exiguis detritam ualetudinem

letudinem liceat. Vbi Eckerlingo nugoni respondero, primum in manus sumam translationẽ Vuittenbergensem. Hanc obeliscis ita notabo, ut uitari a pluribus, si minus ab omnibus, debeat. Cuiusmodi labor aliq̃t menses sibi uendicat. Totum Maium una cum dimidio lunij proximi iam tum impendi ad id operis. Nondum tamen, quæ obiter notaui inter conferendum, digessi. Decreui enim prius conferre atque censere, q̃ scribam. Nuper cõtigit mihi Concordantia hebraica, Venetijs a Daniele illo Bambergico typographorũ omnium maximo excusa, qui codex mire proderit huic instituto. Iam q̃d rogas, libẽtiss. meminero sororij tui Lipsiaci bibliopolę. Gaudeo esse, quorum subsidio res nostrę procurent. Vtinam uel illius bibliopolæ opera, lucubrationes meæ & facilius & emendatius æderentur. Doleo tot mendis referta esse omnia, quæ ego accurate scripsi hac manu. Gualtheri mœror, præter modũ me mœrere fecit. Condolui illi, tanq̃ patri meo. Scripsi ad eum paracleticam. Vtinã desuper accipiat consolationẽ ipse, et uidua filia. Vale in domino IESV. Islebij. Laurentij. Anno M. D. XXXV.

P. I. H. S. P.

ASCRIBENDO FERIARIS, AMARE PERgis, nisi totum Hessum penitius non noui. Erat uero non incongruum, ut quẽ ames, literis quoq;

literis quoq; uiuidis solere in hac tristitia, & in certamine non usqueadeo contemnendo confirmes, sed amori nihil præscripsero. Cæteros amicos confido, ut sunt uiri fidi, pristinum animū erga me haudquaq; immutasse. Non possum scribere, quanti illi mihi fiant. Constantia Catholicos arguit. Nisi me ego sentirem bona ire uia, iam olim succubuissem æmulorum meorum insultibus. Spe instaurandi Christianismi uiuo, quæ si eripiatur, mors dulcissima futura sit, mihi nimirū & alijs, quotquot in amaritudine ducunt dies suos. Turca hac æstate colliditur foris. Satan domi triumphat. Mundus edomatur. Ecclesia interim ab eo infestatur Tyrāno, qui nullis armis, nec Hispanico milite fundit. Gratulamur uictori Carolo, sed magis gratulabimur eidē, si huius opera CHRISTVS Opt. Max. domum suam et hanc unam, a uitiosis doctrinis moribusq; repurgauerit, Et eādem aduersus hæreses communierit. Vale. Islebij, uigesimo Augusti. Anno M. D. XXXV.

R. E. S. L. D. D. S. P.

QVI R. T. D. PETITIONEM, REVERENdiss. atq; clarissime præsul, ad me sermone detulit, nuncius non acceptissimus esse non potuit, si quidem uir tantus eò sese deijcit, ut hominem indignū ad colloquium euocare non dedigneť.

i Non

Non soleo ambire magnopere Heröum amicitias, multo minus ullo pacto extorquere fauores, quos tamen nequaq̃ inuideo ijs, quibus fors obtigerunt. Non calcauit hic pes hactenus principum aulas, nõ triuit domos Regum, ut sum hõ non priuatus modo, uerumetiam rerũ humilimarum sectator in dño. Ab amicis meis uero exulare, hominũ turbam fugere, abesse procul a magnatibus, strepitus ullos non audire, non uidere sæculi pompas, non interesse populi mundani magis q̃ Christiani lętitijs, forum non adire, no extimescere gladium iudicis, non uereri accusatorum ora, atq; adeo ipsam ignorare ciuitatẽ in qua duriter milito, sed in angulo hoc meo delitescere, hanc mensulam codicibus operire, cum mutis prę ceptoribus exerceri, stylo papyraceos arare sulcos, inter lucubrandum anhelare, continuando deficere, respuente nimirũ iniustum onus & capite & latere, præterea frequentare tẽplum uacuum, sannis senum tribulari, ludibrijs puerorũ obrui, infimorũ hominũcionum odijs conspui soleo. Quod quidem non eõ R. T. D. commemorarim, ut hinc quisq̃ (noui.n. quorundam mirifice improbam mentem) Vuicelium ceu Timonem illum Misanthropum esse iudicet, aut eum quærere alijs uti displiceat, qui placere multis possit, sed partim ut R. T. D. de statu rerum mearum hoc modo reddatur certior, partim ut excusabilior

ipse

ipſe forem, ſi memet accommodare mori aulico non queam, Diogeni quippe q̃ Antiſtheni ſimilior. Simplicitati conſecratum ingenium moreſq; mei ĩ ſunt, ut eiuſmodi ab ęmulis forſan, non ſimplicitas, ſed inſolentia putari poſſit, niſi res ipſa inuitos eos ad rectius iudicandum palã adigeret. Cæterꝝ haud mihi mediocri gaudio eſt, quod R. T. D. apud pleroſq; ita bene audiat. Eſt nimirum iſtud uetus optimorum principum exemplum, ciues comitate ac liberalitate ſibi deuincire potius, q̃ ſæuitia cogere, faſtu prẽmere, poſtulatione extenuare. Bonus dux prælígit díligi a ſuis, q̃ metui, & hoc ſtudet uigilantius, ut laudatione apud omnes ubiq; mortales ornetur, q̃ ut fœdaẽ uituperatione. Et ſi tale non faceret dux prophanus, honeſtiſſimum tñ id & illuſtriſſimum ſit, in præſule Eccleſiæ. Declarat uero haudquaq̃ obſcure hæc mei ad R. T. D. euocatio, q̃ & Chriſtianę pietatis ſtudioſa eadem ſit, non tantum reipublicæ iſtius. Tãetſi mihi huius ſtudĩ nonnullum argumentum aliunde etiam fuerat cõpertum. Beatas ciuitates ter & amplius, quibus ut habeant rectores huiuſcemodi, diuinitus contigit. At cuiuſcemodi tandem? Qui præſtent patres in Republ. & paſtores in Eccleſia, ita utrũq;, ut & ſuis ſatisfiat conſcientĩs, & officio. Infans ego ac indiſertus quidem ſum, ſed tñ polliceri operam meam auſim, & talem locare laudandis talibus epiſco-

pis, q̃tumlibet hactenus uitaui istud debuccinãdi genus, ne uidelicet adulari ei, quẽ laudare decreuissem, uiderer, maxime ætate ista inuidiss. Veniam itaq; accersitus (dum modo tuto liceat præ malis hominib. utcunq; huic capiti infestis) ad Christianum p̃sulem, & suæ patrẽ patriæ, auditurus R. T. D. sermones sapientia conditos, auditurus, inquam, principem uirum supplex, ac magistrum discipulus. Neq; erunt omnino inutilia omnia Ecclesiæ, nec usq; adeo Politiæ infrugifera, quæ inutilis seruus R. T. D. in pace respondebo. Mitto R. T. D. par libellorum, quorꝝ altero fidem, altero uitam doceo, & doceo e scripturis: ut uidelicet magis adlubescat p̃js animis, quod doceo. Vtinam nemo doctorꝝ minus pœnitẽda tradat. Libellum Hypodigmatum me nesciente Coloniæ ædidit Nausæa noster. Putabam per charites pridem perijsse opusculum illud laboriosum, quod ante annos quinq; amplius in Saxonia meditabar, non sine sudore inæstimabili. Sed hõ candidiss. Nausæa dum me nimiopere attollit, odijs inimicorꝝ meorum incle menter obijcit, licet imprudens. Non agnosco tale esse in me, quod ille prędicat. Ipse me certe probe excussum melius noui. Dare uero operam singularem debeo, ut quod uir opt. et idem eruditiss. de me prędicare non dubitauit publicitus, aliqñ reuera pręstẽ. Hac hebdomade prodibit sermo diui Cypriani de

mortalitate

mortalitate, quem autumno proximo germanicum feci, cumq; hoc libellus, cui titulus est, de mortuis & horum sepultura. Respõsio, qua Eckerlingum quendam, Ecclesiæ hostem, retũdo, nõdum est omnis absoluta. Vtor in hoc Antagonista refutando summa moderatione, & cuncta ea tracto diligentia, ut demirer si extiterit inter Christianos ullus, qui uel mutire contra iure possit. Hac hyeme toto conatu, nec usq; adeo infeliciter, sicuti ꝓmittere initia uideo, aggressus sum ad limam reuocare trãslationem Bibliorum germanicam, idq; non alio animo, q̃ ut Germaniæ nostræ inseruirem cõmodis. Ferre non ualeo amplius pseudermeniam sacræ scripturæ. Satius multo fuerat, nullam scripturæ, q̃ mendacẽ interpretationem extare. Sentio me in id operis peculiariter incalescere, & singulari quodam numine huc deditum. Vires oneri pares is suppeditabit, a quo uniuersa uis, sedibus æthereis dimanat in omnia membra: Id q̃d difficile est, efficit is facile. Intra menses quatuor uix perfecero. Fortassis cum resurgente CHRISTO exibit e latebris, ut cũ illo excitato eat in sanctam ciuitatem Ierosolymam, quæ est Ecclesia DEI uiuentis. Labor plurimus, lucrum inuidia, adeoq; certum corporis mei ualetudinarij dispendium. Verum quid hoc causor? Quasi eam ob rem in mundum non sim natus. Gratis manducare panem nõ debeo, & ita meipsum

 assuefeci

assuefeci perpetuis laboribus, ut non possim etiã aliter. Diu uiuat ualeatq; R. T. D. in uinea CHRISTI pastorum principis, cuius spiritu sancto reuiuiscat germana Christianorum pietas & inclarescat uetus ueteris Ecclesiæ doctrina. Apud Islebium, in die S. Nicolai ecclesiastici episcopi, in docendo & faciendo. Anno ab orbe redempto. M. D. XXXV.

D. C. S. S. P.

IVSSI SAEPE QVIDEM, VT TE VIR clariss. alij meis uerbis salutarent, id quod perq̃ honorifice eos factitauisse, nihil plane ambigo, Sed qñ mihi ita p̃dicaris, nimirũ qui non solum optimus homo, uerum etiam sis pñssimus, atque lucubrationum nostrarum, utinam minus nugacium, callentissimus lector, haud potui mihi temperare, quantumlibet laborum plurimorũ mole obrutus, quin ipse te non modo meis uerbis, sed meis etiã literis salutarem. Meretur hoc afflatus ille Dominicus, q̃ duce tu, posteaq̃ omnæ doctrinæ genus prægustasti, adpulisti tandem animum ad certiss. & solidiss. doctrinam, Nam ea demum doctrina Religionis certissima solidissimaque & tutissima sola est, in quam neq; hæreticorum phalanges, neq; sophistarũ turmæ, neq; ipsa denicq; toties sperata Synodus quicquam unq̃ poterit. Ego tibi nuper percepi ex rumore Monar

re Monarcham Carolum una cum Ferdinãdo ſchiſmaticę confeſſioni dediſſe nomen, Imo manus quoque, & ĩſſe pedibus in apologiæ hæreticæ ſententiam, fui nonnihil commotus Reipub. cauſſa: at uero doctrinæ, quam miſericordiſſ. pater me miniſtro Eccleſiæ ſuæ reddere cœpit, nihil prorſus metui, quod ſcirem huic nec ipſum principatum mundi præualiturę. Firma petra eſt, cui innitor. Hac ſalua, quid metuam? Pars utraq; poterat amplecti doctrinam hãc, niſi in ſuũ quæq; dogma, aut iuraſſet religioſius, aut animos immerſiſſet deſperatius: Vt de pudore humano nihil referã, cuius tanta uis eſt, ut plericq; CHRISTO DEO citius, q̃ aut Luthero, aut Scoto ualedixerint. Seriús quidem doceo, et iam altum actis paſſim errorũ radicibus, uerũ hoc fortaſſis excuſandum nõ eſt, ſed prouidentię diuinæ adſcribẽdum. Alioquin poſſim dicere, ſuum hunc morẽ ſemper habuiſſe ueritatem, ut adreperet ſerius, tum etiam q̃n error iam fuerat oĩa populatus. Iudicio diuinitus doctorum ac ſpiritaliter ſapientum cauſſam hanc lubentiſſimus ſubĩcio. Horum aperti oculi mox conſpicabuntur, uenam uere auream priſcæ Eccleſiæ refodi cœptam, cuius bonitatem ipſe, ſi nihil aliud, percupiam omnibus Chriſtianis cognitiſſimam reddi. Facile ĩdẽ uidebunt, et tale ſine mora in ipſorum animis defigetur, me neq; ut placeam ſuperſtitioſis quærere, neque ut

prophanis:

prophanis: Imo quando utrisq; displiceam, ab utrisque haberi odio. Nã infelix ego hactenus maxillam dextram sectæ, sinistram Sorbonę obuerto. Qui iuuat partes, eum necesse est, aut fauere mundo aut carni. Sed fauẽtes tanto malo ipsi sese, quia ignorãt, acrius et sua tuentur, Apostolica eliminãt. Doctrina certe CHRISTI neq; mũdana est neq; carnalis. Hoc fortassis ipsi inficias uix ierint. Quur ergo istorum opera fit, ut præter mundana carnaliaue in suo regno nihil fere uideamus? Aut enim seruitur (loquor de cultu DEI) ἰουδαϊκότερον, aut uiuitur ἐθνικότερον. Illic concionãtur suas propositiones, hic uero suas opiniones. Illi scribunt ac disputant, quę suo respondent instituto, ñ quæ suo respondent instituto. Nolunt mutare sententiam, etiam conuicti, & Verbo diuinæ maiestatis stupefacti, ne uideantur esse inconstantes: Magis tñ ob eam caussam, suam quæq; pars sententiam mordicus retinet, ne alteri altera de uia cessisse dicat. Altera Canones, altera habet locos communes. Atqui si uelimus nostri saluti in tam execrabili dissidio recte consulere, prudentius fuerat, oculos ad Ecclesiæ initia uertisse, adq; exempla patrum. Nam illi in controuersijs hęreticorum refugium habebant, in sacris Biblijs pariter & Ecclesiæ initijs. Qua ceu prærogatiua minime uulgari gloriari poterant primi scriptores. Ecclesiæ igitur primę, hoc est, Apostolicę doctrinam,

ctrinam, ritus, traditiones, opponimus nos Meta-
physicis iuxta ac schismaticis, hoc est, tam ijs qui eccle
siæ authoritate confidunt, quam ijs qui bibliorum.
Proinde si nunc ita publice doceatur, ut docuit olim
Paulus, Dionysius, Irenæus, Athanasius, Chrysosto
mus, Cyprianus, Hieron. Augustinus, quis Christia
norum, modo idem sanus sit, reclamare ausit? Præte-
rea si ita nunc administrentur Ecclesiæ res omnes, &
is sit huius ordo, eę traditiões, eæ ceremoniæ, eæ con
suetudines, eæ obseruationes, quales olim extiterunt
regnantibus nimirum in Ecclesia antedictis Patriar-
chis, quis omnium uelit reluctari? Accersérunt leges,
scio, & accreuerunt ritus noui, cuiusmodi latuerunt
primæuam ecclesiam. At illiusmodi, si a Bibliorũ au-
thoritate nihil habeant diuersum, et multitudine sua
Christianum populum nõ premant, teneri sine con-
trouersia poterant. Hęc ego quum moneo, quonam
ore quidam perditi homines infamant me ueluti pe-
regrinæ Sectæ principem? Neq; dux Sectæ, neq; co
mes unq̃ ero. Illud tm̃ elaboro, hoc meum est institu
tum, ut ad Ecclesiæ antiquæ formã & degeneres hu-
ius filios, & eos reuocem, qui ab hac palam defece-
runt. In hoc desudo, ut ad sui agnitionem utroscp; in-
ducam: Quod effecero, ubi illi ex æquo fatebuntur,
se hominibus magistris nimirũ adhæsisse, et sibi ipsis
ad exitiũ usq; placuisse. Si in terris forent patres mei

Ecclesiastici, non dubito, quin candidissime me excu
saret aduersus improperia clamosissimorꝝ sycophan
tarũ, et studia mea omni ope proueherẽt. Nihil que
ror acerbius, quam non adesse mihi in uiuis scripto
res Ecclesiæ, socios meos, non tm̃ prꝫceptores. Libri
illorꝝ adsunt semp fideles satis, sed ipsi Bibliographi
coram dimicarent fortius, fusuri in fugam nũc hunc,
nunc illum, quotquot uidelicet deseruissent cum do
ctrina Ecclesiastica pios ritus. Scriptores itaqꝫ orien
tis atqꝫ in latum sese protendentis Ecclesiæ quum ha
beam amicos, & suffragatores, nõ sum Vuicelius so
lus, nec magnopere erubesco, quoties cogor cernere
tantam doctorꝝ turbam obseruire sectis. Etem̃ si de
numero, si de bonitate doctorꝝ uirorũ certatur, nos
uicerimus. Quod si rixeris de optimorꝝ membrorũ
consensu in Ecclesia, ĩdem uicerimus. Nisi forte non
ita senserunt, quemadmodũ scripserunt. Quanta est
portio eruditiss. hominum, qui hodie quoqꝫ cũ Ec
clesiastica p̃dicatione (cuius ipse uox sum minima) ue
re consentiunt, sed plerumqꝫ in obscuro, malentes ta
cere & sibi uiuere, q̃uel ullos offendere, uel ociũ su
um perturbare? Illi qm̃ tacent, lapides clamare opor
tet. Docti nolunt scribere, igitur scribimus indocti.
Forsan aliquando prodibunt hoc infractiores illi,
quo nunc formidolosiores latitant. Interea nos taci
te istorum recto iudicio, ac Christiano consensu frue
mur,

mur,persuasi, meliores in orbe terrarum homines a nobis stare.Sed quò deferor? Tu prudentissime ege ris,sapientissime uir,si nullius personæ respectu habi to,uiam ueritatis æternæ elegeris. Custodiuisti ani mam tuam,si in Euangelio toti olim orbi diuulgato firmus perstiteris,neq; ab eo te uel sinas auellere mul titudinem dissidentium hac tempestate, uel facundi am dissuadẽtium,uel usurpatam authoritatẽ ui pro hibentium. Doctrina rectior puriorq; ut fuit nõ ab omnibus semp recepta,ita nunc ut recipiatur ab oñi bus quis speret? Videmus uero contra, quali omni um fere hominum plausu recepti sint errores pestife ri.Euangelium CHRISTI DEI nunquam fuit uilius, nunquam plures passum est adulteros, nũquam in quinatiore tractatum est caupona. Ipse cuius res agi tur,CHRISTVS Opt.Max. uisitet uineã suam in pa ce.Sin nolit,stetit Christianismus. Sed non despera mus,nec deficimus in orationibus nostris pro uinea dñi Zebaoth.Cæterq; de statu uitæ meæ huius,si qd uoles certius, ab amico qui tibi has literas reddidit, ciui grauiss.& eodem prudentiss. exquirere poteris. Nihil hic magnificum,nihil splendidum. Agimus in infimis, nos ipsos humilibus accommodantes, iuxta Pauli uerbum.A mundo seiuncti, meditamur in le ge dominica, Quæ nisi esset delectatio nostra, forte periissemus in pressura nostra. Exosses Euangelistæ

mira moliuntur, abutentes ſtoliditate effaſcinati populi: ſed dño cuſtodiente nos, ſicut pupillã oculi ſui, nõdum potuimus deiici. Cum primis uero mihi res eſt cum Calydonio quodam apro & Marathonico tauro. Aper uaſtat hortum DEI uiolentius, hõ quippe non uiolentus ſolum, ſed uinolentus etiam. a nomine coërceo calamum. Vbi cogar, publicum certamen cũ illo ſuſcipiam. Taurus ingens animal eſt, clamoſum ſatis, & uel cornuum minacitate nobile, homuncio ſcilicet, quem ſi Antipater uideret, ut uidebat Demadem Atheniẽſem, præter linguam & uentrem illum nihil eſſe diceret. Apud Romanos ueteres, Aulo Gel. teſte, equum adimebant cenſores nimis pingui corpulentoq; equiti, ſcilicet minus idoneum rati ad faciẽdum equitis munus: At hodie apud ſobrios Germanos committũt plericq; euangelizandi prouinciam obeſiſſimis uentribus. Et ibi fere maior in audiendo fides eſt, ubi maior Euangeliſtæ uenter. Apparet palam quid quæſierint iactatores tenuiſſimi uictus ac ueſtitus. Neq; tñ datũ adhuc eſt Germaniç, ut quæ alij palpant, uidere poſſit. Vale bene, & quem diligere cœpiſti, adama. Vale iterq;. Iſlebij. Decimoſeptimo Ianuarij. An. M. D. XX XVI.

M. I. H. S. P.

Peream

PEREAM MI AMICE, SI TE NVNC MI nus amo, atq; amaui antea, Adhuc hodie, hac ipsa hora exosculor spiritum euangelicum, qui loquit̃ in libro Prophetiæ tuæ. Nulli hic affectus transuersum me abripiũt. Obliuiscor expostulationum tuarũ, parum amicarũ, Attñ obliuiscor, quia diligo fratrem. Nihil exprobro, nihil impropero, breuiter nihil irascor. Est hoc cor ut a simultate alienum, ita philadelphia calens. Addere philostorgiam audeo, utpote quam in Romanis philadelphię adiunctam uoluit Paulus. Nõ quia ita præcipit Paulus, sed quia diligo fratrem, & Energeia dilectionis, qua me prior dilexit Dominus. Cæterũ moneo te, quem diligo fratrem cum primis, ut me uicissim diligas, Nihil enim mihi preciosius dare poteris: Deinde ut strenue prosequaris, si quid es exorsus in enarrando Paulo, contra Antipaulos Lutheranos: Postremo ut animo infractiore feras a patria tantillum exilium. Audio dicere ciues tuos, se tua si cute claudentur, nolle etiam, si liceret, in tali rerũ statu illic uiuere. Omitte quæso paulisper patriam, dum reflauerit cœlestis prouidentia. Nisi te amaret DEVS, nõ flagellaret. Et quid usqueadeo adhuc atrox pertulisti? Cessa conqueri, noli iritare bonum patremfamilias, quem ex Euangelio Filij abũde cognoris. Expecto ego in horas omes ab utraq; parte, nescio ne exilium

prius, an carcerem. Nihil quidem cõmerui, ſicuti tu quoq;, ſed tñ expecto, qa ſcio quid ſit in homine, & uideo clare horæ temporum tenebras. Bambergæ tu interim degens, non officiũ tuum nõ facies, eò uidelicet referens omnia, ne aut errori ueteri patrocineris, aut nouo. Intra eccleſię limina te conſtanter contine, Eccleſiæ ꝟo uitia noli tutari, morbos huius noli diſſimulare. Viam DEI noſti, hanc alacris ingredere. Ea uero eſt CHRISTVS ſeruator in morte, & Magiſter in uita. Reſpiciundũ eſt in Icona boni eccleſiæ ſtatus, qualis olim fuit, atq; huc dirigũdi animi Chriſtianorum. Pñ ſacerdotes in Francia orientali ab hoc præmõſtrato ſcopo non deflectent. Si qui ſunt mali, malo relinqto. Nos inſectamur neminẽ, ſed ueritatem dicimus, dulcẽ quippe illam euangelicis pectoribus: alñs uero an eadẽ amara ſit, ignoramus. Vale chariſſ. homo. Vale etiam atq; etiam chariſſ. frater. Iſlebñ, Decimoſeptimo Ianuarñ. An. M. D. XXXVI.

D. F. N. S. P.

FRIDERICE, VIR, QVEM EGO AMO, ET diligo maxime, ſi ad te literæ meæ non peruenerunt, ut uolui, nihil habeo, quod excuſem. Cæterũ hoc cor præpollet & literis redditis, & literis non redditis. Sic te, ſic te, inquã, in hoc ipſo gero corde, ut ſi eiuſmodi uelim uerborũ inanium fucis eloqui, adeo nequeã, ut nihil minus. Hũc meum Fridericum

dericum amare, honorare, colere me si quis uetet, is aliud non fecerit, quam si uetet Vterinum uere germaneq; fratrẽ, amare, honorare, colere. Qui prodijt Coloniæ libellus, tuæ pietatis eruditione commendatus, mihi erat uel ob hoc gratiss. q̃d plane cognorim, tuo illo iudicio ante placuisse, quam daretur in publicum. Video tibi uiro tali, amico tanto quid debeam. Comes illustriss. Philippus fortasse hanc luctãacrem, in qua non feliciss. concutimur, fidei Christianæ te hominẽ quippe Christianũ, nescire non passus est. Vtinam uero tu Friderice, Tuq; fortiss. Faber faceres, ut opera uestra, studio solicitudineq;, CHRISTVS rex mansuetus ac pauper olim, permotus, tandem post tot querelas, post tot uota, post tot lachrymas, post tot indignationes, post tot fremitus, post tot imprecationes, post tot precationes, post tot ursiones, post tot efflagitationes, post tot admonitiones, post tot expectationes, post tot expostulationes improbiss. post tot deniq; obsecrationes, Ecclesiam ueterẽ misso paracleto, spiritu ueritatis. i. spũ suo reædificet, reformet, repurget, restituat, ac cõsolidet, ita ut aliqñ uideamus unũ ouile in dño, in quẽ credimus, quẽ diligimus, cuius gr̃a ego, ut uix alius, mordeor, laceror, crucior. Amor dictabat plura scribere, at nõ licebat. En in trib. syllabis uniuersum: Amote. Vale. Islebij, Secundo Febr. An. M. D. XXXVI.

Dominus

D. H. C. E. S. P.

DOMINVS TECVM VIR FORTISS. ET idem doctiſſ. Lucubrationes tuæ, quas q̄dem uidere contigit, ita me adfecerunt, ita totum in tui magnam admirationē traxerunt, ita denique in eadem immotum tenuerunt, ut huiuſmodi neq; poſſim uerbis exprimere, neq; tu, ſi ego exprimam, queas credere. O quāta facit animæ meæ, quæ bona retribuit, quas addit delectationes cœleſtis pater, quoties talia ſcripta oculis meis obijcit? Satis mihi eſt uidere libros uere Chriſtianorū uirorum, q̄n uiros ipſos uidere hactenus non datur. Hos tñ uidere non minore propemodū cupidine teneor. Tu perge conſtanti forticq; pectore ſcribere, diſputare, certare, excitare, oblectare, breuiter uincere. Polliceor tibi gloriā nominis Agrippini, & coronam uitę apd immortalem regem CHRISTVM. Facis prudenter, quod a ſectarū contagio refugis, quodq; in Eccleſiæ loco tuto manens, Eccleſiæ mille amplius incommoda Euangelij iure arguas. Sum & ego in Eccleſia, ſed mihi pugna tñ creberrima eſt cum adulteris Eccleſię pariter & eiuſdem adulterinis filijs. Hinc pſeudocatholicorū ſtultitia, illinc ſectę rabie exerceor, ſed non cedo. Sophiſtę ter miſerādi faceſſent tibi paſſim plus ſatis negocij, at tu ſta ſuper cuſtodiam tuam, ea qua cœpiſti animi fortitudine egregie heroica. Veritas

Euangelij

Euangelij certa prodit e tenebris, uetus error abit, unde uenit uidelicet, in rem malam: Quo fit ut boni homines amare Eccleſiã matrem incipiant, & odiſſe ſchiſmata Germaniæ. Libuit pluribus ſignificare quæ te ſcire uolui, ſed in alieno hoc loco per uarias interturbationes non licuit. Vale in IESV ſeruatore, cui uni ſcopo omnis intende. Lipſiæ, uigeſimoquarto Martij. Anno M. D. XXXVI.

I. P. E. S. P.

ILLO IPSO DIE, QVO SCHEDVLAM ad me mittebas, e Lipſia recedere me oportuit, urgente nimirũ uectore meo. Alioqui nihil poterat mihi optatius contingere, atq; ad horã unam ſaltem tua conuerſatione frui. Exiſtimauiſſem profecto me beatiorem hinc redditum, ut nõ eſt uulgo minima felicitas, ora etiam celebrium uirorũ obtueri. Tuam epiſtolam e Moguntiaco datam nõ accepi, Necq; e Citio ullam, præter unam. Quæ tabellarij fraus animum meũ uehementer angit. Nam iactura literarũ quauis alia irreparabilior eſt. Si caſu intercidit, minus dolẽdum, ac ſi improbitate curioſorum quorundam intercepta eſſet, qui noua mundi huius ex alienis literis ſolent uenari. Poſthac qñ Citiũ repetijſti uicinum, tutius ſcribes, ſi q̃ ſcribenda ad me eſſe putabis. Concordiam Iuli adhuc meram ſpiro. Non

muto sentẽtiam, q̃tumuis me compellere aliò Sectæ uigor, aliò dimouere nitatur Ecclesiæ fex. Ferũt Paulum Tertium alieniorem esse a ueteri superstitione, quam ut uotis indoctiss. Sophistarum sit in Synodo responsurus, & eundẽ a schismatis abhorrere uehementius, q̃ ut errores huius probaturus sit. Certe epistola quam ad Erasmum nr̃m scripsit, longe æquiss. est. Pingunt barbatum Pontificẽ, quę forma nihil displicet. Latere enim aliquid boni in ista Philosophica imo Apostolica barba spes est. Ipse quidẽ malim apostolice barbatũ uidere, q̃ tripliciter coronatum Paulum. Fortassis alter Paulus nobis futurus est, ut hæc tempora non unum, sed multos Paulos postulant. Vergerij Legati mens non pessima est ea in re, si quid ueri mihi narrant Nurenbergenses quidã orthodoxi. Salutauit me uir ille, addens uigiliolis meis bonum testimonium, Id q̃d Thomistæ facere non solent. Damnant uero isti ac uitant, quod neq; legũt neq; intelligũt, aliqui ex his ne legere quidẽ possint, etiamsi uelint. Sadoletus, spero, Cõcordiam summo studio promouebit. Idẽ mihi polliceor de Tunstallo, de Critia, de Turzone, de Dantisco, deq; cæteris eruditis episcopis. Augustanus et Basiliensis nõ subtrahent operas suas, si huc fuerit uentum. A Ioan. Fabro Viennensi hac septimana literas humaniss. accepi. In his auget spem nostrã de synodo. Quod idem facit

facit Fridericus Nauſæa, uterq; ex Oenoponte ſcri-
bens. Bellum Gallicū, rebus Eccleſiæ inauſpicatiſſi-
mum, longiſſime dilatum Cōcilium timeo ne longi-
us etiam differat. Diabolus mouet arma Cæſaris, ne
Concilium concordiæ eccleſiaſticæ ad frugem ueni-
at, ſed nec hac arte nos ab orando & ſperando auo-
cabit Malignus. Rex Franciæ, niſi odio Caroli impe
diretur, in moderationē ſancti negocij facilime con-
ſenſurus erat. Experitur enim cuiuſmodi nimirū ſit, qđ
uniuerſi pij in oīi orbe nequaq; ſine cauſſa emenda-
tum ardenter cupiunt. Videt coràm, q̄ ridicule, q̄q;
fruſtra Lutetiani ſui religionis noſtræ inueterata ma
la defendere pergant. Vtinam in Germania taliū de-
fenſorum maior eſſet paucitas. Anglus uergit in ſini-
ſtram, & repudiata Roma, Vuitenbergam amplecti
tur. Quæ res eſt ſummi periculi occaſio. Impijſſ. occi-
ſio Thomæ Mori & Ioannis Phiſcerí Epi iram ulci-
ſcentis DEI exaſperabit quidem, ſed aliquanto cru-
delius eſt, quod adijcit animum homo deſperatiſſi-
mus ad exitioſa dogmata, a ſe hactenus improbata.
Multa antea impie improbauit, quæ uidelicet defen
di poſſunt. Nunc multa impia pie probat, mō liceat
ſua ipſi explere peccata. Optādum etiam atq; etiam,
ne huius regis & quæ cōmiſit malorum facinorum
odio, Cęſar immitius aduerſus ſchiſma agat, erga q̄d
ſemper fuit mitiſſimus. De Ferdinando Rom. rege,

& de Sigiſmũdo Polono nihil plane dubitauerim, quin ſint pacificationẽ Religionis ,puecturi, ſiquidẽ comperiunt,utrancꝫ partem, & errore laborare, & abuſu maximo. Hic pñ conſiliarñ ac Epiſcopi docti uigilare debebant,ut regum principumcꝫ ſuorꝝ animos ad cogitationes pacis euerberarent, adcꝫ ſtudium corrigendæ Religionis inflammarẽt.Francofordia nihil læti attulit:Forte nũc adferet Lipſia.De bellis Daciæ non iuuat audire, nec de fœderibus euangelicis.Dux Brunſuigenſis a carcere decẽni liberatus nouam doctrinæ perſuaſionem ſine diſſimulatione recepiſſe dicitur.Vtinam Ioachimus Marchio Brandenburgẽn.neutrò flectat. Inſidiaẽ illi hinc noua iſta libertas,illic impetit uetus moleſtia.Ni fuerit prudẽtiſſ.altero inclinabitur,contẽpta uia regia. Rogo te, ut ſi aliqñ ſcribes Eraſmo , me prius de mittendo tabellario certiorem facias. Volebam & ipſe ſenem illum Hieronymũ,& aſtrum Chriſtianiſmi adhuc rutilans,per literas ſalutare. Baſilea redaccepit ſuũ hoſpitem,,fortaſſis eundem ſepelitura. Vale.Iſlebñ, Sexto Maĩ. An. M. D. XXXVI.

M. B. F. S. P.

QVOLIM SOLEBAM AD TE FREQVENtiores literas mittere,etiam ſæpe cum nihil uſcꝫ adeo exiſteret,quod uel ego deberem ſcribere,uel q̃d tu ad te,ut ſcriberetur,rogares: Nũc multæ

multæ interceſſerunt cauſſæ inſoliti ſilentij. Primum ignoro, num tu a me ſine offenſa literas accipias, qñ ſchiſmati ualedixi ueſtro. Quæ res ex amicis multos, in inimicos nõ ſolum mihi, uerũetiam in ſcorpiones & baſiliſcos uertit. Vnde ſuſpicari cogor, nunq̃ mihi iſtos ſolide amicos fuiſſe. Deinde metuo, ne quid tibi inuidiæ pariam apud tuos iſtos apoſtolos, ſi audiunt me ad te dare literas. Nam nolim quenq̃ mea cauſſa uel minimum grauari. In me oms inuidia moleſtiaque, ceu autorem deuoluatur. Ego ad flagella paratus ſum. In me conuerti ferrum debet, ſi eſt iniquitas in uijs meis. Oues quid commeruerunt? Poſtremo retrahit a conſcribendis epiſtolis res libraria, pſertim ubi incaleſcunt operæ Typographicę. Atq; hæc cauſſa uel ob hoc maiorem meretur ueniam, qđ præſtet multis, q̃ uni homini ſcripſiſſe. Quantũlibet uero id mihi uitio uertitur, non poſſum tamẽ aliter. Vereor ne non liceat unquam mihi, quem neq; inconſulto, neq; incogitanter præhendi his digitis, calamũ ponere. Scribimus indocti quidem, ſed tñ non impij, & fortaſſis aliquanto ſalubriora firmioraq;, atque ij quorum fama aſtra ferit, & attingit inferos. Nondum uero examine & ſeuero & iuſto iudicio cognitũ eſt, quod utrinq; ſcribimus. Nam illic amore iudicatur hactenus, hic odio. Quicquid illi ſomniant, non poteſt diſplicere ullis, quia præfert gratioſa

autorum nomina. Nos uel quod ędimus optimum, ideo non potest placere, q̊d sit a Vuicelio profectũ? Cuiuis ego malignitatis exẽpla plurima cõperi. Schismaticus adhuc placere potui schismaticis: Euangelicus uero nunc pseudeuangelicis uti placeã, nunq̃ am biero. Tu caue rogo ne me posthac tanta temeritate uel iudices uel damnes. Quo hoc spiritu ausus fuisti facere? Bono? Commonstra igitur errorem. Huius si me conuiceris, dicam te recte iudicasse. Sed tu quicquid iudicas, præiudicio iudicas. Ingeritur in aures tuas, me errare, igit̃ tu scribis me errare. Quid si aliqñ sobrij, me regia ire uia fateãtur: Num instares me errare? Quur mihi perinde non credis, si asseuerẽ tuos errare fictos aplos? An unq̃ deprẽhendisti me in aliquo mendacio? Ais hic agi de ueritate diuina. Maxime uero. Atq ego nonne totus in hoc uersor, ut scruter scripturas, utq̃ uener et captem, q̃ sunt uerissima, apud DEVM testẽ, & inuicta apud meos antagonistas? Quid ædidi impiũ, quid hæreticũ, quid blasphemum? Quid scripsi seditiosum, q̊d pernitiosum, quid inhonestum aut improbũ? Vbi p̃uaricor Euangelion? Vbi omitto scripturæ ultro inseruientia testimonia? Faciũt, inqes, id nostri quoq̃. Igiturne erro ipse, si tui idem, quod ego, faciunt? Verũ an id faciant nec ne, excutere huius loci non est. Vale. Isslebij. Exaudi.

Anno M. D. XXXVI.

Reueren

R. A. I. à H. D. D. S. P.

REVERENDISS. PATER ET IDEM ILlustriss. princeps. Homiliaticū opusculum T. C. à me dedicatum, in præsentia formulis impressum, per hunc tabellarium offero, ipsemet ultro oblaturus manibus T. C. nisi me longioris itineris difficultas prægrauaret. Nō dubito uero, quin T. C. sit hoc qualecunq; donariolum beneuolentissimo animo susceptura, & non tam utilitatem operis, q̄ bonam authoris uoluntatem spectatura. Reliqua id genus testificatus sum in præfatione, quæ est epistola nuncupatoria. Porro plurimum refert, qd quibus e libris concionentur Parochi. Video fere maiorem hor̄ partem ex schismaticorum lacunis haurire, quæcunq; meliora, suo quidem iudicio, prædicant. Nam ubi sunt, qui legunt priscos & ijsdem utuntur in Cathedra? Reiectus est Scotus, Ales, Biel, Charrensis, Dormi secure, Stude tarde, Vade mecū, Vale longum, Discipulus, Pomerius, Summator, Angelicus, Nugator ridiculus, & nescio qui alij miserandi concionator̄ institutores: At in istorum locum cooptandi fuerant: Cyprianus, Chrysostomus, Hilarius, Basilius, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Leo &c̄. Pudet me uehementer eius deformitatis in Ecclesia. Volunt esse Catholici, & nolunt legere, nolunt prædicare Catholicos Christianæ doctri-

næ doctrinæ uindices, sed talibus contemptis etiam coëmunt sibi hæreticorꝝ chartas, & quia dogmata falsæ libertatis atqꝫ exitiosæ nouitatis cupere populum norunt, quicquid Lutherus scripsit prædicant, non aliud. Germanicas postillas istas nunc pro sacris Bibliꝭs adorant. Imo istæ postillæ faciunt, ne sacras literas attingant, uel uno digitulo. Dicunt, omnia ibi contineri. Cui ergo posthac erit nobis usui scriptura? Sed in hanc querelã inuitus incidi. Vtinam rectores Ecclesiæ tm̃ erga Cathedras afficerentur, quantũ esset opus. Populus baptizatus se nescit, nihil discẽs, & idem brutescit in moribus turpiss. De T. C. nunq̃ dubito, quin bene uelit pijs monitoribus. Hic ego memet in Cathedra molestiss. macero. Cõcionor decem ciuibus, & illi raro uniuersi intersunt concionibus. Clamo CHRISTVM, uociferor Ecclesiam sponsam, sed ad surdam ciuitatẽ. Puto qꝫ me lapides ipsi audiant. Nã illi aliquãto molliores sunt, huius ciuitatis incolis. In tanta calamitate uix uiuo. Vitæ meæ tædet animam meam sæpenumero. IESVS mihi testis est omnium meorꝝ gemituum. Sed desino plorare. Valeat diuqꝫ superstes seruetur Reipublicę T. C. Heros reuerendiss. Islebij in ipso die Ascensionis dominicæ. Anno M. D. XXXVI.

A. C. S. P.

Quanquam

QVANQVAM DIEI HORAE DVODECIM ocyſſime fugiunt lucubrantibus nobis, ut huic ſtudio atq; cupidini perficiendarum operarꝝ pene nunq̄ ſufficiant, attñ tibi nunc, qñquidem improbiſſime efflagitas, citato etiã tuo iure, reſpõdere parabo ad propoſita. Principio q̄ris, nũ credam ipe quoq; tẽpeſtates in Sleſia exortas, ſigna eſſe ſupremi aduentus dñi. Secundo loco, rogas an putẽ Chriſtianiſmi fines in tribus mõ Chriſtianorꝝ generibus conſiſtere. Vltimum eſt, utrum ingenuo iuueni Theologiæ ſtudium, an uero Iuris prudentiæ ſuadeam prꝛligendum. Tui candoris erit, q̄ reſpondeo ita accipere, ut ab homine occupatiſſimo, quicq; in cauſſis arduis malit pꝛis amicis obſequi, q̄ ſuæ conſulere exiſtimationi. De tẽpeſtatibus multa equidẽ ferunt, credibilia tñ hæc, q̄tumuis horribilia. Nam nũc pro ueriſſimis aſſumo, quæ Sleſij publicant, licet nonnullis uideatur ueritati plurimũ uanitatis acceſſiſſe. Horribilia eſſe fateor, atq; propterea quõ mox caſuri orbis inuſitata illa ſigna eſſe debeant, non poſſum protinus iudicare, niſi forte perſuaſum eſt Chriſtianorꝝ uulgo, Signa poſtremæ apparitioni dñicæ in una orbis prouincia futura eſſe duntaxat, ac latere debere oñis mortales in omni mũdo, exceptis Sleſijs. Eam perſuaſionem ſi ullis hominum cordibus inſerere potuerunt noui concionatores, miraculũ grandius du-

m xerim,

xerim, atq; hæc sua ficta sunt. Patriarcha sectę nuper nescio quid de signis ædidit, ibi suam opinionem pridem probabiliter refutatam, suis auditoribus infarcire pergit. Mira hominis ptinacia in defendēdis erroribus. Ibi signa facit, inundationem Tybris in Italia & Gandaui in Flandria casum, Præterea exaggerat uentorꝫ intemperiem, & æquorea pericula, uicesignorꝫ aduentus. Atq; hæ nugæ tñ a multis non leguntur solum, uerꝫ exosculantur etiam, ut cœlestis cuiusd am hierarchæ chrestería. Nemo istorꝫ Euangelij oracula apud Matthæum & Lucam aspicit excutitq;, sed in his tm̄ opiniosis libellis omnes acquiescunt, morituri citius, q̄ audituri rectiora. Esycius apud Augustinum etiam delyrat insignis, sed non tã impudenter tamq; insigniter. Si signa instantis apparitionis prænuncia, iam facta sunt, signū est aliud, & quidem magnum, quod nondum apparuit Iudex. Nam iuxta uaticiniū uerbi sui non poterat abesse a terris, si signa ab Euangeliographis descripta iam fuissent. Nihil probabile toto in nugamento est, & si quid inesset qđ probari ab ullo sano queat, nolim ego tñ id asseuerare propter causſas aliq̄t pronuncia ti illius. Huic qui assentit, is ad multa alia plane friuola cōsentiat oportet. Añ mille amplius annos ubiq; plurimas subito coortas esse tēpestates legimus, has igit̄ inter signa ultimi ḍiei numerabimus? Paul. Orosius

ſius ſcribit aliqñ pluiſſe lac, & e terræ fontibus pro-
fluiſſe ſanguinem. Præterea ante cædem Romanorꝝ
apud Cannas ſolem uiſum minui, ac eundē pugnare
cum Luna. Et metentibus cruentas ſpicas in corbem
decidiſſe. Ad hæc fruges in arboribus natas. An nō
hæc maxima fatemur eſſe prodigia? Maxima profe-
cto. Sed num ea, de quibus Euangelium loquitur?
Tale nullus affirmauero. Multis.n. ante ſæculis ali-
oqui interñiſſet tota mundi fabrica. Iam qñ illa atque
huiuſmodi plura quę acciderunt in omni Mundi cli
mate a nato Meſſia, pro ſignis magni aduētus nemo
ſapientū habuit, qua ſpecie hæc ſua defendent Euan
gelio Lucæ? Confer utraqꝫ, & apparebit q̄to priora
in ſignorꝝ numero præſtent. In Aphrica olim extitit
tam portentoſa locuſtarꝝ multitudo, ut herbas, fru-
ges, frōdes, radices, cortices mirabiliter corruperint.
Quo dato damno, Locuſtę in globos a uēto repen-
te actę, ac per aërem diu rotatę, tandē in mari Aphri
cano immerſæ ſunt. Ex harum ad littora propulſa-
rum odore peſtifero, poſtea non ſolum homines, ue
rumetiam aues, beſtiæ & cicura animalia infecta pe-
rierunt. Chronographi tradunt de ſimili fere locu-
ſtarum examine in Gallia. Quo tempore ex terrę mo
tu corruerunt nonnullę ciuitates in Italia. Quis uero
talia inter ſigna Lucę retulit unq̄? Tybris exundauit
in ruinam urbis. Mirabile eſt quidē auditu, ſed ideo

m ñ non po

nõ poteſt ſignum eſſe ex Euang. Lucæ. Magna Gan
daui pars talibus diluuijs perijſſe fertur. Nouimus
ijſdem diluuioſis nymbis ante trecentos annos Iſlebi
um, quam Pegapolin nimirum a glacie mihi appella
re libet, totam ijſſe peſſum. Regnante Impe. Mauri-
cio tanta fuit in Italia inundatio, ut crederetur cata-
clyſmus Noah renouatus. Quàm nullo mõ reſpon-
dent huius tpis inundationes ueteribus illis? Quot
& qualia damna dedit Tyberis eo tempore? Nulla
ex parte hæc cum pñtibus comparari poſſint, præſer
tim ſi conſyderes Tyberinum diluuium in urbe Ro
mana, regnante Ludouico II quando ſanguinem
quoq; ſtillauit aër. Olim in Achaia tanti fuere terræ-
motus, ut duas ciuitates, Eboram & Elicem hiatus
uorarit. Legũtur in Chronicis Antiochia & Dama-
ſcus magna ex parte corruiſſe in terræmotu, ante tre
centos annos. Eodem tempore cecidit grãdo in Ita-
lia, magnitudine oua anſerina referẽs, et in Sicilia ma
re retroactum contra naturam ſuffocauit octingen-
tos homines. Ferme ijſdem annis uiſa eſt ſtella trabis
inſtar, ab meridie ad occidentem. Legimus & Con-
ſtantinopolim concuſſam eſſe terribili terræmotu, q̃
ſæculo impij Gothi graſſabantur. Tempore Otto-
nis primi decidit e cœli machina magnitudine uiſen-
dus lapis, idq; ſæuiente tum uento, tum nymbo mul
to. Mox ſanguinolenta crucis ſignacula apparuerũt
in homi-

in hominum ueſtibus. Tempore Totilę Gothi regis apparuerunt ſub firmamento ignita iacula, & in nubibus ſanguinolentæ guttę. Exundauit tùm etiã Tybris, mortales multos ſuffocans. Imperante Henrico conuerſus eſt fons aquæ, in fontem ſanguinis apud Loteringos. Ad hæc ſtatua ignea ex aëre terribili ſonitu in terram cecidit. Atqui hæc ut maxime fuerint ſigna, non tñ illa fuere de quibus nobis eſt contẽtio. Portendunt mala mundi hominibus ſigna talia, & manifeſto indicant, Altifrementem DEVM iraſci peccatis noſtris, ſed nondum nobis Lucam Euangeliſt. exponunt. Quia in Sleſia atrocius fulminat, ideo eſt miraculum? Boreas mire diruit p̃cipitatq; tecta, ideo e cœlo proruit dñs ad iudicandum? Carbones ignis uiſi ſunt, terra tremuit, crepuerunt tonitrua, micuerunt fulgura, operuit ciuitatem denſiſſima nubes, an uero hæc accidunt in mundo rara? Delicatos uiros, quos perterrefacit tempeſtas ualida adeo, ut putent cũ hac conſummationẽ ſęculi adeſſe in foribus. Puer audiui Iudæos in ſummis tempeſtatibus expectare Meſſiam ſuum, tametſi habeo pro fabula: at illi uiri Chriſtiani quantillo ſunt Iudæis fortiores? Decidit turris Vratiſlauiæ. Papè, quantum miraculum. Cur non præcones Erphurdenſes conſignant etiam, q̃d apex e turri Seueriana uelut abſciſſus fragore horrendo cecidit, & quod eſt miraculo miraculoſius, in-

cidit per tectum papistæ cuiusdam? Eo pacto erant signa in sole & luna & in terris, plura aliaque quam sensit dominus. Mulier Slesia non e matrice, sed e latere peperit filium. Stupendum auditu. Sed quo loco recensebunt hoc inter signa Aduentus? Equidem ego maiorem in modum admiror isthuc factum, quandoquidem cum primis inusitatum est, Nisi forte quis alleget, Virginem e latere suo Buddam principem Gymnosophistici dogmatis in India genera uisse, quemadmodum lib. 1. Hieronymi contra Iouinia. legimus. Alioqui monstrosi partus sæpe auditi sunt, Præsertim tempore Heraclij Imp. legitur de nato puero habente duo capita, Et circa illud tempus traditur natus esse pusio habens quatuor brachia ac totidem crura. Simile monstrum ante aliquot annos ædidit Isennacum Thuringiæ. Anno millesimo natum est mõstrum, nempe bifidum corpus hominis, pars superior repræsentabat duos pueros, inferior unum. Hic nuper est auditum, uagire fœtum in utero matris. An non hoc quoq; signum? Præterea rumor fertur, natũ esse puerum his in finibus, qui tres habeat linguas. Viderunt alium cum cucullo Monastico. Vt hæc portendant aliquid dono, certe in signis extremis nihil habent loci. Quemadmodum sine funesta significatione Crinitæ stellę, quas Cometas græce uocamus, nunquam sunt. Viennæ in Austria uisa

ſtria uiſa uaria ſunt, cuiuſmodi firmamentum cœli oſtendit mortalibus uere luctifica. Experti incolę eius loci probe ſunt, quid ſibi uoluerint cœleſtes figuræ. Ipſe etiam atque etiam miror, quod ſigna illa ſua non malint obſcurari tegiue cõcionatores. Niſi fortaſſis gloriæ ſibi uertunt, quod propter Schiſmata Sleſij ab ultore DEO cœlitus puniuntur. Eò ne uenimus amentiæ, ut plagas DEI manifeſtiſſimas miracula interpretemur, & pœnas ſigna definiamus? O ſuaues interpretes. Debebant noui Euangeliſtæ noua ſigna ædere, id quod cum minime ualeant, obtrudunt nobis tonitrua, uentos, nymbos, ruinas, puerperas ſuas pro ſignis ac miraculis. Atq; illa prægrandi rethoricatione attollunt, crepantes ſubinde miracula, ut ea arte inſtructus populus ſemet ſoletur, quippe cui uiuere contigit in tempore miraculorum DEI, utq; habeat, quo obturet ora Papiſtis de miraculis quiritantibus. En miracula quæ facta ſunt noſtri Euangelij tẽpore. Imo tu inuerſo telo ſic feri ſchiſmaticum: Cæce nõ uides plagas eſſe, quibus ſchiſma tuum concutitur, aut ſaltem ad pœnitentiam uellicatur? Quin numeras etiam inter miracula, quod iam aliquot annis tanta immiſſa eſt uineis, hortis ac pratis Bruchorum et erutarum uis? Inſuper incendia tot ciuitates, tot uicos, tot uillas mirifice deuorantia? Breuiter quæuis mala quibus orbis p̃mitur, partim propter in-

pter incredulitatem & hæresin, partim propter fla-
gitiosam uitam. Quibus buccis, quibus chartis cele-
braturi essent Thrasones nostri, si acciderent prodi-
gia inter ipos, qualia olim accidisse annotata sunt in-
ter Romanos & Græcos? Flamma emicuit circa ca-
put Seruij Tullij. Albanus lacus solitum stagni mo-
dum excessit. Bos loquutus, pluit caro, Infans pro-
clamauit triūphum. Scuta sudant sanguinem, Equa
peperit leporem. Patriarchæ somnium de tempesta-
tibus ęquoreis exibilabit iure posteritas. Quasi uero
ideo fiant signa Aduentus, ꝙ Eurus Nothusque ad
littora fluctus uoluunt. Consyderetur nauigatio di-
ui Pauli a Iudæa in Italiam. Quid unq̄ legisti pericu-
losius? Necꝫ tñ a Paulo qui in periculo ipso erat, au-
ditum est, eam uentorū sæuitiam inusitatam, signum
esse supremi Aduentus. Æneæ nauigatio propemo-
dum cum hac Paulina comparari queat, si esset histo
ria magis q̄ fabula. Et quur non literis quocꝫ suis &
clamosis concionib. inculcant arborem in saxum uer
sam in orientalia Francia? Quo signo uix ullum eui-
dentius. Sed sectæ licentiam id signi damnat, ob id
uolunt tacitum. Num uero & hoc signū ultimi Ad-
uentus? Præterea quur non incendia montis Ætnæ,
cum nuper Catanēsem urbem uicinus ignis inde cru
delissime peteret, in uulgus proclamant, & suæ opi-
nioni coaptant? An, quia hoc quocꝫ pro secta nō fa-
cit? Habes

cit? Habes de signis meam sententiam. Cæterꝝ haud absqꝫ magno dolore respondere ad secundam epistolæ tuæ partem possum. Quid ita inquis? Decebat uniuersitatẽ Christianorꝝ, ut ita una ea esset, ne uspiam audiretur, tria horꝝ esse genera. Gentes cum Iudęis in unũ ouile eramus coadunatæ, ut uno pastore essemus contenti, & eodẽ uictitaremus pascuo. Eam felicitatem inuidit Imperio CHRISTI cacodæmon, & primo quoqꝫ tempore Ouile hoc, quę est ecclesia sancta catholica, suis insidiosis aggressibus perfodere cœpit. Perfosso ouili, hirci quidam exierunt e nobis, hos stolidę oues eueſtigio sequutę, aliæ alios hircos, quo proposito Satanæ, dissipatum fuit ouile, & dispersæ oues. Hinc diuersi, nedum multi pastores, diuersa ouilia, diuersa pascua. Pastor pastorẽ oppugnabat, ouis ouem proculcabat, tm̃ abest, ut fuisset inter eos pristina concordia. Malignus nequam antea pari inuidia secuerat Synagogam Iudaici populi, ut ex uno populo Iudaico septem factiones fierent. Concordiam doctrinæ Mosaicæ ferre non potuit, uoluit discordiam & hanc obtinuit. Vnde numerãt Iudæorꝝ genera in hunc modũ: Alij erant Iessæi, alij Galilæi, alij Emerobaptistæ, alij Masbuthæi, alij Samaritæ, alij Saducęi, alij Pharisæi. Non sat erat Iudęos tot in frusta fuisse fissos, nisi & Ethnicos finderet, quos ab initio proprios possederat. Nam Sozome-

nus tradit, Themistium quendam scripsisse ad Valentem Imper. apud Paganos plus q̃ trecentas fuisse Sectas. Nec potuit olim philosophorꝝ populus una cõtineri classe. E paruo grege, greges diuersissimi orti, diuersissima quæcꝙ græcabantur, omnes sub eodẽ titulo philosophi. Alij erant Pythagorici, alij Peripatetici, alij Academici, alij Stoici, alij Cynici, alij Epicurei, disputatores quiscꝙ suæ uanitatis, suo in conuenticulo. Quin inter Sarracenos horum temporꝝ negant etiam stare concordiam. Aiunt illos in quatuor Sectas sectos, quarꝝ quæcꝙ sua delyria uel manu propugnat. Alij dicuntur Alcoranistæ, alij Dermsleri, alij Zophleri, alij Horisi, hoc ex æquo infeliciores, quo magis suæ sapientiæ ac uirtuti confidũt in tam profunda incredulitate. Porro nostrum ouile, nostram illam societatem pulcherrimam multo crudelius discerpsit discordiæ pater a principio. Tradunt. n. de trecẽtis Ecclesia nostra egressis sectis. Heu infandum scelus, eò labi tam augustam religionem. Sed querimonijs nihil egero. Fecit pestes hasce nobis cognitas B. August. e libris Tertulliani, Philasterij & Epiphanij. De nostro sæculo dicendũ erat, quo Ecclesiam diuisit Lutherus, dũ nollet ferre primatum Romanæ sedis, & constitutiones. Sed quõ progressa est audacia? Facto primum schismate uno, mox plura fiunt, prꝛeter etiam opinionem schismatarchæ.

chæ. Tria esse nunc ipse dicis & ita uulgo putatur. Quod si uerum est, ita intelligo, ut tria schismata regnare hodie putentur, præter Catholicos, quos infami appellatione apud sese papistas uocant. Atq; ita quatuor genera Christianorũ regnantium reperies, Catholicos uidelicet, & Lutheranos, et Cinglianos, & dibaphos, hoc est bitingos, si ita loqui liceat. Quę bis tingẽtium ac tinctorũ factio, si ultima foret, non omnino despondere animum deberent religiosi monarchæ. Iam uero duæ illæ posteriores Sectę, ex una ac prima Lutheri prognatæ sunt, non aliter ac e Secta Arij duæ aliæ, scilicet Eunomica & Macedoniana. Sic enim scribit Eusebi. noster: Pestifera bestia, quæ per Arium primo, quasi de inferis extulerat caput, subito triformis apparuit & c̃. Princeps Secta Lutheri est, Nã hæc latius patet. Habet Germanos, maxime inferiores, Prussos, Liuonos, alioscp populos, ita tñ, ut nonnihil ubicp superfit Ecclesiastico regno reliquum. Nunc Anglos quocp hamo suo inescatos cæpit, quàm feliciter uero id, nescio. Venatur & Scotos uicinos Anglis, ut tota liceat regnare Britannia. Cingliana fere disperit, posteaq; duo huius oculi extincti sunt. Hæc sedẽ suam in superiore Germania, maxime apud Heluetios ac Sueuos primum locauit, non compertum est eam ulterius excedere, nisi quod in Galliam eius dogmatis odor peruasisse

dicitur, & nuper irrepsit tale quidpiam in ducatum Vuirtenbergensem duce Blaurero, si uerus rumor est. Anabaptistica nullis certorꝝ locorꝝ finibus continet se, quemadmodū duæ priores sociæ, sed ubiuis gentium sparsa, suam agit rem, occultius tñ præ metu, & maiore astutia. Pars aliqua dicitur in Morauia nidificasse. Fertur multos residere in Bohemia, multos in Hollandia ac Phrisia oriri. Qui in Vuestphalia regnabant, desierunt esse. Apud fluuium qui uocatur Fulda nõnihil huius factionis hærebat, sed est disiectum. Verꝝ quid unaquæqꝫ harum doceat, faciatue cõmuniter, non te latet. Depingam uero tibi, q̃uaria Christianorꝝ genera ex illis quatuor supra nominatis & pullularint mirando mõ, et pullulent adhuc. Postea nũerato genera, ubi perpẽderis ita se habere rem. Faciam uero hoc, non ut exponam publicæ ignominię Christianismum (auertat a corde meo tale scelus cœlestis pater) sed ut nos nobis ipsis aliquo mõ oñdam, hoc consilio, ut in se quisqꝫ descendat, seipsum inspiciat, exploretqꝫ, et corrigat tandem studia sua. Necqꝫ enim aliò spectat hic calamus quam ad Cathortosin Christianæ rei, cuius ueritatis testes apud Oecumenicum tribunal habebo omnes angelos, & spiritus iustorꝝ. Primum locum uendicant sibi hoc tempore homines, adeo Saxonicæ persuasioni affixi, adeo in uerba Lutheri iurati, adeo noui moris cupidita

ris cupiditate repleti, adeo uoluptate concionum ſuarum tracti, adeo amore cantionũ ſuarũ capti, ut uelut amentes, uniuerſa alia reſpuant, non ſolum aperte refragantia ſuis delitijs, uerumetiam uno in uerbulo diſſidentia. Horũ hominum mirifice miſerorũ multitudo ut eſt maxima, ita erit orbi progreſſu tempeſtatis huius exicioſiſſima. Per hos nunq̃ erit Eccleſiæ pax. Credo in deſertis Ægypti, & Arabiæ nunq̃ fuiſſe nocentiores feras, atq; hi homines ſunt. Iis Lutherus ſi non deus aliquis, certe dea eſt, et ea meretrix, in quam depereunt, in quam inſatiabili libidine turpiſſime inſaniunt iſti. Quapropter tradidit eos DEVS in reprobum ſenſum, ut dogmate hæretico contenti, damnent ueritatem tranſlatæ Scripturæ, irrideant citatos prophetas, exibilent apoſtolos, calcent myſteria, proſcindant orthodoxos patres, ſubſannent pietatis opera, diſſuant unitatem, lacerent bonos ritus, conſpuant priſcos mores, diſſipent neceſſarium ordinem, uili ducant ſalubria ſtatuta, maledicãt Eccleſiæ, deuoueant obedientes DEO, odio habeant uacantes CHRISTO in uia catholica ſecundũ Euangelion certum, abijciant ſacramenta, cõtemnant diuos, uiuant flagitioſe, moriantur ethnice. Non poſſum effari, q̃ ſceleratum hominum genus id ſit. Nulla gens hæreſeon ſuperbior contemptrix, ac efferatior abominatrix ſacrarũ rerum unq̃ extitit. Dixeris hos homines

perdite Lutheristas, adeoque ipsos Lutheros. His proximi sunt à parte plane contraria, qui ita Pontifici Romano dediti sunt, ut uideantur & ipsum pro numine aliquo adorare. Talib. nihil sapit, nisi quod est insignite superstitiosum. Nominatus CHRISTVS horum corda minus cõmouet, q̃ nominata Maria. Candelæ incensio magis hos iuuat, atq; Euangelij lectio. Pauli literas posthabẽt legendis diuor. Quando prædicatur uita alicuius patriarchæ aut regis aut prophetæ e ueteri Test. dormiunt, at qñ aliquid de sanctis ex Vincentio aut aliquid de mortuis ex Gregorio succinitur, mox expergiscũtur. Hoc genus prius habet, abstinere a carne uaccæ, q̃ a carne ancillæ. Ferijs postponunt uitæ innocentiam, & p̃cepta DEI præceptis hominum. Talibus nihil potest persuaderi aliud, q̃ quod receperunt. Ipsum CHRISTVM prædicatorem e finibus suis cum Gedarenis eijcerent, si uel plura doceat, uel secus doceat, quam ipsi imbiberunt indoctis docentibus, Per hos fit, ut nunq̃ bene administrari Ecclesia possit. Neq; his de ulla pace ineunda cura est. Si apostolice res gererẽtur, putarent Christianitatem aboleri. Tertio loco consistunt Lutherani aliquot, utpote qui alios quoq; audiunt præter suum doctorem, quicq; ubi in libros a suo garritu diuersos incidunt, probãt meliora, citra respectũ authoris. Cum talibus disputari potest sine seditione.

Nonnunq̃

Nonnunq̃ concionibus catholicis interſunt, auſcultant diligenter, & ſine tumultu exeunt, concionẽ ſaniorem neq; repræhenſuri, neq; concionatorem damnaturi. Quod uero nõ laudant, obſtat morbus ſectæ, & uiciniæ metus. Alij huius generis ſunt tolerabiliores. Illi palam dicunt ſe neq; Luthero neq; Philippo, neq; reliquis Sectę principibus adhærere, ſed euangelio. Nec ſe ſi quid uerioris afferatur, reclamaturos. Nam compertum eſſe, dominatores recentis Euangelij errare poſſe, ſicuti Papam ac Cardinales. Confiteri illi ingenue ſolent, ſibi omnia non placere in Secta, uti nec diſplicere omnia in Papatu. Nã permulta exiſtere utrobiq; , quod uel recipias uel reijcias. Inuehuntur ſæpenumero in nouas abuſiones ſui Teſtamenti, in leuitatem publicæ latriæ, in ſuperbiam, auaritiam, luxuriam, ſæuiciam, gulam, acediam ſuorum prædicatorũ, dicẽtes ſe nihil diſcernere poſſe inter Lutheriſtas & Papiſtas. Non hærere tñ non poſſunt in ſectæ luto, ſiue quia nomen illi primũ dederunt, ſiue quia clerum implacabilius adhuc oderunt. Cum his confero eos qui de Rom. epiſcopis et horum conſtitutionibus moderatius ſentiunt, ac ñdem tñ a ſectis abhorrent. In his uix modicum quiddam de ſuperſtitione reſidet. Facile ſinunt abrogari inutilia, ſi illa neſciuit Antiquitas. Nec niſi cum dolore uident, ſi quid obſeruetur, quod ſacris literis refragatur.

fragatur. Illi cum gaudio audiunt legi scripturam in templo & cantari & denique prædicari. Stomachantur in ruditatem sacerdotum. Improbant uitam impudicam Canonicorũ. Ægre ferũt circa obseruationes templares socordiam. Vicinis schismaticis familiariter utuntur pacis gratia, dissentientes interim ab illorum inanissimis disputationibus. Familiam pulchre instituunt, & expectant reformationem Ecclesiæ. Præter dictos hosce, existunt homines qui nihil curant, nisi ueritatem. Amant papas, amant Lutheros, amant inimicos, sed interim CHRISTI uerbo scripto a quatuor Euangelistis & apostolis, toto corde, tota anima atq; fortitudine inhærent. Scripturæ diuinæ conformia scripta, tam ueterũ q̃ recentum Theologorũ adorant, ac sine simulatione osculant̃. Vnicum horum uotum, unicum studium est, ut ecclesia ita sit, quemadmodum uocatur, Sancta nimirũ, idq; tum fide, tum uita. Credo hos olim præ alijs bonam caussam habituros apud Tribunal orbis. Inter om̃es sunt aliqui, quorum fides est uersatilis. Quoties conuersantur cũ populo schismatis, schismatice loquuntur. Schismatice prãdent, an cœnent nescio, schismatice cantillant, schismatice Antichristicolis detrahunt, denique, ut ille ait omnia græce, sic isti faciunt omnia schismatice. Vbi uero inter Catholicos agunt, per omnia obseruiunt Catholicis. Laudant Ecclesiam, uituperant

tuperant ſectam. Præferunt ſacerdotes raſi uerticis, admirantur cultum templi, reuerentur altaria, ſuſpiciunt tabulas, honorant concionem, procumbũt leuato Myſterio, tundunt pectus, mouent os, genu flectũt ligneis imaginibus. Hos ſi rogas quid credant, & utram partem iuuent, reſpondent ſe neſcire, ſi urgeas, aiunt ſe oportere credere, quemadmodum illi credunt, quibus cum conuerſantur, & quibus ſeruiunt. Quo nomine compellabis tales homines? Certe non procul abſunt ab illorũ genere, qui ita per Euangelion emendantur, ut nihil fiant, niſi gentiles athei. Vtinam nulli hoc tempore uiuerent, quibus placeat Diagorę ſentimentum. Videmus monſtra hominũ, qui neq; audiunt Catholicos cõcionantes, neq; ſchiſmaticos, ſed uel domi interim nugantur potantque uel rus expatiantur. Inde reuerſi inquirunt nouos rumores, aut exigunt cẽſus, aut uiſunt caballos, aut nũmos contemplantur in arca. Quoſdam horũ ita affectos eſſe uideas, ut quia prodigioſe papiſtica non poſſunt ſibi contingere, nolint ſemel omnia. Nihil uel aterrimæ ſuperſtitionis põt explere illos ad monſtrum uſq; ſuperſtitioſos. Quo ſpiritu etiam agũtur, quibus nihil ſatis Lutheranum eſſe poteſt. Quidam ſunt neutrales, quorum definitio non oẽmino facilis inuentu eſt. Neutrum prorſus nolle, eſt CHRISTVM incarnatum nolle. Qui uero ita neutri fauent, ut ab

utriuſq; errore abhorreant, ij nõ admodum inſaniunt, me quidem iudice. De frigidis ac tepidis nunc nihil memorabo, horum infinitus eſt numerus, ſicuti quoq; negatorum ac diſſimulatorum. Zelus ac priſcus feruor deferbuit, niſi quẽ cernere eſt in ſchiſmate. Ex Catholicis ubiq; plurimi ſunt, uſqueadeo oligopſychi, ut ſuæ propemodũ fidei ſeſe pudeat in publico. Quod malum duco modis omnibus execrabile. Quid de talibus ſentiam, plane neſcio. Videnť mihi eſſe animantia, religionẽ pro Idolo q̃dam habentia. Noctu ueniunt in templũ, noctu canunt, noctu ſe dilatant: luceſcente die abdunt ſeſe, muſſant, diſſimulant. Iubẽt ut alij faciant in Eccleſia, quod ipſi nullo mõ facerent ſi ſacerdotes eſſent. Multi inueniũtur inter monachos & ſacerdotes, qui magis fauent Lutheriſtis q̃ Papiſtis, profitentes papam in habitu, in corde Lutherũ & geſtant & geſtiunt. In templis Catholicorꝝ reperias multos nobiles, qui uidentur eſſe catholici, eò q; ibi orẽt, toti interim ſchiſmatici. Multi affirmãt ſibi utroſq; probari, eo q; utrobiq; DEVS prædicetur. Nec deſunt e Catholicis, qui adeo formidoloſi ſunt, ut eccleſiæ gratia nihil uelint pati, & adeo tenaces, ut nec tantillum uelint amittere. Sunt item, qui Catholicos propterea ſequũtur, quod ſua inde habeant emolumenta. Illis ſi in ſecta liceat fore diuites, aut certe ſplendidiore fortuna uti, nõ diu inter Ca-

ter Catholicos se conspici sinerent. Vtraq; gens rem auide sectatur, atq; huius gratia sæpissime neq; eccle siæ habet respectum, neq; euangelij. Quidam place re utriq; parti studentes, utramq; cõcionem eodem die audiunt, ut postea schismati respondeant de audi to uerbo, & ecclesiæ quoq; filijs: Atq; ita putant se in portu nauigare, quæcunq; tempestas immineat. Quidam utranq; concionem frequentant, & neu tri dant fidem, nisi q̃ties quæ uolebant audiunt. Ma gna hominum pars perpetuo dubio cõficitur, igno rans quid audire, quid credere, quid sequi debeat. Tales commiseror, non criminor. E contra inuenias alios adeo certos de alterutra concione, ut præstaret eos dubitare. Piget me retegere pluribus uarietatem monstrosissimam hanc. Pater noster pro sua bonita te dignetur e uarijs hisce unum corpus compingere, quale erat ante primam diuisionem. Deflendum est, quicquid uspiam apparet. Verum de Theologię stu dio amplectendo nõ ita multis respondero. Quan tum distat oriens ab occidente, & cœlum a terra, tan tum distare credo Theologiam a Iurisprudentia. Differentiam habes, Accipe nũc utra uetustior. Seth filius Noë quãdo uixit? Ille uero cœpit inuocare no men domini. Quod spectat ad Theologiam. At Iu das filius Iacob longo post tempore uixit, qui dixit: Producite Thamar ut comburatur. Hoc etenim ad

iura pertinet. De excellenti bonitate alterutrius subiungo. Theologia tanto melior Iuris cognitione, q̃tum aurum ferro, Quo stultior est, qui Theologiæ Iuris scientiam præfert. Theologia ducit originem e cœlo, Iurisprudẽtia e terra. Illa loquitur de DEO, hęc de Mammona. Illa asserit DEO quæ DEI sunt, hæc uindicat Cæsari quæ Cæsaris sunt. Illa clamat in templo de cœlestibus, hęc buccinat in foro de temporalibus. Illa cõsulit animæ, hæc corpori prospicit. Illa docet quæ docuit CHRISTVS, hæc effert quæ tradidit Iustinianus quæue Vlpianus. Illa ædificat ecclesiam, hæc mundum. Illa cauet ne deferaris in gehennam, hæc cauet ne conꝺciaris in custodiam. Illa restituit paradiso, quos eiecerat inobedientia, hęc uiolenter abactos restituit prædio. Illa uolat, hæc serpit. Illa spiritu gaudet, hæc carne. Illa scientia gratiæ est, hæc naturæ. Illa diuina est, hæc humana. Illa habet authores Christianos, hæc Ethnicos. Illa repleuit cœlum martyribus, hæc terram iustis possessoribus. Quod illa despicit, suspicit hæc. Quod hæc quærit, negligit illa. Quod illa suadet, dissuadet hæc. Quod hæc dat, aufert illa, & e contra. Patet huiusmodi Antithesis ad infinitum. Vtram igitur scientiam eliges? Reginã duxisti uxorem, si ad Theologiæ amorem animum adieceris. Ancillam sortitus es, si te captũ Iurisprudentiæ tradideris. Nullam ego scientiam reiꝺcio, tantum abest

abeſt ut hanc prę̃claram uelim reiici, diſcerno modo inter duas, utra chriſtiano homini eligibilior. Atqui Dicæologia penetrat in aulas, meretur purpurã, geſtat aureos anulos, honoratur protocliſia, implet gazam, extruit domos ſplendidiſſimas, ſalutatur a potentibus, inuitatur a diuitibus, uiſitat̃ a pauperibus, colitur ab omnibus: Verum Theologia aulis eiicitur, penula ueſtitur, neſcit anulos in digitis (quem gerendi morem ſcelus uocat Plinij hiſtoria) Sedet infimus, poſſidet duo minuta, quod eſt quadrans, habitat in caſis, maledicitur a potentibus, contemnitur a diuitibus, hanc pauperes Euangelizati diligũt, odio habetur ab omnibus. Sic enim ait dñs. Hæc quidem ueriſſima ſunt, tametſi talia in omnibus uel Theologis uel dicæologis non ita euidẽter apparent, quid igitur facias? An non legiſti quia ſcriptum eſt: Amicitia mundi eſt inimicitia cum DEO? Quod ſi abeſt a CHRISTO animus tuus, nec ſapis quæ ſunt DEI, ſed ea tantummodo quæ ſunt hominum, Æthiopem nunc dealbauero. Si es animalis, ſi plane ſæcularis, ſi peccati ſeruus, non audies conſilium, etiamſi e Quintiliano tecum agere parem, ac Rhetoricis uti perſuaſionibus. Theologiæ ſcientia accerſit ſibi crucem, hanc ſi horreas, nihil egero. Iurisprudentia quo ſæculo ſuo ſeruit diligentius diutiuſq;, hoc plus ſibi conciliat cum fauoris tum tranquillitatis. Ais igitur,

te consule, nemo Iurisprudentiæ dabit operam? Respondeo: Tu quæsisti, ego expedi quæstionem. Dixi quod dici debuit, nec secus. Neminem compello aut ad Theologiæ studium, aut e schola Iuris expello. Comperio nostra tempora carere non posse Iurisperitis, sicuti nec potestate sęculari, qua si unquam opus habuit malicia sæculi, nunc q̄ maxime opus habet. Si essemus Euangelici, non indigeremus Iurisperitis. Neq; enim audirentur inter nos bella & lites, si secundum Euangelium uiueremus. Si Ecclesia optime administraretur, forum melius haberet, & iudex minus audiret latratuū. Noui hodie Iurisperitos pietate atq; integritate commendatos, sed breuis est numerus. Viri honorandi sunt uel ob eam caussam, q̄d inseruiunt politicæ iustitiæ, quodq; suscipiunt sæpe patrocinium uiduarum ac pupillorꝝ. Quoties oppri merentur a diuitibus pauperes & a nobilibus agricolæ, nisi existerēt aduocati? Cano receptui. Si offendi iniquos, habeo unde me soler. Vale.

D. C. C. S. P.

RESPONDEO SERIVS QVIDEM, SED tui memoriam uenerande frater, nullus dies mihi ademit. Quoties perpendo, quem laborem in concionādo, & quæ subeas pericula pro domo DEI, non possum non corroborari, eiusdem quippe

quippe sortis homo. In stadio isto si commessationi-
bus, ebrietatibus, cubilibus uacare quis uelit, eũ ego
aut delyrare duxerim, aut uocationem non intelli-
gere. Si continuis laboribus quos publice domesti-
ceq; exhaurimus, sanctas etiam meditationes adiun-
gamus, & perpetuos in orando gemitus, & Vota
potentiss. denicq; saluberrima ieiunia, ac cętera Euan
gelici hominis officia, uix tamen quiuerimus contra
facies hæreticorum stare. O hæc tempora, o Germa
niæ hos mores. Quam graui Religionis iactura con
cussa est domus Dei. Pseudocatholici, mundi unius
amatores, lædunt Vineam domini suis et opinioni-
bus et affectibus. Nolunt suam sibi festucam in ocu-
lo monstrari. Trabem duntaxat in hæreticorum
oculo uisam, cõuitijs exagitant. Volunt puri esse ab
errore omni, Volunt CHRISTO proximi sedere in
regno cœlorũ, cum spiritu DEI uacui nõ solum sint
et cognitione uerbi, uerumetiam bonorũ operum iu
stitia, quam perpetuo iactant. Si illi confidunt suis in
ceremoniolis, & solis constitutionum obseruantijs,
pronuncio eos ualde desipere. Contra hæretici carni
suæ addictissimi, non lædunt modo uineam dñi, sed
populabundi subuertũt omnia. Nolunt se errare ul-
lo pacto dici, quemadmodum pseudeccleſiastici ob-
structa conscientia se errauisse pernegant. Spem po-
nunt in sua sola fide, in persuasione sui uerbi, in Au-
gustanis

guſtanis articulis, præſertim ubi illi minus munimi-
nis habent. Cuiuſmodi ego te frater & animo ſæpe
reuoluere, & ſæpius gemere nihil dubito. Nam pius
Eccleſiaſta ſine tali cruciatu, uix unq̃ eſſe poteſt. Cæ-
terum qui ſit ſtatus eccleſiæ iſthic, ipſe ex prę̃ſentibus
coniecto. Vnus tu committeris cum decem clamo-
ſiſſimis atq; loquaciſſ. prædicatoribus, nec deſiceris.
Iſti uigilant ut reliquias celeberrimæ ciuitatis ab oui-
li ſuas in ſpeluncas abripiant. Tu uero excubas, ne fi-
at, quod inimici homines prę̃ſumunt facere. Iſti quę̃-
runt ſuam hæreſim ita conſtituere ut obduret uſque
ad conſummationem ſæculi. Tu ſatagis, ne irradicet̃
altius hæreſis. Iſti dolent, unum eſſe ſuperſtitem ho-
minem in eccleſia papiſtica, ſic enim ipſi loqui ſolent,
& utuntur uariis technis, ut capiant reliquos. Tu ue
ro doles, unum etiam hominum uiuere in malitia
mundi huius. Concupiſcis omnes mortales Eccle-
ſiæ non papiſticæ neq; epiſcopicæ, ſed apoſtolicæ ac
authenticæ lucrifieri, & eo uteris ſpiritu oris tui atq;
gemituoſis præcibus. Hoc ipſe me felicior es, quod
frequens auditorium docenti tibi contigerit. Com-
miſſus ego ſum cum quinq; improbiſſ. beluis in ciui
tate Iſlebienſi, quor̃ unus capitulum eſt huius euan-
gelici corporis, alius uenter, reliqui podex & ſuræ.
Dimicant illi non tam mecum, q̃ cum Euangelio Ec
cleſiæ à quatuor Euangeliſtis, et Paulo Petroq; per-
ſcripto.

scripto. Nam hoc fretus ipse, Euangelion recens exortum, Luth. autore, & Constantiorꝫ quorundam gladio defensum, fortiss. impugnare pergo. Repugnant uero isti per singulos dies, aut coactis aut deprauatis scripturæ locis, qui mos est hæreseon. Sed tñ rarius in absentẽ suos scripturæ locos obtorquẽt, potissimũ conterunt horas immani maledicentia, expugnaturi. s. Vuiceliũ uel conuitiorꝫ telis, uel mendaciorum scuticis. Habẽt turbam credulam, & quouis sequacem, etiam in tenebras exteriores usqꝫ. Capitulum parauit sibi antehac nonnihil eruditionis. Venter, uas uacuum est & pietate & eruditione. Reliqua pastorculorꝫ fex tantum non didicit, ut tres uersus possit latine scribere. Audacia, licentia, temeritas, canina facũdia, popularis assentatio, huius sæculi configuratio uulgo illos commendauit. Clamant unanimiter in ueterem Christianismon, tanta petulantia, tanta futilitate, tãto odio, ut deieres nullibi pestilentiores nebulones uiuere. Plus decies prouocaui ad publicam ac legitimam disputationem, qñquidem tanta confidentia me cõdemnant inauditum, & tanta securitate sua decreta cæco populo infarciunt: sed recusant, malentes mundo placere, q̃ CHRISTO, cuius uerbum dolo tractant, & turpiss. cauponantur. Porro plebs omnis auersa est a nobis, sequens nimirum directores suos in foueam. Vix decem iuga fide

p lium ho

lium hominum nondum cesserunt insanienti sectæ. Quæ paucitas me docentem audit, cultui diuino utcunq; dedita. Verum qñ ijdem pauculi hæreticos quoq; blasphemantes magis, q̃ prædicantes, ex metu aut nescio qua emolumenti spe, imò etiam multitudini ad oculum seruientes audiunt, nõ adficior erga eos, sicuti oportuit. Ouiculas pastor amo, sed qñ lupos ipsæ ultro sæpenumero sequuntur, non reddenda erit mihi de eis ratio. Nonnulli horæ citius sectæ sese addixerint q̃ ut recta sequantur CHRISTVM præeuntem in doctrina ueteris ecclesiæ. Alij sic inclinant in dexteram, ut prius rumpantur, q̃ ut possint restitui. Solicitudine tñ horum teneor, & ea maiore, quo plus in illis desydero. Progressus schismatis, uereor, attrahet tantillas reliquias ad se, uidentur enim mihi pusillanimes non ferre posse ulterius quotidianos impetus, & ita se habet Basilicæ huius ministerium, ut putetur casurum. Clamo cum Dauide: Omẽs declinauerunt. Libertas schismatica perplacet. Dissimulant plerique ex nostris catholicam religionem, & mussant doctrinam apud hæreticos. In conuenticulis negant me aliqui. Nam habeo & ipse Petros meos, habeo meos quoq; Nicodemos, qui uix multo p̃cio possint adduci, ut me interdiu adirẽt. Tãtus est metus non Iudæorum, sed hæreticorum. Soli solũ allo quuntur atq; salutant, sed in publico ignotus meticu

losis sum.

losis sum. Miseret me tñ illorum, siue quia tam muli-
ebriter meticulosi sunt, siue quia propter antiquã re-
ligionem meiq; causſa tot opprobrijs indesinenter
exercentur. Non poterunt conqueri, quod eis mini-
mo etiam sim oneri, aut quod de suis largitionib. ui-
ctitem, quia in uniuersum nullæ sunt, nec ab ullo uel
obulum exigo. Horum aliqui in schismaticos præco
nes liberalissimi sunt, & eosdem mensa acceptos ho-
norant, habentes interim rationem neq; Ecclesiæ, cu
ius obedientiam iactitant, neq; mei, quẽ concionan-
tem audiunt. Sunt qui ingredi studio uitent hanc Ba
silicam nostram audituri oraturiq;, ne hæreticam ui-
ciniã offendant, aut iritent Satrapas, Tales uidentur
mihi pedetentim Ethnicissare, dum fugiunt tam ca-
tholicas, q̃ schismaticas conciones. Quid querar? Fri-
gent hic omnia, & lentiuscule ad exitium sui festinãt.
Animi omnium absunt, abest feruor, abest zelus: te-
pore, metu, neglectu iacent omnia. Causſa mali ma-
xima sectæ uigor est, & præpotẽs irruptio. Si in tota
Germania cum rebus fidei ageretur, quẽadmodum
agitur in hac ciuitate, cogerer ego uel Italiam aut he-
remum quendam petere. Hic nihil supereſt, præter
plorare. Hanc ciuitatem expugnarunt, obtinẽt secu-
ri, ac potiũtur optimis spolijs. Fortasse potuissem isti
languori Ægyptio aliqua ratione obuiam ire ante
octennium, si fuisset DEO uisum, At nunc actum pla

ne est: Adeo inquã actũ est, ut multi schismatici, ne-
que concilio reduci, neqꝫ gladio retrahi ad unitatem
Ecclesiæ, & puritatem Euangelij unq̃ queant. Sępe-
numero quoties me hęc desolatio angit, refici uel in-
de soleo, consyderans quod nimirꝫ sectæ improbi-
tas propterea totum Christianismum nõ deuicit, qa
huius ciuitatis & aliarꝫ plurimarꝫ uictrix est. Subie-
cit sub pedibus suis multas prouincias, nõdum oẽs.
Optamus totis pectoribus restaurationem Christia
næ rei, nõ propter hæreses solum, uerumetiam pro-
pter ipsam œconomiam Ecclesiæ. Res male habet,
utrõ uertas oculos. Et fatentur hoc oẽs cordati ui-
ri. Qui inficiantur, indigni sunt ecclesiæ nomine, siue
tales sacerdotes sint, siue monachi. Papa & cardina-
les ut salui fiant impossibile est, quia curã gregis nul-
lam hactenus habent, uident lupos non uenientes,
sed pridem in caulas uenisse, nec resistũt. Vidẽt oues
laniari, nec dolent, uident ouile subuerti, nec miseran
tur nostram uicem. In centum annis neglexerũt con-
uocare Conciliũ Oecumenicum, & nũc toties appel
lati cessant. Quod dixi de papa et cardinalibus, idem
de Episcopis sentio, qui potuerunt uenienti malo oc
currere, nec fecerũt, sectantes interim opera tenebra-
rum in hoc sæculo maligno. Non soleo de prælatis
illis quicq̃ durioris effutire, nisi ubi oportuna moni-
tione opus est. Lutheristæ in papã & episcopos ho-
stiliter

ſtiliter inuehuntur,& quod nobis in illis dolet,ipſis eſt gaudium, At nos longe alio cõſilio interdum attrectamus capita ſpiritalia,quippe amici & monitores,non calumniatores. Polliceor ſalutem æternam papæ & epiſcopis,atq; eiſdem glorioſiſſ. famã apud poſteros, ſi CHRISTO IESV paſtorꝝ principi,& epiſcopo animarꝝ noſtrarꝝ obſequium præſtent, in reformandis moribus,tum ſuis tum reliqui Cleri, et in repurgandis ſcholarũ opinionibus,denicq; in emendandis Eccleſiarum cultibus. Talia tu quoq; in corde tuo premis,ſcio, teſtes ſunt certi ſingultus tui,& lingua tua prædicatrix ueritatis Euangelicæ.Nec aliud peius habet animum meum, q̃ q̃ in tam ampla ciuitate ſolum te militare oporteat,adeo ut ore tuo occluſo,prorſus ſileat catholica cathedra. Quid profecerunt ſcholæ iſthic? Quid præclari pepererunt nobis? An non quæſitum eſt tot tantiſq; ſumptibus, ut eſſent uiri eximij, quorꝝ opera parœtiæ indigent? In neceſſitatibus ſuis quid habent congregationes ueſtræ? Dicam equidẽ: Habent uiros qui plus grauent q̃ iuuent,qui plus obſint q̃ proſint. Doctorum, Licentiatorum,magiſtrorꝝ copia ingens ubiq; eſt, ſed quid præſtant titulati illi in Eccleſiæ miſerijs? Muti ſunt, non ualentes latrare, non uolentes lucubrare,ſed ſcientes dũtaxat diſperiturꝝ corpus curare.Et inter hos tñ non deſunt,qui me criminẽtur, eò q̃ pu

 blicitus

blicitus scribam, quum non sim doctor in Theologia. Imo ipsi doctores scribant, & ego memet protinus hoc fasce leuabo. Doctores doceant, correspondentes uidelicet suo titulo. Alioqui si docere nolint, et me qui non sum doctor docere deceat, timendum est, ne iudicū arbitrio decernatur, ut is doctor merito sit, qui oues CHRISTI docet, præillo nimirꝝ, qui cum doctor uocari amet, neqꝫ doceat, neqꝫ etiam docere possit. Lapides clamare oportebit tandem, qñ doctores nominati tacent. Putant inuiduli uoluptati mihi esse hunc calamum, aut scribentem uenari auri massam. Vtinam ipsi dignentur hanc in palęstram concedere, ac periculum facere eius rei, quam uel in nobis uituperant, uel alioqui per se contemnendam existimant. Attamen satius est, aliquos ex his tacere, q̄ male ordiri cantilenam, & peius finire. Cardinalis Moguntinēsis rediit a Berlino. Marchio mutat monachos in sacerdotes, utinam fœlici transformatione. Lipsenses strenue desudant, ut nouum cœmiterium extra portam ciuitatis obtinere liceat. Videtur esse imitatio Lutherismi. Fortassis secum trahet hæc nouatio alia plausibilia. Synodus Vuittenbergensis magno plausu utriusqꝫ partis celebrata est. Nōdum certo comperi, quæ fuerit controuersiæ conclusio. Hac arte firmant fœdus suum, ut cōsistere possit aduersus Christianum orbem. Consulunt suis rebus

Sueui

Sueui, posteaq̃ senserunt quid immineret. At quo-
modo consulent tot animarum millibus, cuiusmodi
manducatione sui panis miserabiliter deceperũt? Mi
rificam scilicet Euangelistarũ constantiam. Quis por
ro talibus in immẽsum credet? Populi indocti fides,
sicuti uideo, in manu pręconum est. Illi si scribant ho
die: DEVS est in cœlo, & ijdem cras scribant: non
est in cœlo DEVS, cogetur populus credulas aures
præbere. Similis lubricitas in alijs quoq; sectis uiro
prudenti expectanda fuerit, maxima in hac principe
secta, mea flagellatrice. Sapientis est, si sit lapsus, hu-
mo surgere. Redijmus & nos ab errore in uiam, sed
ire ab errore in errorem, stultissimũ est. E secta erat
fugiendum ad Ecclesiam matrem, non ad aliam se-
ctam, quam eadem ira DEI manet. De bello Medio-
lanensi nihil habeo certum, nisi quod afferunt Italia-
norũ translatę literę. Pasquillus male minatur Rom.
Curiæ. Nescio quid futurum decreuerit omnipo-
tens. Aiunt Mantuæ fore Concilium, idq; hoc euo-
luto anno. Vellem, te legere quæ super his rebus ad
me scripserunt Ioannes Faber Episcopus Viennen.
Fridericus Nausæa, & Iulius Pflug. Me minime ma
la spes habet, aliũ in orbe uultum fore. Vale. Salu-
ta Iodocum Hessum Carthusia. cui an respondérim,
nescio. Si illi uacabit, scribat denuo, & si deest quod
scribat,

scribat, depingat nobis podagram suam carmine. Saluta quoque Magistrum Vrbanum e ualle Georgiana amicum candidiss. Expecto ab eo mellitas literas. Viri huius ingenium quõdam Mutiano Ruffo laudatum, mihi nec hodie displicere potest. Præterhos saluta M. Ioannem Seuerianum, quẽ ante quatuor annos in æde Mariana declamantem audiui, atq; hominis piam sententiam apud familiares probaui. Nunc ipso quoq; amico auctus sum. Salutabis & M. Conradum Eutychum, cõterraneum meum, quem ego in communi patria aliqñ sic salutaui:

Salue Mysta deo, nec non sacrate Mineruæ,
Te uetus Eutychum Græcia iure uocat.

Vehementer pudet, quod hominem illum olim uoluí in Lutheri nassam illicere. Saluta L. Hoxer. scholasticum quidem Theologum, sed utinam omnes id genus ita de rebus fidei & sentirent & loquerentur, quemadmodum ipse hunc loquentem audiui. Cum primis salutato principem ciuitatis Scribam, cuius integritas ante aliquot annos meæ innocentiæ non uulgariter profuit. Vale. In feriis Pentecostes.

Anno M. D. XXXVI.

M. I. H. B. S. P.

QVOD TVIS AD ME LITERIS NON RE-
spondi hactenus, tribues publicis occupationibus. Alioqui te & amo unice & admiror. No-

ror. Nomen tuum quum ageres Lipsiæ, mihi erat percognitum, tu uero ignotissimus. Spero te, ubicunq; tandem locorum sis, & quocunq; rerum statu contineare, Apostolicæ Ecclesiæ caussæ neq; animo, neq; calamo defuturum. Per Schisma aut certe huius occasionem interit in ecclesia mali plurimum. Redeunt nunc tandem Theologi ad Theologiam. Quid uulgus istorum secutum sit in hæc usq; tempora, uidimus. Vtinam indies accedãt ad lucernam diuini uerbi propius. Cæterum literas Reuerendiss. D. Episcopi Viennen. quas una misisti, uix queam eloqui, quanta perlegerim uoluptate, maxime eam ob rem, quod pollicerentur Cõcilij futuri certitudinem. O gaudium orbis inenarrabile, ecclesiæ reformatæ futurum splendorem. Respondebo Episcopo quam primum uacabit. Tu si illi prior scripseris, commendabis me uiro tanto. De nouis rumuscu lis nihil laboro. Qui hos consectantur, ocioſi homines sunt. Audiuntur plurima gesta, at horum pauciss. fidem merentur apud prudentes. Nonnulla ueriora sunt, quam boni uiri uellent. Vniuersi læti audimus de expugnata Carthagine, atque Barbarossæ fuso exercitu. Nec potest non esse rumor acceptissimus de uictoria regis Persarum, quam ille ab hoste Turchico prȩclarissimam retulit. Lætior uero fama foret, si audiremus CHRISTO crucifixo utramque

gentem dare manus. Bella Danica sæua fuisse perhibent. Lubecium bello quassum licet, ægre tamen rationes pacis iniit. Qua in caussa ego sæpe solebam mirari, utra pars esset purius Euãgelica, & quidnam cogitarent, quidue dicerent Euangelistæ, tam Dani quam Lubecenses, ita concurrentib. fraternis armis. Lanarij istius unica factio, si cętera essent optima, patefacit nobis semel totum mysterion spiritus huius pseudeuangelici. De capto Monasterio fama in oẽs terras sparsa, nescio an omnes æque delectet. Ante hanc euulgatam multi e Lutheristis patrocinari uisi sunt rebellioni eius ciuitatis, nunc probãt excidium, tenuiter tamen, odio episcopi bellatoris. Dirutum Regnum est maturo, uisuntur tamen reliquiæ huius in Vuestphalia & Hollandia. Sumpsit initium istud schisma, regium scilicet, a Lutheristarũ prima audacia. Per hos uia facta est Monasteriẽsi malo, quemadmodum antea Agricolarum sesquimenstruo dominio. Qui tale it inficias, is aut rerum istarum imperitiss. est, aut corruptiss. aut impudentiss. Quæ ferebantur de Schanitij tristissimo fato, multos audio inique ferre. Pendet certe torquatus aulicus, quodcunq; tandem admiserit. De quo negocio alij uiderint: Illud mihi cũ primis dolet, quod Gualtherum nostrum id mali inuoluit, unde adhuc se nescio an euoluerit. Fama equidem de caussa Anglicana plus

ueritatis

ueritatis habet, quã uanitatis. Perfecit rex quod decreuerat. Perrupit fortiter, amoliens Romanæ sedis obicem. Incestas nuptias dicuntur Parrisienses iustificasse, quo nõ aliud mirabilius, At quid peperit stuprum? Nouum caput suæ ecclesiæ, & mactationem Thomæ Mori iusti, ac Io. Phisceri hac tempestate laudatissimi episcopi, præter complures alios, quos regius furor in crucem sustulisse narratur, posteaq̃ illi primum arriserat noua noui Euãgelij libertas. Interea mittũtur Euangelistis munera uere regia, imo etiam pontificalia. Episcopus legatione functus Vitebergæ, nihil reliquit intentatum, quod sui regis instituto commodare iudicauit. Quanta rerum uicissitudo, & qualis sectæ retectio? Ante stuprum regis erant hæretici Vitebergenses, stupro commisso de repente fiunt Apostoli, a quibus audiantur consilia, a quibus discatur Euangelion, a quibus petatur nouatæ Ecclesiæ administratio. Sed quid mihi cum Anglis? Nunc patefit mysterion mutatæ religionis in Regina intoxicata, et in superinductæ sponsę supplicio. Fortassis iam iustificabuntur a plerisque Phisscerus & Morus, lapsi uero cum rege episcopi, doctores ac dynastæ regni damnabuntur, nec dubito quin ipsos sui pœniteat pigeatue. In quem finem tanti mali magnitudo euasura sit, augurari facile possis. Attulit & illud rumor, nempe Vuolphgãgum Capitonem

pitonem, Martinum Bucerum et alios quosdam superioris Germaniæ excellentiores cõcionatores mediocri equitatu ueniſſe Vitebergam, adorare Luthe rum, fortaſſis & inuiſere loca ſacra ibidem. Sed extra iocum, Sectarij e ſuggeſtis diffundũt in aures populi, concilium agitaſſe ſummos uiros, & conſſe in concordiam ratam, Vt in poſterum uelut ex pacto unum ac idem ex utraq; parte doceant de Euchariſtia, & eadem formula exteriora officia adminiſtrẽt. Triumphant alacerrime, de uictoria Luthero parta, quo fit, ut exiſtimatio Schiſmatarchæ ad immenſum ſubito creuerit. Itaq; Bucerus ex panario carnarius factus eſt, & ex Vinario Sanguinarius. Res tamen ea adhuc occulitur a ſigniferis. Si eſt rata concordia, habebis ex duabus Sectis unam bene ſtabilem. Certe tollendæ huic multis in concilio ſudoribus opus erit. Gladio non poteſt aboleri, conſilio poteſt, maxime ſi cum conſilio coniungamus ſynceram pietatem. Nec procul a uero fama eſt de bello Gallico, huius plena ſunt omnia. Tota fere nunc Europa concutitur, dum cum Gallo Aquila dimicat. Superba quidem auis Gallus eſt, & audax, ſed aquila ualet robore. Auditur de expugnata Toloſa, neq; tamen huic rumori fidem præbeo. Si ita fieri debet, quemadmodum optatur a multis, patietur hoc tempore Gallia, a Cæſare Carolo, quod olim L. Piſone & Aulo

& Aulo Gabinio consulibus, a Cæsare Iulio passa est. Eximiam uero fœlicitatem, si Carolo (qui pene Maior Magno illo priore æstimari possit) nunc omnis Gallia una cum Celtica ac Belgica regione obtingat, sicuti superiore anno illi Morea obtigit. Eam fœlicitatẽ maximam timendũ magnopere est, ne aliquando comitetur arrogantia. Quæ pestis secum exitium immane trahet, nisi caueatur. Doleo Iacobi Fab. Stapulensis uicem & Guilhelmi Budæi, si diu affligatur Gallia. Alit præclariss. ingenia isthæc regio, dignior profecto meliore rege, quã de Francisco periuro hactenus fama crebra refert. Venatus est ille conspirationes euangelicorum, Iunxit amicitiam cum ijsdem, Emisit epistolam, ab euangelicis uersam atque excusam, quæ præ se ferebat animum regis ad rectiora propensum, sed nunc dicunt uulpina pleraq; fuisse. Nam feciſſe se eiusmodi, ut sibi hac arte demereretur Germanos. Euangelici prædicant partes Cæsaris, conuitiantur regi, an ex animo, ipsi norint. Fœlicitas Cæsaris ab his plausum extorquet, si tanta illius esset infœlicitas, uereor ne diuersa uulgo audiremus. Parum fidei ego tali laudatorum generi darem, si CAROLVS essem. Nam quomodo ei ex animo fauere possunt, quem pro Antichristiano habent? Rex uero Philippum accersere Lutetiam satagerat (Sic enim est fama) & corona-

ti uersabantur a Germano milite, tale profecto fauorem magnum erga Gallos potuit excitare. Me miseret calamitosi populi, & occisorum militū, magis miseret occidendorū adhuc in tot ac tantis turmis. Mirabere ecquid ego hic de rumoribus. Mi Hasenberge sic placuit, dum quod scriberem aliud non erat, et conueniebat, ut amico hoc uerbosius scriberem, quo rarius, ut non comminiscar, epistolam tuã tale quidpiam exigere. Alioqui nemo minus hoc scribendi argumento delectatur, atq; ego. Tu paria facies, si qd in Bohemia tua geratur, ad me libenter diligenterq; perscripseris. Vale uir doctissime. Me redama. Islebij. Anno M. D. XXXVI.

M. I. H. N. S. P.

QVO RARIORES, EO GRATIORES MIhi tuæ erant literæ. Nec fortassis sine caussa incusas tabellariorum fidem. Mihi certe illorum infidia aut potius inuidia sæpe erat & iustis conuitijs exagitanda, si cuiq; alij. Ignaui rumores nouos undiquaq; captant, etiam ex signatis aliorū epistolis, ut nihil dicam de inimicis mei nominis, qui scire referreq; gestiunt, quæcunq; ego aut scripsi ad alios, aut ad me alij. Istos reuocat a malo ausu neq; pietas neq; honestas. Putant nõ esse peccatum incõmodare Vuicelio. Sed malim istos in papyrum, q̃ in me sæuire,

sæuire, a quo nimirum haudquaq̃ abstinerẽt manus, si rabidis illis canibus potestas esset in corpus meũ. Instituti tui genus e literis tuis non potui ad plenum discere. Querimonias lego de quodam genere hominum, qui DEO carent, qui à CHRISTO alieni sunt, qui spiritui sancto resistunt, qui Ecclesiam ridẽt, qui Euangelion auersantur, qui linguas oderunt, qui disciplinas fugiunt, qui bonos mores cõtemnunt, qui doctis medium ostendunt unguem, qui probis uiris molestias exhibent, qui reformationem ecclesiastici status, quibus ualent insidijs ac dolis impediunt, qui ponunt tenebras lucem, qui nihil nisi auaritiam sequuntur, uiri Beliaal, quorũ deus uenter est, uentres pigri, homines mente corrupti, quibus adempta est ueritas, qui existimant quæstum esse pietatem, qui conuiuantes in erroribus suis insultant pijs uiris, oculos habentes plenos adulteræ, et q̃ a peccando cessare nesciunt, Breuiter qui DEO non placent, & omnibus hominibus aduersantur. Res geritur diplomatibus. Quo quisq; est astutior, hoc laudabilior, quanto prophanior, tanto excusatior. Mentiri, fallere, rapere, apud id genus pestes ingenuum est. Hos nisi e medio Ecclesiæ tollat, nisi aboleat Concilij authoritas, uix queam credere, CHRISTI spiritum ijs interesse consultationibus. Ægre pestes hasce pertulit orbis hactenus, sed tamen perferre oportuit, adactum

Ausonio

Ausonio fulmine, cuiusmodi ciere curta uelut male-
fica incantatrix facile potuit. Heu quàm nepharia
scribi ad posteritatem queant, quæ isti gesserunt in
Germania sub nomine DEI & Apostolorum duo-
rum. Tu quæso motus comprime. Non curant uer-
ba uentres. Sinent te stomachari, dummodo sibi lice
at tueri raptum. Amisisti tunicam, nisi quiesces, amit-
tes & pallium: Neq; enim timor DEI est ante ocu-
los eorum. Sic comparatum est, ut uir sapiens eat ex-
ulatum, mendicet, frigeat: stolidissimi quique homi-
nes in pretio sint, abundent re ampla, delitientur no
ctes atq; dies. Studiosa iuuẽtus fraudatur, boni con
cionatores negliguntur, fidi ministri præ pauperta-
te squalẽt, probi ciues esuriunt, pij sacerdotes malua
uictitant, docti monachi patiuntur angustiam, at in-
dociles assentatorum pueri dotantur beneficijs, fa-
bularij honorantur, impudentissimi nugatores di-
tantur, uersipelles bene audiunt, calumniatores ob-
uijs excipiuntur ulnis, delatoribus affatim datur, oci
osi possident quæuis, aleatores regnant, quotidiani
commessatores nihil desyderant. Reperias uirum re
bus maximis ornatũ a DEO, quicq; possit mirandum
in modum utilis esse toti Christianismo, huius si scru
teris ædes, inuenias feruentia studia, codicibus, char-
tis, calamothecis, pulpitis ac cæteris literarijs instru-
mentis repleta omnia, præterea altum silentium, fa-
miliam

miliam facientem officium. Ibi si excutias gramma-
tophylacia, aut offendes epistolarum aceruos ali-
quot, aut partus quosdam domestici ingenij, de ex-
tremo scriniolo in manum ueniet codicillus epigra-
phicus. Inspicere fert animus, & cognoscere quantũ
censuum uiro DEI per annum obueniat, miraris for
tunulam, atq; confiteris uerum esse, quod ueteres
olim de Dea, quam uocabant Fortunam paruam,
quodq; de cæco Pluto commenti sunt. Contra ue-
ro reperias homuncionẽ pondus inutile terræ, DEO
ignominiosum, hominib. pernicioſum non uno mo
do. Cuius in ædibus inuenias assiduas compotatio-
nes, instrumenta musica, charissimos catellos, dile-
ctiss. cattos, arma sæcularia, grãdem suppellectilem,
præsertim ad Gulæ ministerium comparatam, cabal
lum præferocem, & cætera quæ ad tonsum equitem
pertinent, insuper lecticas nitentes puluillis eleganti-
bus, familiam meretriceam, tumultũ aulicum, splen-
dida omnia, præter bibliothecam, quam operit pul-
uis et obuelant aranearum tela. Neq; tamen si explo
res hanc, inuenire liceat alios libros, præter miseran-
dam illam cateruam e schola Scotistica, a muscis be-
ne amatam, utpote sedem suam perpetuam. Breuia-
ria detrita primum locum occupant, in argumẽtum
clericalis dignitatis. Nam nisi ea ingredienti uiseren-
tur hospiti, dubitare poterat de domo, quam quære

r bat. Cæ-

bat. Cæterum si huius meretricarij & aleatoris & ebriosi conuiuatoris uidere uelis receptacula, protinus habes rescripta, quibus citant debitores, & aggrauant, quibus indicunt lites, quibus exigunt, quibus pacta pecuniaria firmant, quibus debitores liberant, quibus census uendunt, & acta denique illa spiritalis fori multiplicia. Vis scire annuos prouentus, reperis trecentos aureos, si quadringentos, minus mentior. Si quæras unde, si quæras quomodo expendantur, stupebis. Huiusmodi tolerantur a summis ecclesiæ rectoribus, nec non propugnantur. Nos uiles pulli Ecclesiæ nil nisi gemere interim possumus, & astra suspiciẽdo in nostri commiserationem permouere. Bonus homo plura non appetit, quàm suo in tugurio διατροφὰς καὶ σκεπάσματα. Nec ego ob aliam caussam talia commemoro, nisi ut te amice tua in sorte soler ac stabiliam, & testimonium ueritati perhibeam. Fortasse respiciet te aliquando non Rhamnusia, sed pater cœlestis, & prospiciet ita necessitati tuæ, ut & commodiore loco possis seruire Christianismo, & lautiore cõditione. Mediocritatis limites si trãseamus, perijmus. Illud me magnopere in literis tuis delectauit, quod te in Galatis Paulinis sudare scribis. Sic placuit chariſſime hominum, sic debui ego a te solari. Qui annuit cœptis, finẽ fortunabit operis. Quæ polliceris, futura esse mihi non

sane diffi

sane difficulter persuadeo. Elegans stylus ille tuus, et Paulinæ Theologiæ cognitio penitissima, ut taceam Rhetorismi peritiam, uulgaria non ædent. Cõfidentiss. secta nescit modum gloriationis, & ementiti triumphi de doctrina iustificationis. Victa est potẽter, ipso etiam cœlo teste, nec tamen eam suæ pudet impudentiæ. Paulus a multis retro hæreticis enarratus esse legitur, sed hæreticoteron nunquam est prædicatus, atq; hac nostra tempestuosiss. tempestate. Nonnihil præstiti ipse quoque in uindicando Paulo per istud sexennium, at nondum licuit in ea palæstra ita uersari per tot remoras, ut uel meo animo, uel uere studiosis Pauli discipulis satisfeciss̃e existimari possim. Nisi obstarent alia, quæ nunc absoluenda suscepi, lubentissimus ad id argumenti redirem, plane in planiciem adductus equus. Verum ut mihi summæ est delectationi, quod scribis, ita æque esse possit, si concionareris. Vuurceburgi egregius eras Ecclesiasta, quid ni idem Bamburgi? Num te spiritus prophetię deseruit in eadem Francia? Pulcherrimum certe est, & immortalitate, si quid aliud, dignissimum, eundem publicitus concionari Euangelium, qui publicitus scribit Euangelium. Concio præfertur uulgo scriptioni, Et habet illa uel ob id plus dignitatis, quod ipse dominus & Magister noster prædicasse legitur, scripsisse non legitur: nisi forte Epistolion ad

Abgarum regē Edeſſæ allegare uelis. Apoſtoli concionati ſunt omnes, at nō omnes ſcripſerunt, ſaltem quæ extent ſentio. Et plures leguntur prophetę docuiſſe uoce uiua, q̄ ſcripſiſſe multis literis. Præterea perpendito, quanta ſit multitudo ueterum Epiſcoporum, qui quum in concionando uigilantiſſimi fuerint, nullam paginam poſteris reliquerunt. Numera hos, ſi potes. Iam uero quot uiuunt his annis concionatores optimi, et quos ego percipio eſſe eruditos, qui officium ſuum faciunt, a calamo alieni tamen. His ſuum donum eſt: at tibi non alterutrum, ſed utrunqꝫ datum eſt, poſſes enim eodem ſpiritu, quo lucubras ſalubria, concionari ſalubria. Dominus dedit tibi linguam eruditam, ut ſcias docere audientes, & contradicētes arguere, ut noſti eradicandi ac plantandi artificium. Qui dedit uerbum Euangelizanti tibi uirtute multa in illa ciuitate, is daturus eſt idem uerbum æque uirtute multa in alia ciuitate. Didiciſti iam pridem quid concionari oporteat, nempe quod ſcribis. Os reſpondeat calamo, & rectiſſime concionatus es. Scribens non adularis, concionans ſi adulere, mirabor. Perinde eſt, utram offendas partem, ſiue ſcriptites, ſiue prædices. Nam noſtrum decretum eſt, CHRISTO DEO placere, & priſcæ Eccleſiæ ſanctorum. Quod ſi eadem opera poterimus & hominib. placere, næ nos fœlices. Paucis his te incitari uolui ad

lui ad cathedram. Si quid profeci, gaudebo mihi uehementissime. Sin minus, est quo me queam consolari, uidelicet adhortationis huius conscientia. Legisti Matthæum tradentem nobis hæc uerba de IESV nostro: Cum uidisset autem turbas, affectu misericordiæ tactus est erga illas, quod essent destituti ac dispersi, uelut oues non habentes pastorem. Tũc dicit discipulis suis: Ipsa quidem messis copiosa, cæterum operarij pauci. Rogate igitur dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Circumspice populorum multitudinem, consydera famem uerbi DEI in omnibus, perpende calamitatem animarum, cogita de reddẽda ratione talenti crediti. Sunt quidem multi ubiq; sacerdotes, sed pauci prædicatores. Pascunt semetipsos pastores tales, uerum cui cura est de ouibus? Cur sumus ordinati sacerdotes? An ut ociemur? An ut scortemur? An ut pro uerbis reddamus murmura? An ut rusticos tribulemus propter decimas? An ut colligamus uotiuas missulas, utque multa fabulantes stolidam plebem uocemus ad offerendum? An ut uisitemus publicas tabernas? An ut stertamus totã noctẽ & dimidiatum diẽ, aut potius nocte tota potemus, & die dormitemus? Minime omnium. Ordo sacer ad sacra reuocat. Iam quid magis sacrum, q̃ tractare uerbum DEI uiui, per quod sacramenta fiunt? Perfecto odio odi sacerdo-

r iij tes, qui

tes, qui ob nullam cauſſam ſacerdotes facti ſunt, niſi ut exempti a munijs ciuibus, uitam ſuam perdant in diabolicis operibus. Iniquos odio habui, ait Pſaltes, legem autem DEI dilexi. Non ſine cauſſa in priore ſæculo dictum eſt: Omnis ſacerdos aut angelus aut diabolus, hũc igitur odi, cumq; hoc diabolica facta. Quanta erit olim confuſio atq; ignominia Epiſcoporum coram CHRISTO iudice, quorum indulgentia tam indocti tamque prophani ſacerdotes creati ſunt? Quo illi utentur patrono? Quo tuti erunt aduocato? Non poſſum effari, quantopere me iſte abuſus cruciet, mordeat, adedat. Hæc forte non omĩno abſque utilitate per digreſſiunculam attigi, dum cupio te ad cathedram propellere, cuius gradus cœli gradus ſunt. Sectæ duces proram ac puppim in concionis neceſſitate collocant, nec ulla in re uigilantiores ſunt. Nos interea luſitabimus, aut fallemus horas uenando aut piſcando? Per cathedram reducentur oues ad caulam eccleſiæ e Sectarum ſpelæis, non per Thyſiaſterium. Vox clamantis, non uox cantantis franget Titanicam iſtam audaciam, qua miſcuerunt omnia deteſtandi hæretici. Plus ſatis hæc. Quæ paſſim ferunt de indicta Synodo, neq; uana ſunt, neq; triſtia. Meo certe animo nihil poterat e Roma iucundius adferri, q̃ Bulla illa, mihi nuper ab Anaſtaſio Schmaltz oſtenſa. Dominus ſeruet tale propoſitum in pon-

in põtifice noſtro, & in eodem augeat Euangelicum ſpiritum. Satan ſubodorabitur malum ſuum, quapropter nihil relinquet intẽtatum per ſua membra, ne fiat bonum. Hoc anno emiſit ab imo tartaro bella regia, fortaſſis emittet anno proximo bella Turchica, aut fractas uires regis redintegrabit. Certe Cæſar inuitus belligeratur, nec aliò quàm ad pacem ſpectare uidetur. Legimus quem ſermonem Romæ in conſeſſu Pontificio in feriis Paſchalibus habuerit uirorum manſuetiſſimus. Vtinam Gallus ſeſe prudentius geſſiſſet. Venit ad ſummum. Gladius Auguſti uictor erit. Deus pacis potens eſt hanc maximam diſcordiam in maiorem concordiam conuertere. Vtinam id faciat propter miſeriam inopum et gemitum pauperum in omni Gallia. Bellum Saxonicum ſiue Dacicum nondum deferbuit. Videmus & Euangeliſtas propter meum et tuum arma mouere cruenta. Cœperunt anno elapſo parricidalia moueri arma inter Euangelicos fratres, ob eandem cauſſam, ſed bonus Angelus diremit ac ſedauit tumultum. Vale dulciſſ. Frater, pro me ora, me ama. Iſlebij Duodecimo Auguſti. Anno M. D. XXXVI.

Literæ

R. I. F. E. V. S. P.

ITERAE T. C. REDDITAE MIHI SVNT è Bohemia, quum fuissent datæ ex Oenoponte. Mirabar flexus itineris, sed ubi cœpi mecum reputare animo, q̃ non sit cuiuis tabellario fidendum, iudicaui prudenter esse quęsitas ambages. Et is, a quo accepi summa cura custoditas, eò erat acceptior, quod una redderet literas N. uiri elegantissimi, meique studiosiss. Cæterum cum primis optarim, ut aut T. C. de me iudicio ulla ex parte respondere, aut expectationi quoquo modo satisfacere queam. Sentio difficilimum, nec esse quicquam rarius, atq; ita lucubrare, ut eruditis placeat. Fortasse Aristophanis ac Cleantis lucernam plures habere possunt, q̃ horum fœlicitatem. Ipse profecto, quoties facio iudicium de meis lucubratiunculis, & illas ad eruditorum libros confero, quorum hac ętate nostra diuina est copia, piget me pariter & pudet nugamenti mei adeo, ut constituam, posthac ab ędítione prorsus feriari, ac reuoluendis tantum probatis authoribus memet addicere, maxime quum tale factitare alios doctrina singulari uiros ubique uideam. Ad id decreti hortatur molestissimi laboris consyderatio. Quo enim sum ad lucubrandum minus idoneus, tanto laboro molestius: ut ipsa rerum insciția scribendi laborem congeminare uideatur. Accedit inopia

dit inopia subsidij, Neq; enim mihi ullus adest studi osorum sodalium, cuius aliquantisper uti opera qua licunq; etiam liceat, præter unum hunc Amanuen sem. Atq; hæc res, q̃ sit plena tædij, quantum habeat solicitudinis ac sudoris, nemo hominũ unquam cre dat, nisi ipse eodem pistrino inclusus mecum sudarit. Nolim hic reminisci Typographorum quorundam incredibilem oscitantiam in excudẽdo, et in corrigen do conniuentiam, quod mali me ad ocium prorsus instigare poterat, etiamsi pleraq; procederent ad uo tum animi mei. Sæpenumero accidit, ut quum libel los ex illorum officinis, si nõ nitidos, emendatos sal tem expectarem, non libellos, sed cultellos accepi, quibus istorum merito reprehensa ἡ ἀμέλεια, pectus meum uulnerant iuxa ac famam. Si mihi acerbitas hæc ante quatriennium cognita fuisset, nemo a me uel amicorum uel inimicorum chartulam unam or bi publicandam extorsisset. Contra uero, ut sim ine ptissimus etiam ad calamum, et incommoda sint lon ge plurima, auocat me ab ocio metus ille domini olim redituri & suum ab unoquoque nostrum exa cturi: Deinde inclinatæ religionis periculum. Prę tea quando aleam ieci occasione inexpectata, atque eò nunc audaciæ progressus sum, cogor quod cœpi prosequi. Postremo uetat otiari Christiani Lectoris auiditas. Audio passim expeti adolescbias hasce, atq;

ipſis etiam inuidis iudicibus uel ut premantur uel re-
ijciantur æditæ, minime uideri. Quod ſi Bibliopolis
nollem præbere fidem, ipſe tale experior, quando-
quidem tot literis ex omni fere Germania partim de
æditis opuſculis interrogor, partim pro mittendis
illis rogor. Vnde non ſemel miratus ſum quorun-
dam Bibliophorum maleuolentiam, qua ducti de
compoſito recuſant noſtra diſtrahere, cum alioqui
his abiectiora circumferant, nec unq̃ potui inueſti-
gare cauſſam, Niſi forte metuunt, ne Euangelion oc
cidat, ſi contingat opuſcula Vuicelij paſſim exoriri.
Atqui Euangelio quicquam metuere, inſignis ſtul-
titiæ ſit. Euangelio nihil nocebit, etiam ſi Angelus
e cœlo exortus, contra Euangelium paret ſcribere.
Ego non in hoc uel unicam pagellam ædidi, ut occi-
dat Euangelium CHRISTI IESV, ſed uniuerſas po-
tius, ut indies clarius atque clarius oriatur. Fortaſſis
odium nominis deterret Bibliophoros a uẽdendo,
& quod arbitrantur, ſe uitantibus, ab cunctis morta
libus uitatum iri uigiliolas. Equidem odiſſe licet,
quantum ſatis: eſt ne alij complures noſtra ubique
diffundant, ne boni homines ſibi ea comparent, ne
ijdem pleraq; ſuo commodo lectitent, uetare non li
cet. Qui dedit ut ſcribantur, dat quoq; ut legantur,
quantumlibet obnitentibus hæreticis. Nuper mihi
ſignificatum eſt ab N. homine integerrimo, & Chal-
cographos

cographos & Bibliophoros diteſcere mearum pa-
gellarum lucro, id quod palam arguit frequentiam
emptorum. Arguit & illud, quòd ſæpius recudun-
tur, atq; hoc a celebribus Typographis. Cuiuſmodi
commemoro, ut uratur uehementius inuidia hæreti
corum bibliophorum, utq; magis doleat malignitas
æmulorum, Nam iſti nihil acerbius audire poterũt.
Tuæ tamen c. iudicium uel ob hoc amplector liben
tius, quod me hinc magis excitari quam commenda
ri intelligam. Etenim quum mihi animum conſtan-
tem attribuerit tua ſapientia, nimirum hoc efficit, ut
nunc de tuenda animi conſtantia ſolicitius cogitem.
In Euangelio ampliando ero conſtantiſſimus, nec
eſt, ut T. C. ea de re quicquam addubitet. Ictus ſapui.
Nõ illectabit me poſthac ulla bonarum rerum ſpe-
cies ab hoc ſtadio, cui me reſtituit cœleſtis ſapientia.
Attamen agnoſco ac boni conſulo admonitionem
pietatis tuę: Nam ſolemus timere lapſis, & eſt æquiſ-
ſimum, ut tantum uirũ homunculus audiam. Quod
addit T. C. egregiam promiſſionem, agnoſco tale
neq; promeruiſſe me, neq; exiſtere, unde unquam
promerere poſſum. Magnatum quorumuis libera-
litas mihi non ambitur, nec de fruitione huius tantil
lum cogito. Gratiam tamen fateor me debere pro-
mittentibus, ob præcipuum illorum erga me amo-
rẽ. Eſt mihi hęc uox tua omni metallo gratior, quam

bis ac ter repetit in ſuis ad me literis pietas tua, Nempe, res ſanctæ Religionis noſtræ. Ita ego omnib. modis adficior erga Religionem noſtram, ut eam non ſanctam ſæpiſſime non poſſim dicere, offenſis etiam aduerſarijs. Vere ſancta eſt Religio Chriſtiana, non tam a ſanctitate ſpiritus CHRISTI & uerbi omnipotentis, quam a ſanctitate Myſteriorum eius & piorum hominum. Iudæus quaſſat caput ad auditum ſanctæ religionis noſtræ. Hæreticus obturat aures ſuas, ne audiat gloriam CHRISTI, Nam nos quoties glorificamus Religionem noſtram, toties damus CHRISTO gloriã, utpote regi Religionis ſuæ. Quod nolit audire Iudęus, facit perſuaſio, Ieſchu ha Notzri hominem, non deum fuiſſe, ideo prophanam, non ſanctam eſſe Religionem noſtram. Quod recuſet audire hæreticus, facit perſuaſio, Papam eſſe Antichriſtum, ideo diabolicam, non ſanctã eſſe Religionem noſtram aſtruit. At nos, qui CHRISTI ſumus et apoſtolicæ Eccleſiæ, quicꝫ toto pectore ſanctum Euangelium complectimur, de Religione ſentimus optime, parati ad eius defenſionem, quandocunꝫ ratio ferat. Arma noſtræ neceſſitati non deerunt, Vnus ſufficiet gladius, qui eſt uerbum Dominicum, non Ermelianum. Iam de Generalis Concilij celebratione, bono ut ſim animo iubes, Nam ipſum omnino futurum eſſe, & ibi meam meorumꝫ ſimilium doctrinam

ctrinam ac operam requisitū iri. Certe in hoc quod T. C. omnino futurum esse Concilium significat, beari me sentio. Vix enim quisquam omnium est, qui ardentioribus uotis Concilium efflagitarit, atque ego, posteaq̄ intellexi, res sanctæ Religionis nostræ nulla alia ratione posse uel restitui, uel tranquillari. At ipsum mea opera indigere posse, ut nunquam cogitaui, ita ne semel quidem ambiui. Imo propemodum adducor, ut credam me irrideri, si quis me ad Concilium uocet. Quid enim graculus inter Musas? Quid feli crocoton? Ego meiq; similes multo minores sumus, quàm ut nobis in Cōcilio tanto locus esse queat, etiam infimus. Humilitas nostra humilia sectatur, ad tantam sublimitatem adeo non assurgit, ut ne adspirare quidem eò possit. Viros orbis habet (quorum ego nō sum dignus, ut soluam corrigiam calciamenti) huic negocio maximo accommodos. Summa res summos transactores postulat, qui ad summum sint & pij & docti. Is conuentus si recipiat homines ab omni doctrinæ genere alienos, si requirat homines a puritate Christianæ pietatis abhorrentes, si uocet amatores sæculi huius, si consulat quærentes ea quæ sua sunt, actum fuerit de toto Ecclesiæ remedio. Nam istud quid aliud esset, q̄ equos & mulos in consilium adhiberi? Porro futurum esse Concilium haudquaquam diffido, siue quia T. C. hoc af-

firmat, siue quia pridē annunciauit idipsum per Germaniam R. D. Vergerius, siue quia in Cæsareis Comitijs promissum fuit, siue quia nuperrime diploma Pontificium manifeste uereque indixit. Adest igitur in foribus Synodus toties optata, toties suspirata a religiosis animabus, quas hæc Ecclesiæ indecora confusio male habet. Nunc operæpretium fuerit, ut patrem misericordiæ quotidianis obsecrationibus omnes ubique cœtus interpellant, ne sinat diabolico dolo salutare negocium interuerti. Hostis ille determinus si sentiscet regno DEI profuturum Cōcilium, & regno Mundi obfuturum, mouebit, crede mihi, non solum, quod dicitur, omnem lapidem, uerumetiam mouebit mare & abyssum, miscebitq; cœlo terram, summa imis, sacra prophanis. Suggeret membris suis, ut clamitent: Non opus esse Synodo, Nihil uspiam esse aut errorū aut abusuum, Perituram cum oleo operam. Prorepserunt iamiam, qui uociferantur, inutilem laborem fore, Nam neutram partem uel tantulum de iure suo concessuram, desperantes nimirum de misericordia DEI, cuius neq; manus, neq; spiritus abbreuiatus est, testibus prophetis Esaia et Michea. Alij canunt classicum, cupientes gladio Germaniam cadere, inq; suo miseram funesto sangui ne uolui. Cuius spiritus uero filij tales sint, facilime iudicabitur. Si quod uerissimum est confiteri licet, ca-

rent

rent isti classici seu Polemici DEO, repleti interim odio satanico, ultionis pharisaicæ cupiditate, spiritu auaritiæ & fornicationis. Hos si interroges, cur ita horreant Synodum, nihil honesti solidiq; habent, quod respondeant. At hæc est Helena illa, sunt sibi male conscij, Nouerunt sese non recto pede incessisse ad ueritatem Euangelij, Nouerunt sese uentri seruijsse, & mammonæ, & sæculo huic nequam, Nouerunt se nescire Euangelium, nescire Sacramenta, nescire res sanctæ Religionis nostræ. Huiusmodi retegi ac pandi metuunt in luce Synodi, a qua omnes tenebræ longissime absunt. Scriptum est enim: Omis qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. Qui autē operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conspicua fiant facta ipsius, quod per DEVM sint facta. Tales nimirum sperant bellum Cæsaris contra regem Francorum susceptum, certum fore impedimentum Concilij. Sic animati sunt, ut malint ea quæ sunt Belial, quam quæ sunt CHRISTI, & eligant prę luce tenebras. Tales oderunt concordiam, delectantur discordia, abominantur pacē, cupiunt confusionem. Neque tamen putant sibi deesse aliquid, ad perfecte Christianorum titulum. Si guttulam unam Christiani sanguinis suo haberent in corpore, precari deberent Concilium, non deprecari, nec in utramque dormire aurem, nisi uiderent

Christum

CHRISTVM domini in Ecclesia sua regnantem, ut ab initio. Sed hos omitto. Cultores Lutheri pene dissimulant quæ sparsim feruntur de Indictione Synodi. Ea est istorum natura, ut si quid inhonesti esset a Pontifice Rom. gestum, id mox tragicis uocibus exaggeraturi, atque Antichristum suum expicturi erant. Nunc uero, quum rem Christiano pontifice dignam meditatur, quumq; reformationem toties exactam a tota Christianorum uniuersitate molitur, mutescunt ranæ, utinam eædem marinæ beluę mitescant. Parati isti homines sunt, ad aliena mala exaggeranda, ad aliena bona dissimulanda, ad sua mala tegenda, bona, si qua sunt, incredibilibus Thrasonismis efferenda. Synodo semper maledixerunt iniusta ira, quum eam futuram rumor spargeret, Nunc siquidem indicta est, & eo sunt uocati proceres orbis, mussant magno pudore, non audentes palam maledicere, utcunq; in suis conuenticulis irrident ac eleuant bonum propositum. Esse tamen horũ nonnullos audio, qui tantum abesse ut diplomate Romano terreantur, ipsi se tale cupere dicant, nec aliud sibi fore iucundius, q̃ uidere Mantuam. Qui se amicos Cæsaris esse fingunt, aiunt id Papæ esse fraudulentam inuentionem, nempe ut hac techna sistatur progressus belli Gallici, atq; hoc pacto perfido Regi parcatur. Dixeris hos esse ueros hypocritas. Cæsa

ri sunt ex

ri sunt ex animo infensi, ob Religionis cultum, neq; tamen uirum non laudant. Regi contrà bene uolũt, quum ob alia, tum quod spes sit, ipsum suæ accessurum factioni. Atq; hoc si fieret, inuidia Romani Imperij fieret, quemadmodum odio Romanæ Sedis Anglicus rex illi se factioni addidisse scribitur. Honestæ scilicet causſæ defectionis. Attamen conuitiari illos Regi utriq; audias, præsertim ubi cum Catholicis confabulantur. DEVS cœli fecit, ut Carolus Imp. magnificatus sit, & inualescat, & magnitudo eius crescat ac perueniat usq; ad cœlum, & potestas eius in terminos uniuersę terrę. Cuiusmodi cũ uideant nãtes, laudant Carolum, defendũt Carolũ contra mastigas Francicos, suppetias mittunt Carolo, auxilia porro promittũt Carolo, sed si secus caderet taxillus Martis, q̃ uereor ne passim audiretur ἀλεκτρυοφωνία. A facie Cæsaris Victoris pauent, uicto insultaturi, capto illusuri, non quidem omnes, sed omnium plurimi. Quæ istorum dementia dicam an malitia utinam negari possit. Si omnes ex æquo CHRISTI cultores, huiusq; placitorum sectatores sine omni specie hypocriseos essemus, nihil foret animis nostris dulcius concordia: Et id unum agitaremus concionando, scribendo, precando, ac monendo, ut Reges & Principes posita omni simultate, iunctis dextris rem sanctæ Religionis nostræ serio totaque mentis

acie dispicerent. O malum ineffabile, si omisso CHRISTO, Principes quæ ætatis principis sunt curare pergant. O bonum incogitabile, si contempis mundi rectoribus, Ecclesiæ rectores, ea quæ sunt IESV CHRISTI Pontificis Max. Optimicq; tota fortitudine quærant, uindicent, tueantur. Quicunq; ita sentiunt, pax super eos. Habet T. C. epistolam prolixiorem fortasse q̃ meliorem. Eiusmodi enim libuit nunc obiter attingere, ut T. C. amicissimæ epistolæ facerem satis, posteaquam conscribendis literis ad amicos nonnihil succisiui temporis impetraram. Vale in unigenito DEI, Seruatore & Magistro nostro. Islebij. Octauo Septembris.

Anno M. D. XXXVI.

Diliges proximum tuum sicut teipsum.

QVARTI ET VLTIMI
Libri Epistolarum GEOR
GII VVICELII
FINIS.

